
6
28/1 N
37

AD EMANVELEM PHILIBERTVM SERENISS. AC INVICTISS. SABAVDIAE DVCEM ETC.

Dominici Cyllenii Græci de vetere & recentiore ſcientia militari, omnium Bellorum genera, terreſtria perinde ac nauali, necnon tormentorum rationes complectente, opus, veluti ad quendam artis & diſciplinæ ordinem redactum, cunctis Ducibus ac militibus perutile, nec minus domi, quàm foris conducibile.

CVM GRATIA ET PRIVILEGIO.



VENETIIS

APVD FRANCISCVM DE PORTONARIIS

M D L I X.

EMANVELI PHILIBERTO SERENISS. AC INVICTISS. SABAVDIAE DVCI.

DOMINICVS CYLLENIVS GRAECVS, S. P. D.

BIBLIOTECA NAZ. VITT. EMANUELE ROMA

IAMDVDVM *mihi exploratum fuit, Magnanime Princeps, amicitiam uirtutis, ueluti quodam diuino naturæ munere, adiutricem datam eſſe, eandemque ſolitarij quicquam amare, ſed ſemper ad aliquid tanquam adminiculum anniti, quod in uno quoque iucundiſsimum eſſe perſpicitur. Quocirca præclare ab Archita dictum accepimus. Si quis cœlum conſcendiſſet, mundi, ſyderumque ac cæterarum rerum pulchritudinem, cerneret, inſuauem profectò illam ſibi admirationem fore. Cum iucundiſsima fuiſſet, omnino cenſebat, niſi aliquem nactus eſſet, cui eam communicaret, quod mihi obtigere uidetur. Quid enim doctrina, quid plurimarum rerum cognitio homini prodeſſet, aut quem fructum percipere poſſet, niſi aliquem haberet, cui re ipſa impartiretur? Quam obrem diu mihi animo hærenti, eoque indies plura complectenti, quem huiuſce fructus participem redderem, ſub cuiuſque numine, ſtudioque, hanc noſtram de diſciplina militari lucubrationem in medium afferrem, quum plures ipſi animo ſeſe offerre uiderem, tandem tuæ cælſitudini præ cæteris, uni, uti literarum, armorumque uindici, impertiri, dicareque æquo iure in mentem uenit. Id quoque Ariſtotelis nactus. Quippe qui eum de ipſa re optime iudicare cenſebat, qua profectò niteret, cuiuſque peritus eſſet. Quod quum eiuſmodi ipſam cælſitudinem maxime hac armorum peritia florere intellexiſſem, hoc ſcribendi munus quàm libentiſsime eius gratia ſuſcepi, exiſtimans haud mediocrem, ipſius auctoritate, fidem, apud omnes, præcipue uiros claros, ac uirtutibus præditos eſſe habiturum, ut eius iudicio freti, fideque firmati, id laudi, uitioue daturi eſſent. Nam omnes facile hiſce adduci exiſtimo, quæ ſub Cæſaris, ac eius filij Philippi, inuictiſsimi Hiſpaniæ Regis auſpicijs, Imperatorio munere defuncta, geſſerit. Cuius nempe inclyta fama, laus inſignis, bellica gloria, ac inuicta uirtus iam apud omnes increbuit. Nec me præterit eam cælſitudinem Imperatoriam artem ſummopere callere, ut*

copiarum ordinem, caſtrorum, acierumque peritiam, ſignorum collationes, Vrbium oppugnandarum ſcientiam, commeatuum, inſidiarum uitandarum prudentiam, ac reliquarum rerum (quas in hoc opere cummulate relaturus ſum) cognitionem, quæ uere ad belli rationem ſpectare uidentur. Quarum me Hercule, (ut inquit Cicero) qui eſſent animo, ſcientiaque compotes, eos eſſe Imperatores autumat. Quibus adductus, magna mihi uoluntas inceſsit, ut hoc de re militari opuſculum ipſius celſitudinis numini conſecrarem. Etſi fortaſſe haud tale eſſe uidebitur, ut in arce, quaſi illa Minerua Phidiæ ſtatui poſsit, tamen animi magnitudine perſpecta, cui nihil conferendum eſſe duxi, aliquam in ea ſedem, ſi non magnam, ſaltem mediocrem mereri intelligo, eumque magis ſpectari, quam rem ipſam oportere ſcio. Nam tua celſitudinis uoluntati ſemper morem gerere in animum induxi, maxime, ab eo tempore, quo mihi cognita fuit. Et ſi quid lactitare uidebatur, quidam clariſsimi uiri, eius percupidi, & ſtudioſi, me multis de rebus certiorem reddidere. Quibus cognitis mihi haudquaquam ad ſcribendum oneri fuit, modo gratum labor exitum conſequeretur. Inter quos potiſsimum Claudius Malopera, uir illuſtris, Iuriſconſultus peritiſsimus, & apud Senatum Venetum tuæ celſitudinis Orator clariſsimus, ſua benignitate comitateque ſic omnibus gratus, ut uere Senatoriam dignitatem (qua pollet) præ ſe ferre uideatur, eius ac ſuperiorum Imperatorum atque Regum, quibus illa originem traxit, rerum geſtarum magnitudinem mihi ita diſſeruit, quod me plurimum ad eius gratiam ineundam inflammauit, ac difficiliora hiſce onera ſubeunda affecit, ut omne arduum mihi ſuaue omnino uideretur, nihilque profecto oneris allaturum eſſe. Non enim opus eſt mihi pluribus laudibus uirum efferre, præconiiſque augere, quia omnibus fere perſpecta eſſe uideo. Omnes enim uirtutes in eo ueluti in uno aceruo congeſtas eſſe perſpexi. Quamobrem nullam rem P. eiuſmodi uiris ornatam haud unquam perituram eſſe arbitror. Deinde Gabriel Albertus Philoſophus, Patauino Gymnaſio, publico ære conductus ad rem ſuſcipiendam apprime adhortatus fuit. Demum Felix Paciottus Vrbinas, iuuenis admodum prudens, (& ut uidi) cumulate Græcis, latiniſque literis eruditus, in illorum maximo animi ardore ſententiam uenit. Iti me ab aliorum uotis multis rationibus deterruere, afferentes tuæ celſitudinis liberalitatem, humanitatem, officium, pietatem, gratum in omnes ſtudioſos animum, cæteraque, quibus optimus Princeps redolere ſolet. Quòd ita eſſe confido. Non enim a ſummo principe, niſi ſumma expectari arbitror. Noui

profecto ex literarum monimentis tuæ celſitudinis progenitorês magnos Imperatores, & Reges, ac ſummos principes fuiſſe, manu quidem ſtrenuos, religione pios, fide perſpicuos, cuius cauſa, multa præclara eos geſsiſſe legi, de quibus aliàs diſſerendum eſſe putaui. Quam ob rem hoc tuæ celſitudini decernendum eſſe exiſtimaui, multorum regum, Imperatorum, ac Ducum, rebus geſtis depromptum, ut ire ipſa perſpectum erit. Cuius profecto beneficio omnes, qui diuinis actionibus immortalitatis nomen adipiſci conantur, omnino affecti, participes reddantur, maxime tua celſitudo, quam ſplendore, nobilitate, rei militaris ſcientia, ac noſtris temporibus rebus fæliciter geſtis nemini ſecundam eſſe uideo, Quare non modo æquum mihi uiſum fuit, ſed officio conſentaneum, hoc eius gratia in lucem edere, ac eó tuæ celſitudinis nomini, toto fere orbe terrarum iam celeberrimo impertiri, ut uirtus ſuo faſtigio niteret, ſuique ſplendoris indies magis, ac magis acceſsiones ſuſciperet, atque fructu honoris, ut eius præmio frueretur. Quod quidem ſi ea minus dignum eſſe uidebitur, eò me Hercule animum longe præſtantiorem eſſe omnino intelligat, cui profectó nihil conferri, æquarique poſſe arbitror. At ſi forte gratum percepero, aliud eò gratius; maiorem maxime oculis fructum allaturum, ea de re propediem expectabit. Quanta autem lætitia ex tuæ celſitudinis in patrium ſolum reditu, non modo mihi, ſed omnibus inceſsit, difficile eſt dictu. Omnes enim ei ſummopere, uelut legitimo principi congratulantur, atq; unà mecum confidunt eius cœleſti munerẽ, & quadam diuina prouidentia uirtutes omnes (quibus illa uiget) foueri, præcipue diſciplinam militarem, tanto ſtudio ab ineunte ætate cultam, liberalitatisq; fontes illos, quibus uĕrum iudicium, honeſtaq; beneuolentia conflatur. Itidem ipſam continentiam, libidinis, auaritiæque furori eiuſmodi impetus, ab illuſtrium uirorum pectoribus conſilio, rationeque quantopere ſummoti ſunt, ſat conſtare uideo, quia ij demum penates, ea ciuitas, ipſum regnũ æterno gradu facile ſteterit, ubi minimum Veneris uirium, pecuniæque libido ſibi uendicauerit. Nam quo hæ humani generis certiſsimæ peſtes penetrauerint, iniuria omnino dominatur, infamia flagrat. Verùm hoc maxime lætantur, quod ſicut placidũ mare ex aſpero, horrido illo marte extincto ac propè iacente, cœlum ex nubilo ſerenum, hilari aſpectu ſentitur, ſic bellum pace mutatum, plurimum gaudij mortalium generi affert, atque tanta iniuriarum acerbitas depoſita ex tanto beneficio, communique omnium piorum ſalute, ſumma omnes uoluptate afficere uidetur, quia egregius humani animi affectus, ab odio ad gratiam deflexus eſt. Illam

quoque pudicitiam, & fœminarum honeſtatem, quæ priſca illa Romana religione Veſtæ conſecratos focos, quæ Capitolinæ Iunonis puluinaribus incubabat, quæ palatij culmen Auguſtosq; penates, Sanctiſsimumq; Iuliæ genialem Torũ aſsidua ſtatione celebrabat. Cuius quidem præſidio puerilis ætatis inſignia munita ſunt. Cuius numinis ratione ſyncerus iuuentæ flos diu permanet, qua cuſtode matronalis ſtola cenſebatur. Præterea hac mortales ſpe adduci uideo, hoc felici reditu induſtriæ alacri ſpiritu militiæ ſtipendia in fidei hoſtes roborari, & indies acceſsiones accipere, Forenſem gloriam accendi, fidoq; ſinu cuncta literarum ſtudia recepta optime nutriri, & quicquid admirabile eſſe poteſt, ad ſummum laudis cummulum, & dignitatis faſtigium tuæ celſitudinis prudentia perduci, potiſsimum illud omnium regnorum fundamentum, iuſtitiam, ſine qua nihil diuturnum, nihil tutum eſſe poteſt, neque conſiſtere. Cuius profectò imago quid quiſquè efficere debeat, cummu latè docet. Eſt enim eius forma, (ut inquit Chryſippus) uirginea, aſpectu uehementi, nimisq; metuenda, luminibus oculorum acribus, neque humilis, neque atrox, ſed reuerendæ cuiuſdam triſtitiæ dignitate perſpicua. Cuius quidem imaginis tuam eſſè ſimilem uideo. Eſt enim uirtutum optima, quæ omnium numeros complectitur, Eſpero clarior, conſtans, atque perpetua uoluntas, ius ſuum, (ut aiunt) cuique tribuens. Hæc omnia a tua celſitudine omnès expectant, ac cætera, quæ a iuſto principe deſiderari poſſunt, quod ita fore confido. Quare meum exile, tenueque ingenium eo æquius ad eius gratiam ineundam deflectitur, quo ad uirtutis ſtudia, eam procliuiorem eſſe uideo, quia præſenti fide, patrio, auitoque ſplendori parem eſſe cerno. Quorum præclaris rebus geſtis, atque uirtutibus, tuæ inclitæ claritatis plurimum acceſsit. Qua quidem fretus hoc exiguum munus tradere auſim, ut amoris indicium, & perpetuæ ſeruitutis pignus. Quod ea fronte benignitateq; (ut eſt humani principis & ingenui animi) accipere oro, qua mihi traditum fuit. Quod ſi ei per gratum eſſe perſpexero, me hoc longe melius daturum eſſe expectabit.

Vale optime Principum. Datum Venetijs. IIII Idus Iulias. M D L I X.

OPERIS PROHEMIVM, EIVSDEM AVTORIS.

EGO in hoc de re militari opere, omni officio, ac ſedulitate æque omnibus ſatisfacere vellem, ac Zeuſis pictor ille nobilis Crotoniatis, Iunonis templum egregijs picturis locupletare exoptantibus, quibus ex illo quinque Virginum delectu Helenæ effigiem ſolerti artificio effinxit, vt excellentem muliebris formæ pulchritudinem muta in ſe ſe imago complecteretur. Itaque eius mutum in ſimulachrum ex animali exemplo veritas ſummo viri ingenio translata fuit. Quippe qui haudquaquam arbitratus eſt, omnia, quæ quæreret ad venuſtatem vno in corpore ſe reperire poſſe. Nam nihil ſimplici in genere omni ex parte perfectum natura expoliuit. Quocirca tanquam cæteris, non ſit habitura, quòd largiatur, ſi vni ab ea cuncta data fuerint. Aliud profecto alij commodi aliquo adiuncto incommodo numerari, perſpicitur. Quod quidem mihi voluntatis accidit, vt æque artem militarem recentiori iunctam, terreſtrem ac naualem perſcriberem, haud vnum aliquod mihi exemplum propoſitum eſt, cuius omnes partes, quocunque eſſet in genere mihi exprimendum, operæprecium viderentur, ſed omnibus vnum in locum coactis autoribus, atque Summorum Imperatorum rebus egregie geſtis, quod quiſque eorum commodiſſime præcipere videbatur, & ex varijs nobiliſſimis ingenijs excellentiſſima quæque, ac memoratu digna, quoad efficere potui, haud mediocri labore delibaui. Quapropter mihi ſtultum videbatur, aut ab alicuius bene inuentis recedere, ſiquo in eius vitio offendere, aut ad vitia quoque eius accedere, cuius me Hercule aliquo bene præcepto ducerer. Quod ſi in cæteris literarum ſtudijs a multis eligere homines commodiſſimum quodque, quàm ſe vni alicui certo mallent addicere, minus in arrogantia iam offenderent, & non tantopere in vitijs perſiſterent, aliquantoque leuius ex inſcitia laborarent. At ſi par in me huius artis atque in illa picturæ ſcientia fuiſſet, fortaſſe hoc magis in ſuo genere opus noſtrum, quàm ille in ſua pictura nobilis eniteret. Nam ex maiorum mihi copia, quàm illi fuit, exemplorum eligendi poteſtas. Ille enim vna ex Vrbe, & ex eo Virginum numero, quæ tum erant, eligere potuit. Mihi autem omnium, quæcunque fuerunt ab vltimo huius præceptionis principio vſque ad hoc tempus, expoſitis copijs, quodcunque placeret, eligendi poteſtas fuit, haud quidem ex illo Virginum delectu mihi negotium datum fuit, ſed omnium Imperatorum, Regum, Ducum, ac cæterorum mundi principum, qui res præclaras, omnique laude dignas geſſere, necnon Doctiſſimorum virorum omni diſciplinarum genere nitentium, qui poſteritati ſuarum nobiliſſimarum virtutum immortalia monimenta relinquere, maxime ex Græcorum fontibus quæque laude digna viſa ſunt, auidiſſime hauſi, necnon ex ipſorum Romanorum Imperatorum egregijs facinoribus, quæ memoria digna videbantur, decerpſi. Qui quidem tanto ſtudio militarem ſcientiam excoluere, vt ſummum Imperij fere totius Orbis faſtigium attingerint. Neque vt ille (inquam) ex vna ciuitate, ſed ex toto orbe viros inſignes eligendi mihi poteſtas fuit, vt hanc artem, veluti agrum optime cultum, varijſque floribus redolentem exornarem. Sed quæ ſit, quoque honore digna, haud ignorandum eſſe exiſtimaui. Nam ſi eius initia paulo altius repetantur, non infirmioribus radicibus profectam fuiſſe reperiemus, quam cæteras ingenuas artes. Quas quidem Ariſtoteles primo diuinæ philoſophiæ libro, quadam rerum indiuiduarum experientia in lucem dimanaſſe tradit, quod & ipſe Ptolomæus aſſerere videtur. Deinde animus paulatim (cui ſciendi amor natura innatus ineſſe videtur) ſolerti indagatione ipſius naturæ notiora attingere, atque ſcientiæ munera obire, rerumque cauſas adipiſci, cernitur. Qui quidem (teſte Ariſtotele primo naturalis Hiſtoriæ libro) tunc ſe ſcire cognouerit, quum cauſas, primaque principia vſque ad elementa pertingerit. Quod maxime ad naturalem philoſophiam ſpectare videtur, idemque ſit aliarum ſcientiarum iudicium, ſed non eodem modo. Quarum quidem aliæ ſunt digniores, quæ quodam ordine ad ſuum finem ſtatui perſpiciuntur. Quarum profecto nobilitas ex actu, modoque cerni poteſt. Aliæ vero quodam honore digniores, quæ ſua cauſa exiſtunt, quia finis honoratur. Præterea quædam in inſpectione verſantur, hæ propter ſeipſas, ac maiore honore dignæ omnino exiſtunt, vt philoſophia & Mathematica diſciplina, cuius quidem rationes cæteris certiores eſſe dicuntur. Idem mediarum ſcientiarum iudicium eſſe perſpicitur. Hæ profecto nullum actum exigunt, ſed ipſo rei, cuius ſtudium habent, intellectu contentæ, & Theoricæ appellantur. Quæ-

dam vero in actione, quarum hic finis eſſe videtur, quod ipſo rei actu perficiuntur, nihilque poſt ipſum, opere perfecto, relinquunt. Huc quoque alia accedit, quæ in effectu eſſe dicitur, hac operis, quod oculis perficitur, conſumatione finem, vt poetice, ac fere pictura, accipere videtur. Itaque quum ſcientia militaris præcipue in actione verſetur, multum tamen cæterarum artium ſibi aſſumit. Nam in inſpectione eſſe poteſt, quia Imperatori nullum gerenti bellum, quieto domi ſedenti, aut propoſito, aut aliquo caſu impedito, eam ineſſe videmus, ſi non actu ad rem gerendam, poteſtate tamen ad eam tranſigendam in intellectu ſcientiam habere, certum eſt, etiam ſi dimicare deſierit. In effectu quoque conſiſtere dicimus, quum prælia literis committuntur, aut aliqua pictura perſpiciuntur. Sed quia in omni ſcientia materiæ cognitio eſt requirenda, vt ea, quæ ſequuntur, intelligi poſſint. rei enim militaris materia, ipſum bellum eſſe videtur. Cuius quoque ſit dignitatis, ex eius cultoribus ſatis intueri licet. Qui ſunt, Reges, Imperatores, Duces, & quicquid nobilitas complectitur. In cuius quidem ſinu ac tutela Tranquillus beatæ pacis ſtatus requieſcit, quia non alia re bellum geritur, niſi vt in pace ſine iniuria viuatur, modo (teſte Cicerone) nihil inſidiarum ſit habitura. Cuius nempe cauſa, non modo omnia Imperia, ac Regna tuta eſſe cernimus, ſed etiam dilatari, atque illibatam libertatem ciuibus ſeruari, populiſque ſuo iure vti, legibuſque ſuis viuere permittitur, denique ſuperborum, inſolentiumque hominum audaciam coerceri, ac omnia tuta reddi. Cuius gloriæ ſtudium declaratur, quod ſtatuas fere omnes illuſtrium virorum habitu militari atque ornatu, paucis exceptis, erigi videmus, triumphoſq; decerni, non niſi Ducibus bello victoribus. Hanc profecto morali philoſophiæ eſſe referendam, omnium iudicio, arbitror, quia virtutes fere omneis complectitur. Omnibus enim belli Ducibus opus eſſe video, imprimis animi & corporis fortitudine, quæ in rerum externarum deſpicientia verſatur, quum perſuaſum ſit, nihil hominem, niſi quod honeſtum, decorumque ſit, aut admirari, aut optare, aut expectere oportere, nullique (vt ait Cicero) neque homini, neque animi perturbationi, neque fortunæ ſuccumbere, reſque magnas, maxime vtiles gerere, ſed vehementer arduas, laborum ac periculorum plenas, cum vita, tum aliarum rerum, quæ ad eam ſpectare videntur. Iuſtitia quoque, qua nullus princeps vacare debet, cuius virtutis ſplendor eſt maximus, & aliarum virtutum fundamentum. Cui quidem iuncta eſt benignitas & liberalitas, quibus belli Dux florere debet. Itidem prudentia, veluti totius artificij magiſtra, quæ in veri indagatione conſiſtit. Hæc enim omnium bellorum ac præliorum rationes complectitur. Hæc proculdubio locare caſtra, tempus & locum eligere ad pugnam, copias in aciem deducere, prælium inire, hoſtium conſilia explorare, eorum inſidias cauere, Vrbes oppugnare, milites armare, & quicquid attinet ad cętera belli munera obeunda, optime docet, ac ſapientem bellicis in rebus reddit Imperatorem, victoriæque compotem facit. Temperantia quoque, vt parce, modeſteque viuat, ut alijs militibus ſit exemplo, ab illecebriſque ſeſe abſtineat, uictoriaque (quum acciderit) modeſte utatur, nec nimium in captiuos ſæuiat, ſed benigne in omnes ſeſe habeat. Itaque hac uirtute plures quàm armis omnino ſuperabit, maxime, quum de Imperio decertatur. Hiſce enim uirtutibus omnes, qui ſuarum rerum geſtarum immortale nomen poſteris relinquerunt, ornati fuerunt, ut de Alexandro, & Cæſare memoriæ proditum eſt. Quorum quidem Imperio ob eximias uirtutes, omnes fere nationes & populi æquo animo paruere. Quibus optimum Imperatorem ac belli Ducem auctum inſtituere uolumus, ſi hoc nomine ſe dignum eſſe arbitretur. Dicamus igitur hanc artem æquo iure ad moralem philoſophiam eſſe referendam, quum omnibus ferme eius muneribus hæreat. Itaque hæc militaris diſciplina non dialecticis ac ſophiſticis argumentis & philoſophorum enigmatibus comprobatur, ſed certiſſimis principum rationibus, de quibus periculum fecere, ac rerum geſtarum ab inuictiſſimis Imperatoribus totius exercitus teſtimonio, atque tot doctiſſimorum uirorum monumentis, qui res præclare ab illis geſtas memoriæ prodidere. Si enim philoſophorum circa naturalium rerum principia, cœlorumque ac ſiderum motus rationibus fides adhibetur, atque ex his ſcientiam conſtitui uolunt, hominesque uni Ariſtoteli, aut Platoni credere coguntur, ut ſummum crimen eos negare uideretur, hoc ipſum de Mathematicis rationibus, quibus eorum autores, elementorum ac ſiderum interualla metiri auſi ſunt, ut Pythagoras a terra ad Lunæ globum c. xxv. milia ſtadiorum, ab eaque uſque ad ſolem duplum, inde ad duodecim ſigna triplicatum eſſe autumat. Si enim harum rerum tam procul a ſenſu ſcientiam tradere uolunt, quæ ſunt difficiles cognitu, (quum omnis noſtra cognitio ortum a ſenſu habeat) eo magis militaris diſciplina aliquo modo ſcientia erit, quæ ex rebus illuſtrium uirorum geſtis, manibuſque contrectatis orta fuit, quibus rationes conflata fuere, ſenſibuſque magis oblata, maxime, ocula-

rum fidei. Quocirca eam ueluti ad quandam artis formam redegi, & ſingula ſingulis rationibus, autoritatibus, ac exemplorum appoſitione tot clariſsimorum uirorum in unum ex toto ferme Orbe coactis probari uolui. Cuius profecto cognitionem, inuentionem, ordinem ex Græcorum fontibus, uelut etiam cæterarum artium autorum & principum, maxime, Lacedæmoniorum, Athenienſiumque (quorum profecto induſtria, teſte Valerio) Romanis hominibus plurimum profuit, in mortalium genus dimanaſſe, perſpectum eſt. Quippe quos primos (teſte Iuſtino) pericula pugnarum de euentibus legentes, belli artem literis eouſque commiſiſſe traditur, ut rem militarem, quæ, uirtute, ſolaque felicitate creditur contineri, ad peritiæ ſtudia elaborato ingenio, exquiſita doctrina & ordine reuocarunt, atque armorum magiſtros iuuentutem ſuam, uſum, uarietatemq; pugnandi præciperent, edocuere. Hinc Iuſtinus Græciam uiribus ac dignitate orbis terrarum principem appellat, paruaque manu Regum, gentium ac nationum ſemper uictricem fuiße. Quocirca Ptolomeus omnibus ingenio ac nobilitate præſtare affirmat. Quod Plato in libro, cuius titulus eſt de philoſopho, de Græciæ laudibus inquit. Græcos regionem ad uirtutem omnium pene optimam habitare, cuius quidem laus in hoc maxime conſiſtere, quod inter hyemalem æſtiuamque naturam media eſſe uidetur, ac magis quàm Barbari, a ſerenitate diſtare æſtius. Hæc enim, quæ quum gloria, doctrina ac plurimis artibus, Imperio atque bellica laude, ut ait Cicero pro flacco, floruiſſet, Aſiæque oram bello ſuperatam Vrbibus cinxißet, Italiæ ac Siciliæ pro maiore parte (ſi Thucydidi credimus) Vrbes condidit, cui etiam Iuſtinus aßentiri uidetur, nunc ſuum ac pecudum gregi paret, atque propter peccata iacet, eo conditionis tanta nobilitas fortuna deiecta fuit, ut uix ueſtigia cernantur, ſic uoluitur ordo, & rerum uiciſſitudo. Igitur nemo ſua felicitate gaudeat ac ſecundo fortunæ flactu, quia omnia ſuo fine claudi aperte uidentur. Nunc ad inſtitutum rei propoſitum reddeamus. Hanc igitur militarem ſcientiam prope quadrigam per immenſum campum latiſſime decurrentem, per diuerſos autores diſperſam, unum in locum, diuinis auſpicijs, coegi, ut facilior eſſet, eam adeundi, uia, & ratio diſcendi. Quoquidem opere omnis fere bellorum genera, terreſtria ac naualia complexus fui, maxime tormentorum rationes atque multa alia, quæ recentior militia complectitur, & ſiquid aliud hoc opus deſiderare uidebitur, in aliud diſtuli. Quo maxime diuerſarum Machinarum terreſtrium perinde ac naualium ratio cum figurarum appoſitione conſtabit, ut oculorum fidei adhibita ars, certior omnino efficiatur, ſic mortalium luminibus oblatam, maiorem rerum cognitionem efficere, nemini dubium eße uideo. Cuius quidem faſtigium ſiquis attingere exoptat, arti, exercitationi ac imitationi quam diligentiſſime inhæreat. Itaque harum rerum ſeſe compotem, & aliquod militię munus obiſſe, intelliget. Sine quibus nemo alicuius uirtutis arcem ſe adipiſci poße arbitretur. Eſt enim uſus omnium rerum magiſter, ſine quo fruſtra laboratur, quia uirtus omnis (Ciceronis teſtimonio) in actione conſiſtit.

INDEX LIBRORVM ET CAP.

PRIMI LIBRI.

DE belli origine. cap. i
De officio Imperatoris. cap. ij
De iuſtitia Imperatoris. cap. iij
De animaduerſione in milites. cap. iiij
De his, quibus militia interdicitur, & ſecus. cap. v
De continentia Imperatoris. cap. vi
De humanitate & clementia Imperatoris. cap. vij
De liberalitate Imperatoris in milites. cap. viij
De libertate. cap. ix
De diſciplina Imperatoris circa exercitum. cap. x

SECVNDI LIBRI.

De delectu militum. cap. i
De militum exercitatione. cap. ij
De ſtudio armorum & ocio vitando. cap. iij
De fide militum in Imperatorem. cap. iiij
De auiditate prædæ ante victoriam militi fugienda. cap. v
De ordine militari. cap. vi

LIBRI TERTII.

De caſtrametatione. cap. i
De ordine caſtrenſi. cap. ij
De ſpatio iter vallum & tentoria. cap. iij
De ordine mouendi caſtra & tempore minus tuto. cap. iiij
De excubijs militum circa caſtra. cap. v
De mutuo amore Imperatoris & militum. cap. vi
De his, quæ milites vitare debent. cap. vij
De proditoribus. cap. viij
De ſcientia Imperatoris ante pugnam. cap. ix
De cognitione tempeſtatum ac temporum in ortu & occaſu ſignorum. cap. x
De ſignis tempeſtatum ex motu ſyderum. cap. xi
De ſignis terreſtrium ignium ac aliarum rerum. cap. xij

LIBRI QVARTI.

De publico Marte veteri & recentiori promiſcuo. cap. i
De ordine copiarum recentiore. cap. ij
De tempore ſeruando in publico conflictu. cap. iij
De ratione excitandi milites ad prælium, & quid eloquentia poſsit. cap. iiij
De numero militum, quanta manus ſatis ſit ad pugnandum. cap. v
De ratione diuerſarum gentium in exercitu. cap. vi
De ratione deducendorum hoſtium in inſidias. cap. vij
De ratione, quid præſtet, fame, an ferro perire. cap. viij

LIBRI QVINTI.

De propugnatione Vrbium. cap. i
De oppugnatione Vrbium. cap. ij
De dolis ad capiendas Vrbes. cap. iij
De pugna caſtrenſi. cap. iiij

LIBRI SEXTI.

De hoſtium deſperatione. cap. i
De pace, an aliqua ratione ſit violanda. cap. ij
De æquitate Imperatoris in hoſtes ſeruanda. cap. iij
De obſidione, an in ea ſit perſiſtendum, necne. cap. iiij
De Imperatore profligato, quid præſtet, viuere, an mori. cap. v
De ratione minuendę vis hoſtium. cap. vi
De nocturno certamine, quid commodi, aut incommodi afferre poſsit. cap. vij
De ratione vitandi quadrigas, & currus, ſi acciderit. cap. viij
De dignitate loci in bello, cui magis debetur. cap. ix
De celeritate, an proſit, necne. cap. x
De periculis vitandis ac dolis in itinere & fluminibus tranſeundis. cap. xi
De continua pugna vitio danda. cap. xij
De quadam ratione pugnandi Gallorum, & loco optando ad pugnam. cap. xiii

LIBRI SEPTIMI.

De luxuria vitanda Imperatori ac militibus. cap. i
De crudelitate Imperatoris. cap. ij
De auaritia vitanda Imperatori. cap. iij
De audacia Imperatoris. cap. iiij
De fraude hoſtium vitanda. cap. v
De inſidijs ad colloquium vitandis. cap. vi
De quodam genere inſidiarum. cap. vij
De ſimulato timore. cap. viij
De multiplici dolo in eodem tempore. cap. ix

LIBRI OCTAVI.

De bello nauali. cap. i
De capiendis Vrbibus nauali pugna. cap. ij
De multiplici ratione traijciendi fluminis cum exercitu, & diuerſo genere pontium. cap. iij
De ratione transferendi belli in terram alienam. cap. iiij
De ratione minuendarum virium bello nauali & ingratitudine. cap. v
De fuga tutiore. cap. vi
De ratione deducendi hoſtes in apertum campum. cap. vii
De ratione conſcribendorum militum tempore neceſsitatis. cap. viii
De ratione, qua equites leuis armaturæ catafractis reſiſtere poſſunt. cap. ix
De ratione parandi equitatus. cap. x
De ratione collocandi pręſidii in vrbe cap. xi
De ratione alliciendi hoſtes ad prędam atque decipiendi. cap. xii

BIBLIOTECA

De ratione reddendi militem ex ignauo ſtrenuum. cap. xiii
De ratione profligandi hoſtium claſſem pugna nauali. cap. xiiii
De ratione, qua cum tyrone & veterano milite pugnandum ſit. cap. xv
De ratione ad occupandum tempus in deteriorem fortunam. cap. xvi
De magnanimitate & fide. cap. xvii
De munere Imperatoris ad ineundam gratiam cum militibus. cap. xviii
De numero militum, vt maior, minorue videatur. cap. xix
De præda pro dignitate militibus diſtribuenda. cap. xx
De ratione, qua milites hyeme ad bellum trahi poſsint. cap. xxi
De quodam dolo caſtrenſi. cap. xxii
De Tyrone milite. cap. xxiii
De furore Perſarum in recenſendis militibus, maxime his qui in prælio ceciderunt. cap. xxiiii

NONI LIBRI.

De ratione, qua victoria acquiritur. cap. i
De fugientibus, an ſint perſequendi, necne. cap. ii
De ærario exhauſto, quid ſit agendum tempore neceſsitatis. cap. iii
De vana militum ſpecie, vt plures videantur. cap. iiii
De incerta luce multiplicem hominum ſpeciem reddente. cap. v
De honore pro dignitate decernendo militibus. cap. vi
De quibuſdam rationibus ad impedienda itinera & ex difficili loco euadendi. cap. vii
De conſtantia & pacientia militum. cap. viii
De requirenda virtute, non genere in bello, maxime in Rei.p. diſcrimine. cap. ix
De Imperio quum decertatur, an cum paucis, vel vniuerſo exercitu belli fortuna tentanda ſit, quæritur. cap. x
De publicis inimicitijs, priuatis carentibus, & comitate Imperatorum. cap. xi
De ratione veniendi ad colloquium, vt fraus abſit. cap. xii
De alia belli ratione, vbi loci commodius geri poſsit. cap. xiii
De ratione, quod ſatius ſit, ſcire imperare, an imperanti obedire. cap. xiiii
De ratione vtendi beneficio fortunæ. cap. xv
De ratione ſuſpecti Regni retinendi. cap. xvi
De Imperatore interdum militis munere fungente. cap. xvii
De effectu opum atque diuitiarum. cap. xviii
De ratione cuiuſdam commentu cauendi hoſtilis. cap. xix

LIBRI DECIMI.

De tormentis. cap. i
De magnitudine tormentorum et materiæ ratione. cap. ii
De comparatione tormentorum inter ſe. cap. iii
De materia magis minuſue tormento cedente. cap. iiii
De ratione remouendi ferri obſtruentis foramen ipſius tormenti. cap. v
De duplici Græco igne ad comburendum in aquis. cap. vi
De quodam genere teli ignei, ac alio, a Mario, bello cymbrico, inuento. cap. vii
Diploma ad Illyrios Alexandri Magni.
De ratione belli fugiendi ac pacis optandæ peroratio.

FINIS.

Erratorum in excudendo, correctio.

Car. 1. linea 18. ruſt, lege titani, ibidem linea 46. ſuamq;, lege ſuaque. ibidem linea 55 quibus, lege quæ. ibidẽ linea 65. gerantur, lege geratur. ibidem linea 25. (teſte Tullio) parenteſis eſt, vſq; differentie) ibidem linea 29. eo ſtare, lege conſtare. ibidem linea 18. eſſe, lege eſſem. C. 3. linea 55. patius, lege potius. ibidem linea 48. lucinijs, lege lacinijs. ibidẽ linea 24. Rotuli, lege Rotarit. ibidẽ linea 50. Darnaico, lege Dardanico. C. 4. linea 4. ducantur, lege ducuntur. ibidem linea 45. forte, forte lege. ibidẽ linea 32. conſodiant, lege confodiant. ibidẽ linea 5. cotto, cotta lege. C. 6. linea 2. fortis lege forte. ibidem linea 43. ſecula, lege ſicula C 7. linea xi. aiiis, lege aliis. ibidem linea 28. conſumpſiſſet, lege conſumpſiſſent. ibidem linea 40. atqui, lege atque. C. 8. linea 56. auxnium, lege auxilium. C. 9. linea 20. delectu, lege delectũ abiecta in, q̃ pro in poſita fuit. C. 10. linea 9. adorietur, lege adorireint. ibidẽ linea illius carminis prima Hũc homines &c. lege Opprimunt hunc homines &c. &c.

C. 2 linea 45. ſtatuariã, lege ſtatariam. C. 12. linea 25 pectorum, lege pectore. ibidem linea 14. deſuetutine, lege deſuetudine. ibidem linea 43. fures, lege foris. ibidem linea 3. parenteſis eſt, (inquit Scipio) Car. 13. linea 11. obſidiua, lege obſidibus.

C. 13. linea 19. efficere, lege officere. ibidem linea 51. formidenis, lege formidinis. C. 19. linea 17. ne, lege nec. C. 20. linea 13. ctui, lege ſtatu. ibidem linea 20. pugna lege ad pugnam. ibidem linea 24. enim lege in. ibidem linea 51. ſe, lege ſi. C. 21. carmine 11 talit, lege talit. ibidem linea 7. aut, lege autem. ibidem linea 9. rutilia, lege rutila. ibidẽ carmine 20. ignit, lege ignes. ibidẽ linea 55. memorumque, lege nemorumque. ibidẽ linea 31. voltians, lege voltiant. ibidem innatant, lege innatans. C. 22. linea ſiue verſu 20. et, lege &. C. 23. linea 57. ferenatios, lege ferentarios. C. 24 linea 9. irrea, lege recta. ibidem linea 35. medii, lege medii. C. 25. linea 12. arbitrantes, lege arbitrantes. C. 27. linea 44. reis, lege res. C. 30. linea 24. quo eo tempore, lege qui. ibidem linea 16. meruebant, lege metuebant. ibidem linea prima qui, lege quia. ibidem linea 6, tuum, lege tuam. ibidem linea 8. ſubuerrere, lege fauerint. ibidem linea 57. ædificauerunt, lege ædificauerint. C. 31. linea 30. eludentia, lege eludentes. ibidem linea 48. eodem, lege eadem. ibidem linea 11. at ſuperfluum eſt. C. 32. linea 11 quæ, lege quem. ibidem linea 19. ſi inopinantes ima ſteti, arbitrium fuit adde. C. 33. linea 40. ſtatumque, lege ſtatimque. C. 35. linea 3. efficere, lege afficere. ibidem linea 19. ordo aciet Xantippi, quam hoc modo inſtruxit, lege ordo aciei Xantippi hic erat. C. 39. linea 17. venimus, lege venimus. C. 41. linea 4. ad virtutis, lege ad virtutes. C. 42. linea 31. fine, lege fini. C. 43 linea 43. ſed illi immutauit crudelitatis generi, lege ſed illud immutauit ita crudelitatis genus. C. 46. linea 52. millie, lege mille. C. 46. linea 18. in virtutem lege in virtute. C. 49. linea 11. feſsis, lege feſsis. C. 49. linea 8. ſune, lege fune. C. 50. linea 9 inferior, lege inferior. ibidẽ, linea 11. malea, lege moles. C. 51. linea 9. ſicut, lege ſicut. C. 52. linea 10. cantſuſẽ, lege cauſſatẽ. C. 56. linea 20, ii, lege iis. ibidẽ linea 23. eard, lege eorũ. ibidẽ linea 24. vides, lege videtur 59. linea 44. eni vacat. C. 62. linea 41. ſtudiis, lege ſtudiis. ibidẽ linea 15. refer, lege teleti. C. 64. linea 16. conſtati, lege conſtari. C. 65. linea 6. quem, lege quin. ibidẽ linea 9. qui, lege quia. C. 66. linea 14. do, lege de. C. 62. linea 8. liberaltie, lege liberalitate. ibidẽ fugẽdo, lege fungẽdo.

Cætera prudentis lectoris iudicio corrigenda relinquo.

AD EMANVELEM
PHILIBERTVM SERENISS.
ET INVICTISSIMVM
SABAVDIAE DVCEM ETC.

Dominici Cyllenii Græci De diſciplina militari,

LIBER PRIMVS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

De belli origine, & qua ratione ſit iuſtum. *Cap. I.*

SI BELLORVM, optime princeps, paulo altius repetatur origo, eam profecto eſſe reperiemus, qua quidem mortalium genus veluti falſo deceptum errore in multa rerum pericula dilabi ſolet, vt ipſius, cædes, ſtupra, adulteria, Vrbium direptiones, ac locorũ deuaſtationes, atque extrema animorum ſuorum diſcrimina, quibus mali quicq̃ in vita conferri poteſt. Quorum quidem quum duplicem animo vim & naturæ omnino luſtraſſem, vnam in appetitu ſitam eſſe, quæ hominem, veluti vnda nauim, huc & illhuc rapere videtur. Alteram in ratione, eum, quid agendum, fugiendumue ſit, docente. Ita proculdubio fit, vt ratio æquo iure præeſſe deberet, appetitus autem illi obtemperare, eamque, neque præcurrere, neq; pigritiæ ignauiæque cauſa deſerere, ac omni perturbatione vacare, Quo omnis conſtantia & moderatio, vti clariſſimum ſydus eluceat, Nam qui appetitus longius euagatur, vt auis nido, & tamq̃ exultans, ſiue cupiendo, ſiue fugiendo, haud quaq̃ ſatis ratione retinetur, Hic omnino finem, & omnium rerum rationem & modum præterire videtur, Hic enim obedientiam deſerit, ac virtutis cætera abijcit, nec (vt par eſt) rationi paret, cui quidem, lege naturæ obnoxius, ſemper obſequio eſſe deberet. Hinc illa ambitio, & imperandi cupiditas exoritur, quæ mortales ad multa facinora; vti belluas rationis expertes, impellit. Hinc immaniſſima bella, & omnium malorum genera; quæ in dies, imperandi cupiditate, fieri ſolent. Quorum profecto exordium cum e ſuperis, ſed fecus, effluxiſſet, nec mirum fortaſſe, ſi in homines tot perturbationibus procliues, dimanaſſent. Quippe qui appetitus, haud rationi obtemperantes, hac ambitione veluti quadam animi peſte, adducti, uel ad vlciſcendas illatas iniurias, vel ſua repetenda, vel aliena rapienda, vt latius imperium, ſuo minus contenti, habeant, cæteris bella inferre ſolent. Quos miſerrima ambitio, & ea regnandi cupiditas cogit, quæ, neque eos, neque alios quietos eſſe ſinit. Sed hoc plerunque euenire ſolet, Idque quodam fato profectum, vt neque res ſuas retineant, neque alienarum ſint potiti, verum denique vitam cum ipſis merito fortaſſe, amittunt. Nam creberrime omnia mala improborum principum culpa proficiſci ſolent, vt eorum cauſa cum ciuibus imperium corruat, quia ut cupiditatibus vitijſque principum tota ciuitas infici ſolet, ſic continentia eorum, ac probitate corrigi, atque ad meliora ſanctioraque redigi. Nec enim tantum mali eſt peccare principes. (Et ſi eſt magnum hoc per ſeipſum malum) quantum illud, quod multi etiam eorum imitatores exiſtunt. Nam licet videre, ſi memoriam temporum repetere velimus; qualiſcunque ſummi ciuitatis viri fuerint, talem quidem ciuitatẽ fuiſſe, quia quæcunque tutela & educatio morum principibus extiterit, eandem in populũ ſecuturam. Nam nobilium vita vtcunque mutato, mores ciuitatum mutari, nemo animo hærere videtur. & (vt Platoni placet) qui muſicorum cantibus, ait, mutatis, ciuitatum ſtatus mutari, quo quidem pernicioſius de re.p. merentur vitioſi principes, quod non ſolum vitia concipiunt, ſed ea in ciuitatem infundunt, neque ſolum obſunt, quod ipſi corrumpuntur, ſed quod alios ad id inducere contendunt, magiſque exemplo, quam peccato nocent, quo fit, vt cum vniuerſis ruat. Quare oportet omnes, qui in Regno ſunt conſtituti huiuſcemodi vitia (vti nauis ſcopulum) vitare, æquumque pro virili parte ex colore, quod ita, optime, ſi in eo nihil fiat, quod minus conueniat, atque cuncta recte agan-

tur. Qui vero aut remittit aliquid, aut intendit, is profecto de Regis ac principis maieſtate decedens, & aut multitudini ſeruiens, aut ſibi vendicans principatum, id omnino agit, vt, aut contemnatur a ſuis, aut in eorum odium incurrat. Igitur prudens ſit princeps ad res capeſcendas, ſuiſque contentus, aliena minime cupiat, eorum cauſa bellum cęteris inferat, niſi laceſsitus iniuria, & cauſa adſit, maxime depulſio ſeruitutis, & iniuriarum vltio non omnis, ſed quę neceſſaria eſſe videtur. licet enim propulſare iniuriam, ſuamque cuique tueri, quod eſt naturę. Secus enim alteri aliquid detrahere, & hominem incommodo alterius augere, magis eſt contra naturam, quam mors, quam paupertas, quam dolor, quam cętera, quę poſſunt, aut corpori accidere, aut rebus externis, quia principio tollit conuictum hominum ac ſocietatem, qua quiſque ſummopere delectatur. Si enim ſic erimus affecti, vt propter ſuum quiſque emolumentum ſpoliet, aut violet alterum, neceſſe eſt, eam diſrumpi, quę maxime eſt ſecundum naturam, humani generis ſocietatem. Nam ſibi, vt quiſque malit, quod ad vſus vitę pertineat, quam alteri acquirere, datum eſt, nequaquam repugnante natura. Illud quidem ipſa non patitur, vt aliorum ſpolijs noſtras facultates, opes, copias, augeamus. Neque vero id ſolum natura, hoc iure gentium, ſed & legibus populorum, quibus in ſingulis ciuitatibus Rei.p. continentur, eodem modo conſtitutum eſt, vt haud liceret ſui commodi cauſa, alteri nocere. Hoc enim ſpectant leges, hoc volunt, incolumem eſſe ciuium coniūctionem, quam qui dirimunt, eos, morte, exilio, vinculis, damno coercent. Ac vt multo magis exigit ipſa naturę ratio, quę eſt lex diuina & humana, nunquam committet, vt alienum appetatur, idque, quod alteri detraxerit, ſibi aſſummat. Preterea multo magis eſt ſecundum naturam, celſitas, & animi magnitudo, communitas, iuſtitia, liberalitas, quam voluptas, quam vita, quam diuitię & quam cętera corporis commoda. Quare optimus Imperator, cuius appetitus rationi omnino obtemperare videtur, bellum, non niſi neceſſarium & iure fœcialium ſuſcipit, ac eo quidem modo, quo ſanctiſsimis legibus cautum eſt, vt miſerrima abſit ambitio, atque tanta imperandi cupiditas, nec non immanitas omnis, nec ſine beneuolentia citra omnem inuidiam gerantur, Verum vt ad pietatis iuſtitięque ſocietatem, vt victis etiā facilius conſulatur. Nam cui licentia iniquitatis eripitur, vtilius vincitur, quoniam nihil eſt infelicius, peccātium infelicitate, qua quidem pęnalis alitur impunitas, malaque voluntas, veluti interior hoſtis roboratur. Nam ſi pia diſciplina omnia bella culparet, hoc potius conſilium ſalutis petentibus ab ea diceretur, vt arma abijcerent, ſeque militiæ omnino ſubtraherent, quibus dictum eſt, neminem eſſe concutiendum, ſed ſuis ſtipendijs contentos, quod ſatis eſſe illis voluit, quę quidem militię munere fungi, nec negauit. Quocirca. D. Auguſtinus ad Bonifaciū ſcribens, ait, bellicis armis milites Deo placere poſſe vt Diuus ille vates, ac multi alij, qui in ſacris literis leguntur, Deo iubente exire ad bellum. Sed hoc primum cogita (inquit) quando armaris ad pugnam, quia virtus tua etiam corporea, manus Dei eſt. ſi enim eius munus animo complectens, haud quicq̃ in ipſum efficies, hoſti quoque fides data omnino ſeruanda eſt, quanto magis amico, cuius gratia pugnatur. Pacem enim habere voluntatis eſt, bellum autem neceſsitatis, vt ab hac, Deus omnium rerum opifex liberet, & in pace iugi tempore ſeruet ac tueatur. Non enim pax quæritur, vt bellum exerceatur, ſed bellum geritur, ut pax acquiratur, Eſto ergo in bello pacis quiſque percupidus, eoſque, quos deuicerit, ad pacem deducere conetur, vt illi viuat. Si autem pax humana tam dulcis & iucunda pro ſalute mortalium eſſe videtur, quanto magis ipſa diuina? Itaque hoſtem pugnantem neceſsitas, non autem voluntas opprimat, vt certanti & reſiſtenti violentia redditur, ita victori, capto miſericordia iam debetur. Verumenimuero qui aliqua culpa in bello afficiuntur, an, vt ille ait, quia moriuntur, quandoque morituri, vt dominentur, in pace quidem victuri, hoc profecto reprehendiſſe, timidorum eſt, non autem piorum. Siquidem nocendi cupiditas, vlciſcendi crudelitas, & immanitas, ferus animus, & ipſa deficiendi feritas, imperandi denique libido, æquo iure in bellis vitio dantur, quæ plerunque, vt etiam iure, aduerſus uiolentos reſiſtentium ſpiritus puniantur, ſiue Deo, ſiue aliquo legitimo Imperio iubente gerenda ipſa bella bonis, cum in eo rerum humanarum ordine inueniantur, vbi eos, vel huiuſcemodi iubente iuſte obedire, ipſe ordo cogit. Hinc næ ab armis Diuus Ioannes milites diſcedere iubet. Ordo autem ille naturalis mortalium paci accommodatus, hoc quidem poſcere videtur, vt ſuſcipiendi belli autoritas, atque conſilium penes Principes ſit, ſed ſi humana cupiditate bellum geritur, iuſtis minime officit, in quos nemo poteſtatem habet, niſi e cœlo profectam. Non enim eſt poteſtas, niſi a Deo, aut iubente, aut ſinente. Ergo vir iuſtus, ſi forte etiam ſub Rege, & homine ſacrilego & profano militiæ munere fungatur, id recte, eo pugnare iubente, obire poteſt, ſi vice pacis ordinem ſeruans, quod ſibi iubetur, vel non eſſe contra Dei præceptum, exploratum eſt, vel vtrum ſit, certum non eſt, ita vt fortaſſe reum iniquitas Imperandi Regem efficiat. Innocentem autem militem ordo ſeruiendi oſtendat. Atqui fortaſſe dubitabit Imperator, an pugnare peccatum ſit, quod Auguſtinus de verbis domini loquendo, peccatum eſſe negat, niſi, cauſa prædæ, neque Rempublicam crimen gerere, niſi augendarum diuitiarum & opum cauſa. Quare quadam prouidentia militibus ſtipendia decreta ſunt, ne dum ſumptus quæritur, prædo graſſetur. Diuus Gregorius quoque militibus Neapolitanis ſcribendo, ſummam (inquit) eſſe militię laudem rei.p. vtilitatibus obedire, quicquid ſibi commodi cauſa Imperatū fuerit, obtemperare. Iuſtum igitur eſſe bellum, teſtimonio Iſidori, quod ex edicto geritur de rebus repetundis, aut propulſandorum hominum cauſa. Iuſta enim bella (teſte ipſo D. Auguſtino) ſolent

diffiniri,quę iniurias ulciſciſcuntur,ſic gens & Ciuitas petenda eſt,vel vendicare neglexerit, quod a ſuis improbe factum eſt,vel reddere,quod per iniurias ablatum eſt.Quod quidem belli genus ſine dubio iuſtum eſt.Quod Deus imperat,qui nouit, quod cuique fieri debeat. Quo quidem bello Imperator,vel ipſe populus,non tam autor belli, q̃ miniſter iudicandus eſt. Iuſta autem huiuſcemodi bella geri,multis in ſacrarum literarum locis comprobãtur.Sed ſi quęratur, unde bellum initium ſumpſerit in terris,a belluis,Horatij teſtimonio,hiſce canentis,repertum eſt,

Cum prorepſerunt primis animalia terris,
Mutum & turpe pecus glandem atque cubilia propter,
Vnguibus & pugnis, dehinc fuſtibus,atque ita porro
Pugnabant armis,quæ mox fabricauerat vſus.

Lucretius.

Arma antiqua manus,vngues,denteſque fuerunt.

Qua feritate priorum relicta,poſteriores,Gręci maxime arma,eorumque rationem,vſumque et ordinem inuenere, necnon ius militare ſummo ſtudio excoluere,quod quidem haudqua q̃ prætereundum eſſe duxi.Quod nihil aliud eſſe videtur,q̃ quædam belli inferendi ſolennitas, feriendi fœderis nexus,pulſato claſsico,egreſsio in hoſtem , aut pugnæ commiſsio , ſigno quoque dato, receptio flagitij militaris diſciplina , ſi locus deferatur,ſtipendiorum modus, dignitatum gradus , præmiorum honor,vt corona,uel torques,prædæ diſtributio , & pro virorum dignitate & laboribus æqua & iuſta diuiſio,ac denique principis portio.quæ ducibus ſummo ſtudio(vt inuidia abſit)excolantur,ac de origine & iuſto bello ſatis dictum eſt,deinceps de Imperatoris munere diſſerẽdum.

De Officio Imperatoris. Cap. II.

CVM omnes fere uirtutes Imperatori neceſſarias , ut ſeipſum ac alios maxime in multarum rerum diſcrimine ac omnium ſalute gubernare ſciat , eſſe ducamus , prudentiam tamen veluti comitem & (vt aiunt) fidum Achatem ſummo ſtudio complecti nitatur.Hæc profecto eum docebit , ne cum hoſte bellum temere gerat, ac cũcta pericula vitare,cui (vt ait Plato)haud aliter eſſe neceſſariam ſapientiam, q̃ corpori animam,qui beatiſsimas res. p. fore cenſebat, ſi , aut philoſophi dominentur , aut ſaltem , qui gubernant , diuina quadam ſorte philoſophentur . Nihil enim deterius ac peſtilentius poteſtate & audacia eſſe,quam ignorantia,pigritia & ignauia comitetur.Quo quidem fit,vt q̃ ſæpiſsime exercitus profligentur,atque pecudum more paſsim cędantur,ſiue milites ab hoſte captiui ducantur,ſed,quod deterius eſt , plerunque fit ipſius Imperij amiſſio.Quocirca ad ſummum Imperatorem (Teſte Tullio) de magni Pompei laudibus diſſerente , quatuor ſpectare videntur,ſcientia rei militaris,virtus,autoritas, atque felicitas . Non enim ſolum bellandi virtus in ſummo perfectoque Imperatore eſt requirenda,ſed complures eximiæ artes,huius comites virtutis.Ac primum quanta innocentia,quanta omnibus in rebus temperantia,quanta fide,quanta facilitate,ingenio,humanitate,atque clementia florere debeat,ſatis conſtare videtur. Sed ipſa virtus ſit præcipua Imperatoris arma . Cui (Teſte ipſo Platone) totum , quod ſuper terram,quodue ſub terra eſt aurum,haud digne conferri poteſt . Sunt quoque ipſi hæc præcipua munera.Non enim eum auaritia ab inſtituto curſu ad prædam aliquam reuocare debet, non libido ad voluptatem,non amœnitas ad delectationem,non Vrbis nobilitas ad cognitionem , non denique labor ipſe ad ocium.Illos ſemper ſpectare connitatur,qui res magnas geſſere , ac ex his immortalia poſteris monimenta relinquere.ſpectet (inquam) præcipuam lacedæmoniorum temperãtiam, a quibus tanto ſtudio,tantoque labore militia exculta fuit,inſuper modeſtiam,facilitatem, manſuetudinem,magnanimitatem,moderationem,compoſitionem,fortitudinem, conſtantiam , tolerantiam,victoriæ cupiditatem,parſimoniam,gloriæ amorem, quæ maxime ad omnia egregia facinora eos impellebat,ac denique cum cæteris præclaras res geſtas Romanorum. qui & ipſi hiſce aucti virtutibus totum fere orbem in ſuam poteſtatem redegerunt . Sed inter alios præclaros viros , hos ſemper oculis obijciat, animo voluat,& imitetur,qui militiæ parentes & militum fuere, Alexandrum Regem Macedonum (inquam) qui,& iuuenis,& parua manu tot præclara geſsit,cui,ut inquit Arrianus,nec Barbarus,nec Græcus quiſquam conferri poteſt,quem ipſe Iulius Cæſar imitari ac æmulari dignatus eſt, qui militem , neque a moribus , neque a fortuna probabat , ſed tantum ab ipſa virtute , tractabatque pari ſeueritate atque indulgentia . Non enim vbique , ac ſemper , ſed cum hoſtis in proximo eſſet coercebat , tum maxime exactor grauiſsimus diſciplinæ , vt neque itineris , neque prælij tempus denunciaret , ſed paratum , intentumque momentis omnibus , quo velle t, ſubito educeret , quod etiam ſæpe ſine cauſa faciebat , præcipue imbribus , feſtiſque diebus , ac ſubinde ad obſeruandum ſe admonens , repente interdiu , vel nocte ſubtrahebat , iter augebat , vt ſerius ſubſequentes defatigaret . Itaque dictum Platonis egregie probatur , hoſtes induſtria magis & arte vinci , quam viribus , quorum alterum Du-

tis, alterum militum. Oportet etiam ipſum ſuis legibus ac inſtitutis obtemperare, tunc ipſa iura omnibus exiſtimanda cuſtodiendaque arbitretur, quando etiam ipſe illis reuerentiam præbet. Iuſta eſt enim vocis autoritas eorum, ſi quod populus prohibent, ſibi licere non patiantur, viroſque doctos ſtudeat in caſtris habere. Nam Annibal Silenum & Soſilaum præceptores in caſtris habebat, Mythridates multos philoſophos, Philippus, pater Alexandri, Thebis obſes Epaminundam, & literis, & bellica auctum ſcientia. Hoc ipſum & alij ꝙ plures, ſed quum Imperium & Regnum (vt teſtis eſt Appolonius) maxima omnium res ſit, quæ apud mortales exiſtunt, nec vllo pacto doceri poteſt, ſua quiſque prudentia & ſcientia Imperator id gubernabit cum populo, plebe, & militibus, pro iudicio, vtroque quidem tempore, belli & pacis. Cui ſemper conſulere debet, & non, niſi coactus arma ſumere, quia (vt ait Cicero) in tranquillo tempeſtatem aduerſam optare, dementis eſt, ſubuenire autem tempeſtati, quauis ratione, ſapientis, eoque magis, Si plus adipiſcatur, re explicata boni, ꝙ addubitata mali, At tuto Imperator rem geret, atque regnabit, ſi multos honorauerit, paucisque crediderit, ac ab auaritiæ peſte abhorruerit, quæ eſt latentium lucrorum indagatrix, manifeſtæ prædæ auidiſsima uorago, nec habēdi fructum felix, & cupiditate quærendi miſerrima. Nullum enim vitium eſt auaritia tetrius ac deteſtabilius, maxime principibus, & rem. pu. gerentib. Itaque Apollo Pythius oraculo edidit, ſpartam nulla re alia, niſi auaritia eſſe perituram. Iccirco. C. Pōtius Samnis ſic Romanorum auaritiam damnat, vtinam (inquit) me fortuna ad illa tempora ſeruaſſet, & tunc natus eſſem, cum Romani dona accipere cœpiſſent, non eſſe paſſus, eos diutius imperare, quam omnibus uiribus, uelut acerrimum hoſtem fugiat Imperator, ſi res Imperatoria maieſtate dignas gerere cupit. Hiſce quoque accedit, ut antequam conſerat, totius exercitus, more militari, Ducum ac Tribunorū Conſilia cogat, ac de totius belli ſumma cum illis ꝙ prudentiſsime agat, præcipue, quod initium, quique exitus belli eſſe debeat. Sed imprimis diligenter hoſtium conſilia pro viribus exploret, deinde numerum hoſtium & virtutem, an maiorem, ꝙ ipſe, habeant, quique melius armati, ac viribus præſtent, quod hominum genus, atque circa tormētorum numerum verſetur, an ſuo maior, minorue ſit, & circa eorum magnitudinem, quod non parum refert. Eſt etiam indagandum utra peditum equitumue pars maior ſit. qui peditibus, quique equitibus ſitus locive ratione ualeant, quia pedites colles locaque editiora requirunt, equites autem apertum campum atque decliuem. At ſi quæratur, qui rei. p. magis ſint neceſſarij, equites, an pedites, Hos, aiunt, et multis rationibus, tum quia magis prodeſſe poſſunt, tum quia major numerus & minori ſumptū nutriuntur, & intra mœnia & tutandam Vrbem, ad arbores, paludes, foſſas, uallum ac oppida adorienda ſunt magis accommodati, quia in peditibus totius exercitus robur conſiſtit, ut in Triarijs Romanorum. loca quoque inter ipſos equites cognoſcat, an ſibi, uel hoſti, magis commoda ſint. Sed hoc ſcire operepretium eſſe duco, qui ſit ipſe aduerſarius & hoſtis, uel eius comites. Virum temerarij, an cauti, audaces, an timidi, militaris diſciplinæ periti, necne, veterani, an Tyrones, quæ gentes cum his fortes, quæ ignauæ. Quibus perſpectis, animus augetur, aut frāgitur. Sed quum legiones, auxiliaque ac equites diuerſis ex locis aduenerint, optimus Imperator, & ſeparatim omnes. per tribunos electos, quorum haud ignoratur induſtria, ad omnia armorum genera exercere debet, & poſt in unum collectos, quaſi depugnaturos publico conflictu exerceant. ipſe autem ſæpius tentabit, qui artem calleant, qui uires, quemadmodum ſibi conſentiant, utrum ad Tubarū monitus, ad ſignorum indicia, ad præcepta, uel nutum ſuum diligenter obtemperent. Si in aliquibus errauerint, exerceantur, ac doceantur, ut peritiores efficiantur. Sit quoque Imperator, uigilans, ſobrius, tanꝙ de ciuili cauſa inter partes iudicaturus. De ſuis conſilio adhibito hoſtium copijs iudicet. ſi multis rebus ſuperior inueniatur. Opportunum cum hoſtibus prælium inire minime differat. Si uero hoſtem potiorem intelligat, publicum certamen omnino detrectare debet. Cum ipſa militaris diſciplina omnibus rebus potior eſſe uideatur. Cuius quidem gratia libertas retinetur, prouinciæ dignitas propagatur, Imperium conſeruatur, beatiſsimuſ pacis ſtatus paratur, & cætera, quæ optimæ leges tueri ſolent. Quare Imperator, cui tantæ poteſtatis inſignia decernuntur, cuius fidei ac uirtutis, hominum fortunæ, tutela Vrbium, ſalus militum, ciuium, ac populi, & omnium innocentia, atque rei. p. gloria traditur, non ſolum pro vniuerſo exercitu, ſed etiam pro ſingulis contubernalibus debet eſſe ſolicitus. Siquid enim illis in bello eueniat, & illius culpa, uel quicquid incommodi acciderit, ſibi omnino attribuitur, iidem & publica uictoria. Si forte deſuetum duxerit militem, totius exercitus uires & animos ad conſuetudinem diligenter exploret. Omnes quidem culpas militares legibus vindicare debet, vt loco ſuo latiſsime dicetur, nullique errantium ignoſcere, ſi ſibi ita viſum fuerit, quia interdum maiorem laudem venia meretur, ꝙ pœna. Eſt etiam animaduertendum, ſi ipſe poſſet, aliqua inter hoſtes diſcordiarum ſemina inſerere. Nulla enim (quamuis ſit minima natio) cito poteſt ab hoſtibus deleri, niſi ſeipſam proprijs ſimultatibus conſumpſerit. Suos igitur milites in pace retineat, diſcordias ſedare ſtudeat, vt iram atque vires in hoſtes oſtendant. In milites quoqꝫ comitate, affabilitate orationis interdum vtatur, eoſque, blando ſermone, cum opus eſt, alliciat. Extant. n. Epiſtolæ trium potētiſsimorū Regum Macedonum, Philippi ad Alexandrū, Antipatri ad Caſſandrū, Antigoni ad Philippū, quibus profecto præcipiūt, vt benigna oratione multitudinis animos ad beneuolentiam inducant, militeſque blando ſermone & leni appellent. Itaque & amari & timeri ſtudeat Imperator. Nam Clearchus Dux Lacedæmoniorum egregio dicto alluſit, Imperatorem magis quam hoſtem metui debere. Quippe qui talis eſſe debet, vt inuidia abſit, quæ Imperatori

plurimum obeſſe videtur, vt Appio duci, cuius parens, dum pro Senatus amplitudine nititur, commoda plebis accerrime impugnauerat, exercitum faciendo, voluntaria fuga, terga hoſti, ne triumphum Imperatori quærere, dare coegit. Amari igitur ac timeri a militibus, populoque nitatur, quia vt amor cauſa eſt bonorum, ſic odium malorum, quia in humanis pectoribus multos fluctus excitant. Pro curſu enim celerior illa nocendi cupido, hoc pertinacius. Vterque conſternationis plenus affectus, ac nunquam ſine tormento ſui violentus, quia quum dolorē vult inferre, amara ſolicitudine patitur, ne vltio contingat. Sed eorum proprietatis certiſsimæ ſunt imagines, quæ maxime in claris hominibus, aut dicto, aut facto perſpectæ fuere. Prudens igitur ſit Imperator ad omnia belli iura ineunda, virtutum cultor eximius, Vitiorum vindex accerrimus, liberalis in milites, per cupidus & ſtudioſus proborum, eorum maxime, qui ſtrenue rem militatem gerunt, victoriæ cupidus, non prædæ & hominum cædis, ſibi dedentes benigne ſuſcipiat, atque interdum dimittat. Itaque in magnorum cœtu Imperatorum facile locari poterit, præcipue, ſi omnium ſaluti & Reipub. quodam animi ardore conſuluerit.

De Iuſtitia militari Imperatoris. *Cap. III.*

VBI multis Imperatorem muneribus ornatum & prope diuinis, quæ maxime diſciplinam militarem attingere videbantur, non tantum noſtro labore, ſed potius diuina quadam ope effinximus. Nunc iuſtum reddere conabimur, cum ipſa iuſtitia ſit omnium virtutum fundamentum ac inter eas, vt ſol inter cætera ſidera, lucet, ſine cuius munere, ſicut quicquam, nec gigni, nec augeri poteſt, ſic ſine iuſtitia nulla virtus conſiſtere. Hanc quidem Imperator omni ſtudio ac ſedulitate complecti debet, &, vt ſacratiſsimū īperij numen & robur excolere, tribuendo cuique quod ſuum eſt, quod eſt eius præclarum munus, hoc eſt, præmia pro dignitate merenti, erranti que ſupplicia adhibere. Hanc profecto in milites exerceat imperator, in eoſque, cum opus eſt animaduertat, vt eorum audacia coerceatur, & delicta puniātur, vt tuta ſit omnibus innocentia ac uiuendi ratio. Quare militibus hæc a Romanis lex lata fuit, vt ſeditionis autores ex templo morerentur, nec cuiq; ea dicere licebat, quæ apud eos impune dicuntur, fuſtuarium mereretur. Sed maxime in eos animaduertebatur, qui ſigna relinquūt, aut præſidio recedunt, aut caſtra & ordinem deſerunt, omnes huiuſcemodi errantes palam ab Imperatore audiebantur, & pro delicto puniebantur, quod Claudij conſulis exemplo perſpici poteſt. Qui profligatis ſuis militibus a Volſcis, collectiſque ex diſsipato curſu, cum reuocando nequicq; ſuos perſecutus eſſet, poſitis in pacato agro caſtris, aduocataque concione, inuectus in proditorem exercitum, militaris diſciplinæ deſertorem, rogat, vbi ſigna, vbi arma eſſent, inermes milites, ſigno amiſſo, ſigniferos, centuriones, duplicatorioſque, qui ordinem reliquerunt, uirgis cæſos ſecuri percuti iuſsit. Cætera multitudo decimus quiſque ad ſupplicium lecti. C. Cotta quoque. P. Aurelium fuluium ſanguine ſibi iunctum obſidioni Liparitanę inſulæ, ad auſpicia repetenda, Meſanam Siciliæ Vrbem tranſiturus, præfecerat, quia eius culpa agger incenſus, & caſtra pene capta ab hoſtibus, facta eruptione, fuerunt, uirgis cæſum, militiæ munere inter pedites fungi coegit, nulla affinitatis habita ratione, quia ſua negligentia res male geſta fuit. P. Dutilius quoq; Conſulatum gerens in eo bello, quod in Sicilia cum fugitiuis geſsit, Q. Fabium generum ſuum prouincia decedere iuſsit, quia ſua negligentia Taurominitanam amiſerat. Itidem Poſthumius dictator Aulum Poſthumium filium, cuius infantiæ blandimenta ſinu, oſculiſque fouerat, hunc puerum literis, iuuenem armis inſtruxerat, ſtrenuum, parentis, patriæque percupidum & ſtudioſum, quia eius iniuſſu præſidio progreſſus, hoſtes ſuderas, ſecuri percuti iuſsit. Malius torquatus latino bello conſul filium a Duce Tuſculanorum, ad dimicandum prouocatū, victoriam, hoſtiſque ſpolia referentem, ſed quia iniuſſu eius pugnauerat, abripi a lictore, hoſtiæ inſtar mactari iuſsit. maluit enim forti filio, q; patriam militari diſciplina carere. Papyrius autem dictator. Q. fabium Rutilianum, magiſtrum equitū, quia exercitum in aciem aduerſus eius Imperium eduxerat, quamq; fuſis hoſtibus in caſtra redierat, tamen neque virtute eius, neque victoria, neque nobilitate, neque genere motus, virgas expediri ac eum nudari iuſsit. Lucius enim Calphurnius Piſo Conſul cum in ſicilia bellum aduerſus fugitiuos gereret, Titium equitum præfectum, hoſtium multitudine circumuentum, illiſque arma tradentem, hiſce ignominię generibus affici iuſſit. Hunc enim toga, lacinijs abſciſis, amictum, diſtinctaque tunica indutum, nudis pedibus a mane uſque ad noctem ad primam aciem per omne militiæ tempus adeſſe, eique hominum conuictu, vſuque balnearum ac equitum turmis interdixit, quibus præfuerat, hiſceque ademptis, in funditorum alaſ tranſcripſit. Huc accedit & illud. Q. Metelli, qui quum apud trebiam ciuitatem Celtiberorum in Hiſpania rem gereret, quinque cohortes in quadam ſtatione locauit, quæ hoſtium viribus depulſæ fuere, eandem ſtationem eueſtigio repetere iuſsit. Non quod ſperaret, ab his amiſſum locum recuperari poſſe, ſed vt præteritæ pugnæ culpam in ſequentis certaminis aperto diſcrimine puniret, edixitque, vt ſiquis ex his fugerit, Caſtraque petierit, pro hoſte interficeretur. Qua ſeueritate compulſi milites corporibus fatigatis & animis, deſperatione vitæ implicatis, loci iniquitatem ac hoſtium multitudinem ſuperarunt. L. Q. Cincinnatus dictator, L. Minutium, quia eius caſtra hoſtes obſederant, Conſulatum deponere coegit. Nam dignum maximo Imperio

credidit, quem non ſua virtus, ſed foſſa, vallumque præſtiterat tutum. Quem quidem haud puduerat Romanum militem armatum foſſa, valloque contineri. Hos enim hoſtes ipſe dictator in deditionem accepit, ac ſub iugum miſit. Itaque Marti Romani ſacra facere ſolebant. Transfugarum autem animaduerſio hæc erat, vt a Fabio Maximo didicimus, quæ vt ferociſsimæ gentis Hiſpaniæ animos contunderet, ſuumque mite ingenium omni ad tempus depoſita clementia deliberaret, ſcæuiore effecit. Omnium enim qui ex præſidijs Romanorum ad hoſtes transfugerant, vbi capti, manus abſcidi iuſsit, vt trunca præ ſe brachia geſtantes, metum defectionis reliquis inicerent. Itaque rebelles manus a corporibus ſuis diſtractæ, Cruento ſolo ſparſæ, cæteris, ne id committere auderent, documento fuere. In hoc enim hominum genus ſuperior Africanus magis ſcæuire voluit, is namque deuicta Carthagine, cum omnes, qui ex Romanis copijs ad pœnos tranſierāt, in ſuam poteſtatem redegiſſet, grauius in Romanos, quam in Latinos transfugas animaduertit. Hos quidem tanquam patriæ fugitiuos crucibus affixit, illos autem tanquam perfidos ſocios ſecuri percuti iuſsit. At poſterior Aphricanus euerſo punico Imperio exterarum gentium transfugas in edendis populo ſpectaculis feris belluis obiecit. L. Paulus Æmilius ſuperato perſe Rege Macedonum, transfugas Elephantis proterendos illico ſubſtrauit. Aſpero enim caſtigandi genere militaris diſciplina indiget, quia de Imperio, patria, honore, libertate, liberis, vxoribus ac cæteris cariſsimis rebus, denique ſalute certatur, & quia cum in exercitu ſit magna hominum moles, diuerſorum morum, & ingeniorum, variæ eorum ætates, varij cultus atque diuerſæ religionis, diuerſo ingenio indulgentes, difficile eſt eorum inſolentiam coercere, & omnium malorum licentiam retinere, & qui legibus viuere nolunt, metu ſupplicij obediant. Eſt & aliud in male pugnantes animaduertendi genus, quo Romanus Senatus bello Pyrrhi Regis vſus fuit, vt ipſi de gradu deicerentur. Quo quidem quas ſatis attritiſque Romanorum viribus, quum magnum captiuorum ciuium numerū a Pyrrho Rege miſſum accepiſſet ſine pecunia Senatus decreuit, vt ex his, qui equo meruerant, pedites eſſent, & qui pedites in funditorum auxilia tranſcriberentur, ideſt, Roturij eſſent, neque quis eorum intra Caſtra tentorium haberet, neque locum extra aſsignatum, vallo, foſſa ue cingeret, vt hoſtibus magis expoſiti eſſent omnes tentoriumque ex pellibus haberent. Poſtremo Senatus propoſuit ad priſtinum militiæ gradum & ordinem comparandum, ſiquis bina ex hoſtibus ſpolia tuliſſet. Itidem qui apud Cannas Rempub. deſeruerunt, ſupplicio minime caruerunt. In milites quoque Imperatorem, ducemue deſerentes eſt animaduertendū. Nam quum milites. P. Quintum Petilium Conſulem ſtrenue aduerſus ligures pugnantem occidere paſsi eſſent, Senatus ægre ferens, legioni neque ſtipendium anni procedere, neque æra dari voluit, quia pro ſalute Imperatoris hoſtium telis & armis ſeſe haud obtulerant, quod poſteris æterno monimento fuit, ſunt etiam ſupplicio milites afficiendi, qui iniuſto bello ciuitatem, oppidum, aliaque loca occupant. Nam Romanos milites Rhegium iniuſto bello occupantes, M. Cæſium mortui Obelij Ducis ſcribam ſua ſponte deligentes, Senatus carcere incluſit. Cæterum minore cum inuidia, vt id ageretur, quinquagenos per ſingulos dies virgis cęſos, ſecuri percuti iuſsit, eorumque corpora neque tumulari voluit, mortemque lugeri vetuit. Itaque Romani milites hinc ſupplicij metu, illinc præmio adducti magis ſtrenui reddebantur. At nimium ſeuere a Senatu pœnorum decretum erat in eorum Duces minus proſpere, aut prauo conſilio certantes, cruci affigebantur. Si enim proſpere rem geſsiſſent, Deorum immortalium ope, ſi minus proſpere, ſua culpa factum eſſe dictitabant. quamobrem antequam conſererent, prudentius rem animo complectebantur. Ducibus enim huiuſcemodi argumentum dabatur, aut mori, aut ex hoſte victoriam reportare, tanti militiam maiores fieri voluere. Quare Tyberius Scaurus, filium, qui Tridentino ſaltu loco hoſtibus ceſſerat, in conſpectum ſuum venire vetuit. Adoleſcens autem ignominiæ verecundia præſſus, mortem ſibi conſciuit. Fuluius Flaccus cenſorius quoque Fuluium fratrem ſuum, quia legionem, in qua tribunus militum erat, iniuſſu conſulis dimiſerat, ſenatu abdicauit. Sed Appius Claudius ex his, qui loco ceſſerant, decimum quemque militem ſorte ductum fuſte percuſsit. Paulus autē Lucius Conſul ex duabus legionibus, quæ loco ceſſerant, ſorte ductos in conſpectu militum ſecuri percuſsit. At Fabius Rutilius Ternas ex centurijs, quarum ſtatio prærupta erat, ſecuri percuſsit, eſt etiam in ſeditioſos milites animaduertendum more maiorum, vt M. Cato, qui Darnanico bello circa Dyrrachium, cum ex quinque legionibus, vna, facta ſeditione, militiam detrectaſſet, ſecuturamque ſe temeritatem Ducis in expeditione aſperam & inſidioſam negaſſet, quatuor armatas eduxit, & conſiſtere ordinibus detectis armis, vt in acie iuſsit. Deinde ſeditioſam legionē inermem procedere, diſcintāque in conſpectu armati exercitus ſtramenta ſecare coegit. Poſtero autem die ſimiliter foſſam diſcinctos milites facere, nullis precibus ab eo impetrari potuit, ne ſigna eius ſubmitteret, nomenque aboleret, milites autem in legionum ſupplementum diſtribueret. Cæſar autem in huiuſcemodi ſeditionem, tum tumentibus animis totam legionem exauctorauit, Duces vero ſeditionis ſecuri percuſsit. Nam delicta neque obſeruabat omnia, neque pro modo exequebatur, ſed deſertorum ac ſeditioſorum & inquiſitor, & punitor acerrimus, comminuebat in cæteris, ac nonnunquam poſt magnam pugnam atque victoriam remiſſe officiorum munere, licentiam omnem paſsim laſciuiendi permittebat, iactare ſolitus, milites ſuos etiam vnguentatos bene pugnare poſſe, ita quandoque blandiori nomine commilitones appellabat. Itaque modo ſcæuus, modo lenis ſit Imperator in milites. Omnis enim animaduerſio & caſtigatio (teſte Cicerone) contumelia vacare debet, neque ad eius vtilitatem, qui in aliquem animaduertit, aut verbis caſtigat, ſed ad Reipub. re-

ferri. Caueat quoque Imperator, ne maior pœna, quam culpa ſit, ira maxime in puniendo eſt prohibenda. Nunquã enim iratus, qui accedit ad pœnam, illam mediocritatem tenebit, quæ inter nimium & parum eſſe videtur. Optandum quoque eſt, vt ij, qui Reipublicæ præſunt, legum ſimiles ſint, quæ ad puniendum, non iracundia, ſed æquitate & iuſtitia ducantur. Ac de communi in milites animaduerſione ſatis dictum eſſe arbitror, deinceps quadam peculiari ratione diſſerendum eſſe videtur.

De peculiari animaduerſione in milites.

Cap. IIII.

VBI ſuperiori loco Imperatorũ arbitrio in milites eſt animaduerſum, vt quiſque eorum animo conſtituerat, nunc autem quid ſanctiſsimis legibus ſancitum ſit, & erranti quæ pœna decreta, videamus. Nam Iurius de militum delictis loquendo hac partitione vtitur. Militum enim delicta, aut propria, aut cum cæteris communia ſunt. Indem & perſecutio, aut propria, aut communis eſt. proprium quidem militare eſt delictum, quod quis vti miles admittit, hoc eſt, dare ſe militem, cui non licet, vt de transfugis & proprijs ciuibus ſub alijs merentibus dici poteſt. quod profecto graue crimen habetur, augeturque, vt in cæteris delictis, ac interdicitur, vt dignitate, gradu, ordine ac militiæ ſpecie & ordine. Atqui (vt ait Modeſtinus) deſertorem auditum ad ſuum Ducem cum elogio præſes mittere, præterquam ſi quid grauius ille in ea prouincia, qua repertus eſt, admiſerit, ibi pœna affici debere, vbi facinus admiſſum eſt, hoc Diui, Verus & Antoninus voluere. Eſt enim huiuſcemodi militum pœna, eos caſtigare, pecunia mulctare, muneribus interdicere, militiam mutare, gradu deijcere, quadam ignominia eos miſſos facere, præter hoc, quod in opus metalli haud quidem dandi ſunt, neque torquendi, ſi Imperatori videbitur. At is, qui in exploratione emanet hoſtibus inſiſtentibus, aut qui a foſſa tutte recedit, capite puniendus eſt, ita ciuili iure cautum eſt: ſed qui ſtationis munus reliquit, pluſquam Emanſor eſſe videtur. qui eſt, diu vagans, poſtea ad Caſtra redijt. Itaque pro errore, aut caſtigatur, aut militiæ gradu (vt dictum eſt) deijcitur. Si præfectus ab omni quidem excuſatione deſiſtat, pœnam diſſertionis ſubibit. Si ad diem cõmeatus quis non venerit, perinde in eum ſtatuendum eſt, ac ſi emanſiſſet, vel deſeruiſſet pro numero temporis, facta prius copia dicendi, niſi forte quibuſdam caſibus impeditus, quorum cauſa veniam meretur. Qui militiæ tempus in deſertione impleuit, merito priuatur. Si plures primum ſimul deſeruerint, deinde intra certum tempus reuerſi ſint, gradu pulſi, in diuerſa loca diſtribuendi ſunt, ſed tyronibus, qui, ſi iterum hoc admiſerint, honeſta pœna afficiuntur. iſque, qui ad hoſtes confugerit, & redierit, torquebitur, ad beſtiaſque, vel aliud ſupplicium damnabitur. Et is, qui volens transfugere, apprehenſus eſt, capite punietur, ſed ſi ex improuiſo dum iter quis facit, ab hoſtibus capiatur, inſpecto eius præteritæ vitæ actu, ei venia dabitur, & ſi expleto tempore militiæ redeat, vt veteranus reſtituitur, & emerita accipiet. Verum miles, qui in bello arma amiſit, vel alienauit, capite punitur, vt iure cautum eſt, ſed Imperatoris arbitrio hoc relinquendum eſt, ſiue iudicio. In bello, qui Ducis mãdata non ſeruauerit, capite punitur, etiam ſi res bene geſſerit, vt dictum eſt. Sed qui agmine exceſsit, ex aliqua cauſa, vel fuſtibus cæditur, vel militiam mutare cogatur. Præterea ſiquis vallum tranſcenderit, aut per metum Caſtra ingreſſus fuerit, capite puniatur. Si vero foſſam tranſiluit, militia reiicitur. Qui ſeditionem militum atrocem concitauit, capite punitur. Si vero intra vociferationem, aut leuem querelam ſeditio mota eſt, tunc gradu militiæ eiicitur. Si multi milites in aliquod flagitium conſpirent, vel ſi legio deficiat, auocari militia ſolent, Qui præfectum, ſiue ducem ſuum defendere noluerint, vel deſeruerint, eo occiſo, capite hac lege, puniuntur. Si circa vigiliam miles errauerit, ſtatim ante tribunum deducebatur, tunc eo in loco coram omnibus militibus hoc modo damnabatur. Cumque eum Tribunus virga tangeret, ſibi fugere licebat, & militibus eum interficere, ſi poſſent, ſaxis, ſagittis, telis, haſtis, & omni armorum genere. Sed ſi forte euaderet, non propter hoc ſaluabatur, quia ſibi ſua patria interdictum erat, & nemo, neque cognatus, neque amicus audebat eum recipere propter pœnam, quocirca in tali re nemo errabat, hodie autem (vt apud Heluetios & alios ſic errantes) haſtis transfiguntur. Quæ talis eſt ratio, acies quædam inſtruebatur, vna ſpatio duarum haſtarum in medio relicta, reus miles in medio, & antequam eum milites transfigerent haſtis, genibus flexis ter a duce ueniam petit. Tertio dux ſignum e manu ſigniferi arripit, manu ferrum tenens ſigno reuoluto, haſta Rei caput percutit, ſignificans ſignum ab eo læſum eſſe, ſic morte damnari, Dux autem inde pedem refert, militibuſque imperat, ut eum haſtis confodiant, itaque conficitur, vel alio mortis genere, vt duci placet, puniri.

De his, quibus militia non interdicitur, & ſecus.

Cap. V.

CVM multa ſint impedimenta militiæ, qui iure eius munere fungi poſſunt, qui autem nequaquam, haud eſt ſilentio prætereundum, quia iuſtitia & in his aliquã partem merito habere videtur. Nam qui cum vno teſticulo (teſtimonio legis) natus eſt, aut amiſit, æquo iure militiæ munere fungi poterit, vt diuus Traianus aſſerit. quia eo naturæ habitu Sylla & Cottę Duces fuerunt. In inſulam deportatus, ſi effugiens, militiæ ſe dedit, lectuſue diſsimulauit, capite puniendus eſt. Temporaneum exilium voluntario militi inſulæ relegationem aſsignat, diſsimulato perpetuum. Ad tempus vero relegatus, ſi expleto ſpatio fugæ militiæ ſe dedit, cauſa damnationis requirenda eſt, vt ſi infamiam contineat perpetuam, idemque obſeruetur, ſi tranſactum de futuro ſit, & in ordinem redire poſsit, vt militiæ honores petere non prohibetur. Voluntarius miles quoque reus capitalis criminis, ſententia Diui Traiani Imperatoris capite puniendus eſt, nec eo remittendus, vbi reus poſtulatus, ſed vbi accedente cauſa militiæ audiendus eſt, ſi dicta cauſa ſit, uel requirendus annotatus. Ignominia enim miſſus, ad iudicem ſuum remittendus eſt, nec rapiendus, militare volens, licet fuerit abſolutus. Præterea adulterij, vel aliquo publico iudicio damnati, inter milites non ſunt recipiendi, neque omnis, qui litem habuit, & ideo militauerit, exhauctorari iubetur, ſed qui eo animo militiæ ſe dederit, vt ſub militiæ nomine præciſiorem ſe aduerſario faceret, nec tamen facile indulgendum eſt extra iudicĳ ordinem, qui negocium ante habuit, ſed ſi in tranſactionem recidit, indulgendum eſt. Nam exhauctoratus eo nomine, non vtique infamis erit, nec prohibendus, lite finita, militiæ eiuſdem ordinis ſeſe dare, alioquin ſi litem relinquat, vel tranſigat, retinẽdus. Deſertores, qui in aliam militiam nomen dedere, legiue ſe paſsi ſunt, voluit Imperator Iuſtinianus more militari puniendos eſſe. Grauius autem delictum eſt, munus militiæ detrectare, q̃ appetere. Nam qui ad edictum olim non reſpondebant, vt libertatis proditores in ſeruitutem redigebantur, ſed mutato militiæ ſtatu a capitis pœna recedebatur, quia plerunque voluntario milite numeri ſupplẽtur. Qui belli tempore filium ſuum militiæ ſubtrahit, exilio, & bonorum parte mulctãdus eſt, more maiorum, ſi in pace fuſtibus cædi iubetur, & requiſitus iuuenis vel a patre, poſtea exhibitus, in deteriorem militiam dandus eſt. ſiquidem eum, qui filium debilitauit delectu per bellum indicto, vt militiæ ſit minus idoneus, Diui Traiani præceptum deportauit. Edictum quoque Germanici Cæſaris militem deſertorem faciebat, qui diu abſuiſſet, vt is inter emanſores haberetur. Sed ſiue quis adeat, ſeque offerat, deſertoris pœnam euitat. Nec intereſt, cui ſe offerat, vel a quo deprehendatur. Cauſæ autem emanſionis ſemper examinentur, ideſt cur, & vbi fuerit, quidue egerit, & datur venia valetudini, parentum affectioni, & affinium, & ſi ſeruum fugientem perſecutus eſt, vel ſiqua huiuſcemodi cauſa ſit, ſed & ignoranti adhuc diſciplinæ Tyroni ignoſcitur. Non enim omnes deſertores (teſte Arriano) eodem modo puniendi ſunt, ſed & ordinis & ſtipendiorum ratio habetur, & militiæ gradus, vel loci, ac muneris deſerti, atque ante actæ uitæ, ſed & numeri, ſi ſolus, vel cum altero, vel cum pluribus deſeruit, aliudue, quod crimen deſertori adiunxerit. Item temporis, quo in deſertione fuerit, & eorum, quæ poſtea geſta fuerint, ſed ſi vnio reuerſus fuerit, non neceſsitate, non erit eiuſdem ſortis. Qui vero in pace deſeruit, eques, gradu pellendus eſt, pedes militiam mutat. ſed in bello idem admiſſum capite puniendus eſt qui deſertioni aliud crimen adiungit, grauius puniendus eſt, vt ſi furtum factum ſit, veluti alia deſertio habebitur. Deſertor quoque ſi in Vrbe inuentatur, capite puniri ſolet, alibi autem apprehenſus ex prima deſertione reſtitui poteſt, iterum deſerendo pœna capitis afficiatur. Qui ſeſe obtulerit, ex Imperatoris indulgentia in inſulam deportandus eſt, qui captus, quum poterat redire, non redĳt, pro transfuga habetur, qui in præſidio captus eſt, in eadem conditione eſſe, certum eſt, ſi tamen ex in prouiſo dum iter facit, aut Epiſtolam fert, quis capiatur, veniam meretur. Sed dubitatur, quid ſit agendum in milites a Barbaris remiſſos, ita reſtitui oportere iubet Hadrianus Imperator. Si enim probabunt ſe captos euaſiſſe, non transfugiſſe, licet hoc minime conſtare poſsit, argumentis tamen cognoſcendum eſt. Si bonus miles ante exiſtimatus fuerit, prope eſt, vt affirmanti credatur. Si infamis, vt emanſor, negligẽs, ſegnis, aut extra contubernium agens, non ei credetur, ſi poſt multum temporis redĳt. Verum qui ab hoſtibus captus eſt, & non transfugiſſe conſtiterit, vt Veteranus erit reſtituendus, & præmium emeritum capiet. Qui præfecto manus intulit, capite puniendus eſt, augetur autem petulantiæ crimen dignitate. Qui autem in acie fugam prior fecit, ſpectantibus militibus, propter exemplum, capite puniendus eſt. Exploratores, qui hoſtibus ſecreta nunciant, proditores ſunt, & capitis pœnam luant, per vinum aut laſciuiam lapſis (vt de tarentinis iuuenibus apud Pyrrhum Regem legitur) capitalis pœna remittenda eſt, ſed militiæ mutatio proroganda. Quippe qui palatĳ (vt Paulo placet) excubias deſeruerit, capite puniendus eſt, ſed ex cauſa deſertionis in militiam reſtitutus, non aliter medĳ temporis ſtipendia & donatiua accipit, niſi hoc ei præcipue Principis liberalitas indulſerit. Serui autem (teſte Martiano) omni militia prohibentur. qui etiam ait, id eſſe Imperatoris, non tantum in danda, ſed etiam obſeruanda militari diſciplina, & in hoc eius munus conſiſtere,

De continentia Imperatoris. *Cap. VI.*

QVAS Imperatoris laudes continentia meretur, quibuſue ornamentis omnium mortalium ore augeri debeat, clariſsimis multorum illuſtrium ducum monumentis cõſtabit. Nam illum præclarum virum Ageſilaum, lacedæmoniorum Regem ſuis dicere ſolitum eſſe, accepimus, apud nos inſignis ille cenſetur, ſi exercitium magis, q̃ ſeipſum Imperator dirauerit, elaborauerit que, vt ab hoſtibus ſpolia potius, q̃ arma capiat. Præterea nemo exiſtit, qui ab vlla voluptatum, quæcunque mortalibus dominantur, ſuperatum nouerit Ageſilaum. Quippe qui ab ebrietate, ventriſque improbitate ac cibis intempeſtiuis, non ſecus, atque ingenti flagitio abſtinendum eſſe putabat. In conuiuijs autem, quum duplo maiores epulas acciperet, haud illis veſcebatur, ſed ita diſtribuitis, neutram ſibi ipſi partem relinqueret. Exiſtimabat enim Regibus non ſacietatis gratia, ſed vt hac etiam re, quos velint, honorare valeant, epulas duplicari. Somno quoque vtebatur, non domino, ſed ſuis actionibus ſubdito, viliſsimumque omnium aliorum lectulum habebat, apertiſsima pudoris edebat indicia. Arbitrabatur enim principem oportere, non mollitie, ſed tollerantia priuatis eſſe ſuperiorem, nec eum pudebat, ſi in æſtate caloris, in hyeme frigoris maiorem partem ſufferre. Nam ſi quando exercitio laborare contingeret, laborem ipſe ſuper alios ſponte ſubibat. Hæc omnia non mediocri militibus conſolationi eſſe cenſebat. Ageſilaus veluti omnium Regum exemplar laboribus gaudebat, otium ac ſegnitiem fugiebat. Cæterum omnibus in rebus magnæ continentiæ fuit. Quæ quanti pudoris apud Duces & Imperatores eſſe debet, facile ex ſcipione modo perſpici poteſt, qua in Maſsiniſſam uſus fuit, qui ſophonisbam prius Syphacis, Vxorem duxit. Qua de re Scipio ita eum alloquitur. Aliqua te exiſtimo Maſsiniſſa in mentem, in me bona, & principio in Hiſpania ad iungẽdam mecum amicitiam veniſſe, & poſtea in Africa teipſum, ſpeſq; omnes tuas in fidem meam commiſiſſe, atque nulla earum virtus eſt, propter quam tibi appetendus, viſus ſim, in qua ego perinde ac temperantia & continentia libidinum gloriatus fuerim. Hanc te quoque ad cæteras tuas eximias virtutes Maſsiniſſa adieciſſe videtur. Nam non eſt, mihi crede, tantum ab hoſtibus armatis ætatis noſtræ periculum, quantum ab circumfuſis vndique voluptatibus, qui eas ſua temperantia frenauit, ac domuit, multo maius decus, maioremque ſibi victoriam peperit, q̃ nos, Syphace victo, habuimus. Hiſce humanis verbis Scipio Maſsiniſſam caſtigauit. Quibus profecto declaratur, quanta continentia Imperator eſſe debet, qua quidem hoſtes magis, q̃ armis vincuntur, maxime, ſi fœminarum ratio habebitur, vt ipſius Scipionis exemplo memoriæ proditum eſt. Qui in Hiſpania (vt conſtat) quum inter alias captiuas eximiæ formæ Virgo & nobilis ad eum producta eſſet, quæ omnium oculos in ſe conuerteret, ſumma cuſtodia habita, ſpõſo nomine Luceio (vt teſtis eſt liuius) reddidit, inſuper aurum, quod parentes eius redempturi captiuam, dono Scipioni attulerant, eidem ſponſo pro nuptiali gratia reſtituit. Quo perſpecto, vniuerſa gens victa Populi R. Imperio acceſsit. Hoc & ipſe Alexander Macedonum Rex Virginem eximię pulcritudinis captiuam, cuidam principi deſponſatam ſumma abſtinentia pepercit, illamq; nec aſpexit, ſed ſponſo remiſſa, vniuerſæ gentis animos ſibi conciliauit. Hoc quoque efferata barbarorum ingenia (vt legimus) haud mediocri ſtudio excoluere. Siquidem fragrante vniuerſa Italia Gothorum bello, captis multis ciuitatibus a Totilæ exercitu, ac nobilibus fœminis, inter quas nobiles Romanas ſumma benignitate conſeruatas, liberas eſſe iuſsit, quas parentibus maritiſque honeſto comitatu remiſit. Quippe qui cum Romam obſideret ac proditione vnius Barbari cępiſſet, iuſsit, vt nulla fœminarum violaretur. Quod multi optimi principes ſeruari voluerunt, quia virtute plura, q̃ armis plerunque acquiri ſolent.

De humanitate & clementia Regis ſiue Imperatoris. *Cap. VII.*

QVVM mortalium generi a natura, veluti quædam arma data ſunt prudentiæ munera ac uirtutis, quibus in contrarias partes uti poſſet, nihil eo profecto, ſi virtute vacet ſceleſtius eſſe poteſt, nihil immanius, nihil denique ad libidinem, & intemperantiam abiectius. Iccirco hominibus, diſcrimine belluarum, hiſce virtutibus, humanitate & clementia, maxime Ducibus, opus eſſe arbitror, vt etiam quandoque victis conſulere ſciant. Nam qui poſitis armis ad Regiam & Imperatoriam maieſtatem, ſiue fidem confugiunt, quamuis ſchalæ muro hæſerint, eumque tormenta percuſſerint, recipiendi ſunt. Nec enim inuictiſsimis Regibus & Ducibus monimenta humanitatis deſunt. Hac enim magnus Alexander enituit. Qui deuicto Dareo Perſarum Rege, facile omnium principe, maxime illis temporibus inter captiuos caſtrorum, Mater, Vxor, Soror, & filiæ ipſius fuere, ad quas viſendas conſolandaſque, quum veniſſet, conſpectis armatis, ſe inuicem complexæ, vt ſtatim morituræ comploratonem ediderunt. Deinde Alexandri genibus prouolutæ, non mortem, ſed vt corpus Darei ſepeliant, mortis dilatione deprecantur. Tanta pietate & clementia motus Alexander, Et Dareum viuere dixit, &.

mortis metum ademit, eaſque haberi, & ſalutari vt Reginas iuſsit. Huc accedit illa Heracleenſium in Athenienſes humanitas, qui cum Rerum potirentur, victis perſis, Græcię et Aſię tributum in claſsis tutelam deſcripſiſſent, omnibus cupide ad ſalutis ſuæ præſidium conferentibus, ſoli Heraclienſes ob Regum Perſarum amicitiam collationem abnuere. Quocirca ab Athenienſibus Molachus cum copijs miſſus ad id extorquendum, quod negabatur. Dum relictis in littore nauibus Heracleenſium agros populaturi, claſſem cum maiori exercitus parte repentinæ tempeſtatis naufragio amiſit. Itaque, quum neque mari amiſsis nauibus poſſent, neque terra auderent parua manu inter tot ferociſsimas gentes reuerti, Heraclienſes honeſtiorem beneficij, quam vltionis occaſionem rati, commeatibus, auxilijſque inſtructos Athenienſes domum dimiſerunt. Itaque humanitate, non armis ab hoſtibus victi fuerunt. Extat quoque magna Cæſaris in Petrei & Afranij milites humanitas, Pompeianas partes ſequentes. Quorum ſaluti in primis pepercit, frumentum fame laborantibus dedit, & quæ in bello amiſerant, reſtitui iuſsit, atque dimiſit, quum omnes ab eo vt hoſtes iure interfici poſſent. Eſt & illa Pauli Æmilij in Perſem Macedonum Regem humanitas, qui quum captiuum ad ſe adduci audiſſet, et, Romani Imperij decoratus ornamentis occurrit, conatumque ad genua procumbere dextra manu alleuauit, grato que ſermone ad ſpem hortatus eſt, introductum etiam in tabernaculum lateri ſuo proximum in conſilio ſedere fecit, nec menſæ honore indignum iudicauit. Non enim laudabilius eſt ſolum vincere, quam infelicis ſcire miſereri. Pompeius quoque Tygranem Armeniæ Regem, qui magna bella cum Romanis geſſerat, & infeſtiſsimum Vrbi Mythridatem Regno pulſum viribus ſuis protexerat, in conſpectu ſuo diutius ſupplicem iacere non eſt paſſus, ſed benignis humaniſque verbis recreatum, diadema, quod abiecerat, capiti reponere iuſsit, certiſque rebus imperatis in priſtinum fortunæ habitum reſtituit. pulchrum quidem iudicans æque Regem vincere, ac facere. Quocirca dicebat Alexander cognomento magnus, præclarum eſt Imperatoris ſcire vincere, & conſulere victis. Cyrus quoque Rex Perſarum in captiuum Regem cræſſum hac humanitate vſus fuit. Cui & vita & patrimonij pars, & barce ciuitas conceſſa fuit. In qua quidem, & ſi non Regiam vitam, tamen huic proximam Regiæ maieſtati ageret. Hac M. Antonius in brutum humanitate vſus fuit, cuius corpus liberto ſuo ſepeliendum tradidit, quo honoratius cremaretur, ſuum paludamentum inijci iuſsit, iacentem non hoſtem, ſed ciuem Romanum depoſito odio exiſtimans. Hac quoque Antigonus in Pyrrhi Regis cadauer, hac pœnus in M. Marcelli corpus, vſus fuit, quod magnifice, depoſito odio, ſepeliendum curauit. Ergo humanitatis dulcedo etiam in efferata Barbarorum ingenia penetrauit, Truces hoſtium oculos mollit, ac inſolentiſsimos victorum ſpiritus flectit, nec illi arduum ac difficile eſſe videtur inter contraria arma ac diſtrictos cominus enſes placidum iter reperire, vincit iram, proſternit odium, hoſtilemque ſanguinem hoſtilibus lachrymis permiſcet, quod eſt veri Imperatoris ac Ducis munus, & ingenui animi indicium. Placet iterum eandem duorum Regum mutuam humanitatem paulo altius referre, ipſius Alexandri & Darei, qui victus ab eo, legatos ad nouas pacis conditiones ferendas miſit. Ex quibus maximus natu inquit, vt tertio iam Dareus pacem a te peteret, nulla vis ſubegit, ſed iuſtitia, humanitas & continentia tua expreſsit. Matrem, coniugem, liberoſque eius, niſi quod ſine illo ſunt, captos eſſe non ſenſit, pudicitię earum, quę ſuper ſunt, curam haud ſecus, quam parens agens, Reginas (vt dictum eſt) appellas, priſtinęque conditionem fortunę retinent. Vultum tuum videamus, quum dimitteremur ab eo, qualis ipſius fuit. Et quod mirum eſt, ſi tam ab amico pacem petit, quid opus eſt armis, inter quos odia ſublata ſunt? Antea Imperio tuo finem deſtinabit, Alym amnem, qui lydiam terminat, nunc quicquid inter Helleſpontum & Euphratem eſt, in filię dotem offert, quam tibi tradit. Occhum filium, quem habes, pacis & fidei obſidem retine, matrem & duas filias virgines redde. Pro tribus corporibus trigeſimum auri talentum pręcatur, accipias. Niſi enim tui animi, O Alexander, notam moderationem haberem, haud hoc eſſe tempus dicerem, quo pacem, non dare ſolum, ſed etiam occupare deberes. Reſpice quantum poſt te relinqueris, intuere quęſo, quantū petas. periculoſum eſt enim & per graue Imperium, atq; perdifficile continere, quod capere non poſsis. Vides ne vt nauigia, quę modum excedunt, regi nequeant. Neſcio profecto an Dareus tam multa amiſerit, quia nimię opes magnę iacturę locum faciunt. facilius eſt enim quędam vincere, quam tueri, quam expeditius manus noſtrę rapiunt, quam continent. Ipſa te Mors Vxoris Darei admonere poteſt. minus tam miſericordię & humanitatis tuę licere, quam licuit. Hęc mitis legatio tota ab humanitate profecta fuit. cui ſuperbia contraria quum ſit, ea in legatos, vt mihi videtur, vſus eſt Alexander, ſed quia contrariorum eadem eſt diſciplina, haud ſilentio præterire conſtitui, quemadmodum legatis reſponſum eſt, ne res ipſa imperfecta relinqui videatur, hinc Barbari humanitas, illaque Græci Regis ſuperbia quædam humanitate promiſcua. Eſt namque ipſius reſponſum tanto Rege dignum omni prudentia & ſapientia omnino refertum, quod quidem tale fuit. Dareo gratiarum actionem apud hoſtem ſuperuacaneam eſſe nunciate, & me, quæ fecerim, clementer, humaniter ac liberaliter, non amicitiæ eius tribuiſſe, ſed naturæ meæ, nec aduerſus calamitates, ſed hoſtes vires contendere, bellum cum captiuis & fœminis gerere minime ſoleo. Armatum eſſe oportet, quem oderim, quod ſi ſaltem pacem, bona fide, peteret, deliberarem forſitan, an darem. Verum cum modo milites meos literis ad proditionem, modo amicos ad perniciem meam pecunia ſollicitet, ad in-

ſeruitionem mihi perſequendus eſt, non vt iuſtus hoſtis, ſed vt percuſſor ueneficus. Pacis vero conditiones, quas fortis, ſi accepero, victorem eum faciunt, quæ poſt Euphratem ſunt, liberaliter donat. Vbi igitur me affamini, omnino obliti eſtis. Nam vltra Euphratem ſum, ſummam ergo dotis, quam promittit, terminum caſtra mea tranſeunt. Hinc me depellite, vt ſciam veſtrum eſſe, quod creditis. Eadem mihi liberalitate dat filiam ſuam, quam alicui ſuorum ſeruorum nupturam ſcio. Multum vero mihi præſtat, ſi me Mazeo generum præponit. Ite, Regi veſtro nunciate, vt quæ amiſit, & quæ adhuc habet, belli præmia eſſe. Hoc Regente vtriuſque terminos Regni, id quemque habiturum, quod proximæ lucis aſsignatura fortuna, & me in Aſiam non veniſſe, vt ab alijs acciperem, ſed vt alijs conditiones darem: ſi ſecundus, & non par mihi vellet haberi, facerem forſitan, quæ petit. Cæterum nec mundus duobus ſolibus poteſt Regi, nec duo ſumma Regna, ſaluo ſtatu terrarum poteſt habere. Quare aut deditionem hodie, aut in craſtinum bellum paret, nec aliam ſibi, quam expertus eſt, polliceatur fortunam. Quocirca ſi Dareus id feciſſet, paucis ſibi ab Alexandro Imperatis in Regno manſiſſet, quia aiebat ſe vincere ſcire, & victis conſulere. Poſtremo vtriuſque Regis humanitas propter ambitionem in magnam ſuperbiam, ac mortalium cædem verſa fuit. Pugnatur, Dareus profligatur, tandem a ſuis occiditur. Cuius quidem cędem Alexander, haud ſuæ humanitatis oblitus, vlus fuit.

De liberalitate Imperatoris in milites. *Cap. VIII.*

OMNES fere Imperatores, qui aliquam rem præclaram aggreſsi ſunt, ſummo ſtudio liberalitatem excoluere, in eos maxime, qui ſe ſtrenue in bello geſſere. Nam Imperator ad concionem milites vocabat, productique, qui aliquid præter cæteros egiſſe viſi ſunt, primum de laudibus ſingulorum pro conditione orationem habet, exponens quicquid ſtrenue geſſerint, & ſi cuius boni in eorum vita ſit conſcius, quod mentione dignum videatur. Poſtea ei, qui hoſtem vulnerauerit, geſſum donat, qui equo deiecerit, ſpoliaueritque pediti phialam, equiti phaleras, & hoc aſſequitur, non qui in acie ſolum, aut expugnatione oppidi vulnerauerit quempiam hoſtium, ſpoliaueritque, ſed etiam ſi in leuibus certaminibus aliquibuſue alijs eiuſmodi temporibus, quibus nulla vrgente neceſsitate viritim ipſi quippiam, ac voluntarij eiuſmodi certaminibus ſeſe dedere. Ij vero, qui in expugnatione Vrbis primi murum aſcendunt, auream dat coronam, ſic deinceps ſingulis pro dignitate & facinore præmia decernuntur. Hiſce profecto incitamentis non ſolum audientes præſenteſque ad concertationem imitationemque in periculis prouocant ſubeundis, ſed etiam domi manentes. Nam qui talia munera conſecuti ſunt, propter gloriam inter milites & domi famam illico peruagantem, etiam poſt reditum in patriam pompas ſolennes cum oſtentatione ac dignitate adeunt, eo quod ſolis licet circumponere ornatum ijs, quos ſui Duces ob virtutem honoribus ſunt proſecuti. Domi quoque in locis celebrioribus ſpolia diſponunt, propriæ virtutis indicia ac teſtimonia. Cum igitur tantum adhibeant curæ, ſtudijque circa honores, atque ſupplicia in caſtris apprime conuenit, vt euentus etiam bellicarum rerum, ſiue actionum proſperi ac celebres ſequantur. Itaque priſci belli Duces militibus ad prælium proficiſcentibus pro dignitate, parta victoria, ingentia munera pollicebantur, vt libentius id intrent, & eo confecto, minime mentiebantur, vti Alexander, qui propter res bene geſtas, vocato ad concionem exercitu, magna in eum liberalitate & munificentia vſus fuit. Quippe qui ſe promittit ęs alienum omnium propria impenſa ſoluturum, vt prædam, præmiaque integre domum ferant. Inſignis ſane hæc munificentia, non ſumma tantum, verum etiam titulo muneris fuit, nec a debitoribus magis, quam a creditoribus gratius accepta, quoniam vtriſque exactio pariter ac ſolutio difficilis erat. Tria & viginti milia talentorum in hos ſumptus expenſa. Quæ liberalitas tanta fuit, qua nullus princeps vnquam uſus eſt. Quibus rebus milites adducti, res magnas in dies efficere conabantur, nullum laborem detrectabant, qui non de ſalute, ſed victoria cogitabant. Quam ob rem nec quiſquã miretur, ſi omnium prope rerum potitus fuit, & ab vltimis Oceani litoribus Babiloniam reuertenti Alexandro nunciatur (vt autem) Carthaginenſium legationes, ac cæterarum Africæ Ciuitatum, ſed & Hiſpaniarum, Siciliæ, Galliæ, Sardiniæ, nonnullas quoque ex Italia eius aduentum operiri. Adeo vniuerſum terrarum orbem nominis eius terror inuaſit, vt cunctæ gentes velut deſtinato ſibi Regi adularentur, quia liberalis fuit, non pecuniæ, ſed honoris percupidus, vt hiſce etiam verbis eius ad Parmenionem perſpici poteſt. Quippe qui et ſuadebat, vt captiuos pecunia redderet. Cui Alexander, ego ſi pecuniam, quam gloriam mallem, Parmenio eſſem, non Alexander, qui de paupertate ſecurus ſum, meque haud mercatorem eſſe memini, ſed Regem, nihil, inquit, habeo venalis, ſed famam meam vtique non vendo. Captiuos enim ſi placet reddi, honeſtius dono dabimus, quam precio remittemus. Eadem liberalitate Pyrrhus Rex in Romanos vſus fuit. Eadem quoque ſcipio in captiuos Hiſpanos, & filium Maſsiniſſæ Regis, illos ſine precio dimiſsit, hunc muneribus auctum, quod principes omnes condiſcant, ſi res magnas gerere cupiunt, memoriæque prodeant, non mercatores eſſe, ſed Reges & Duces. Quam ſi Perſes Rex excoluiſſet, Regnum cum vita minime amiſiſſet.

Idem eſt de alijs iudicium. Verumenimuero huius temporis militiam veluti gloriæ, honoriſque ac famæ inimicam omnes æquo iure milites ſtrenui deplorare poſſunt, quia Principes, Duces, præfecti, tribuni, Centuriones, ac cæteri ductores, ſi qui ſunt, mercatores effecti ſunt. Alter alterius pecuniam ſurripere contititur, & furari. Regique ſignificant ſe militum numerum habere, ipſe autem credit omnibus ſtipendium decretum eſſe, quod minime eſt. quo fit, vt tempore pugnæ non reperiatur militum numerus. quo Rex deceptus, miles profligatur. Hinc eſt, quod bellum diu protrahitur & nullum finem habet, vt ductores locupletentur, ærariumque exhauriatur. Milites quoque hac de re quamuis ſtrenui, tamen quadam ignauia pugnant, quia non ſolum haud muneribus & donarijs augeri, ſed re ipſa vident, ſtipendia extorqueri, nec (quod peius eſt) dari. quo fit, vt nil celebre agatur. Ego enim ſæpe vidi, nec parum admiratus, milites e bello, maxime Italos fere nudos & inermes, & mendicantes redire, quod non alij tribuendum eſſe puto, quam Ducibus, qui non victi, ſed victores ſic ſuos milites dimiſere. Sed vnde hoc? quia liberalitas abeſt, & auaritia dominatur. Non gloria, non fama quæritur, ſed pecunia, more feneratoris. Hinc eſt, quod ciuitates non niſi aliqua proditione capiuntur, non aperto Marte, nec exercitus profligantur, ſed more latronum inſidijs quædam leuiora prælia geruntur, rara vera victoria paratur, quæ turpis eſt, furto acquiſita. At quod turpius eſt, milites nobiles equis optime armati inſidentes, non ſolũ principum liberalitate non augentur, ſed ſua conſumunt. Igitur vbi liberalitas abeſt, nec victoria adeſt, nec amor militis in ducem, torpeſcunt vires, torpeſcit ingenium animuſque labefactari cernitur, & omnis virtus languescit. quare in re ſint Cauti Reges, videantque, cui militiam decernant, ac milites in recenſendo, ſtipendiaque decernendo adſint, doceantque Duces non eſſe mercatores, ſed vt militum parentes, qui ſi ſaluiem pro ſua re.p. profundant, nec eos tædeat pecuniam impendere, & pro meritis augere, ſi hoſtem vincere volunt, abſitque, vt omnium virtutum hoſtis, auaritia.

De libertate. Cap. IX.

QVANTA, diuino libertatis munere, generi mortalium cura fieri ſolet, natura in primis omnibus in rebus cumulate oſtendit, vt in elementis, quæ ſemper ſua loca petere contituntur, & etiam ipſo cœlo, quod nullius rei violentiam patitur, ſed ſuo ordine voluitur. Atqui hic nobis præcipue perſpectum eſt, vt ille, qui bene a natura eſt informatus nemini parere velit, niſi paucis, & ſeruitutis onus minime ſubire, verum vitam profundere, vt multi fecere, qua re, non alia princeps appellari ſolet. Quid autem ingenui viri pro hoc diuino munere, veluti e cœlo profecto, effecerint latiſſime conſtat. Nam Athenienſes huius percupidi, ciuitatem ignibus tradidere, ac magna Perſarũ Regis munera ſpreuere. Corinthij autẽ hæc pro amicorum libertate fecerunt, Timoleontem virum & genere & virtute inſignẽ & militiæ peritiſſimum ad coercendam Dyoniſij Tyrandem, & Carthaginenſium impetum Siciliæ libertatem occupare nitentium, in eam inſulam cum paucis Græcis miſere. Quippe qui libertatis cupidus, magnas Carthaginenſium copias vix cum tribus millibus Græcorum collatis ſignis apud Crimiſſum amnem fudit, ipſamque Siciliam poſt multa prælia ac res bene geſtas, capto etiam Dyoniſio Tyranno, in libertatem cum redegiſſet, De his ad Corinthios literæ datæ ſunt, vt ex Græcia Syraguſas Colonias mitterent, quia Vrbs ciuibus vacua erat. Corinthij autem nulla auaritia, nulla ambitione & Vrbis Imperio allecti, quam primum per Græciam ſacris in certaminibus ac magnis nundinis præcones denunciat, Corinthios, qui Syraguſarum Tyrannidem aboleuere, Syraguſanos, cæteroſque extorres ad libertatem inuitare, & Syraguſis volentem habitare, iuſte, ſancteque in libertate ſuis legibus victurum. Deinde per Aſiam ac Inſulas, vbi paſſim multos ex ſeculis degere audiuerant, nuncios mittunt, omneſque hortantur, Corinthum tranſcere, ipſoſque, naues, commeatus, auxilia, Duces præbituros eſſe, atque Syraguſis tutos, ſaluoſque, poſituros. Hoc egregium pro libertate facinus omnes Principes animo complectantur, condiſcantque ciuitatum libertati ſtudere, non autem (vt fit) opprimere. Extat illud præclarum inter alia illuſtrium principum monimenta Scytharum Imperatoris, qui ab omni ambitione abhorruit, libertatis ſummopere percupidus. Nam quum Baiazetes Turcarum princeps Bizantium magno exercitu obſideret, & omnino cepiſſet, niſi huiuſcemodi afflictis rebus Emanuel Imperator conſuluiſſet. Qui ad Scytharum Imperatorem miſit, vt ſibi auxilio eſſet, ſignificatque Ciuitatis obſidionem, & Turcarum Principis incurſionem, atque magno vndique bello opprimi, idque vix amplius ferre poſſe, quodque ſatius eſſe hanc nobiliſsimam ciuitatem, magis tam nobiliſsimo Scytharum Imperatori parere, quam viliſsimo Turcarum Principi, tamque infimo loco nato. Hac re Scytha motus cum ducentis millibus armatorum Imperatori auxilium tulit. Qui inprimis totam Bythiniam diripuit, & incendit, atque virgis fœminas, Turcarumque liberos haud ſecus, quam canes tractabat, interficiebatque, ac multos captiuos ducebat. Quo cognito Turcarum Princeps, nec tanto exercitu perterritus, ira, furoreque plenus, cum ſuis copijs eo venit; eratque cum eo Georgius Rex Myſiæ, tandem cum Scythis confluxit, qui cum vniuerſo exercitu profligatus, viuus captus eſt. Ad

eſt. Ad quem Imperator legatos miſit, qui dicerent, eum paratum eſſe obedire. Quibus Scytha (vt eſt magnanimi principis.) Nec Deus hoc permittat, quod hæc nobiliſsima Ciuitas in ſeruitutem redigatur. Non enim ambitione, cupiditateque adductus, motuſque ſui, vt ciuitates ac prouincias acquiram, quia multæ mihi ſunt, ſed vt nobilitatem tuear, atque defendam, abite (inquit) & veſtris legibus viuite. Præclara quidem & præter omnium ſpem ſententia, ſed præclarior animus, qui ſuis finibus contentus, aliena non apperebat, ut eſt commune mortalium uitium, qui quum nimios honores appetant, plerunque (vt ait Satyricus poeta) maior caſus omnino fit.

Erraſſe fateris
Seianum. Nam qui nimios optabat honores
Et nimias poſcebat opes, numeroſa parabat
Eccelſa turris tabulata, vnde altior eſſet
Caſus, & impulſæ præceps immane ruinæ.

Itaque quilibet princeps ſua fortuna contentus ſit, nec alienam tentaræ ſtudeat, & appetitus rationi obediat. Hunc profecto ſapientes liberum eſſe voluerunt, qui ſuis cupiditatibus (vt Scytha ille) imperare ſciat, libidinem refrenare, voluptatem ſpernere, iracundiam temperare, auaritię labem coercere ac cęteras animi labes repellere. Itaq; is libere viuet, et alijs iure imperare poterit, quũ ipſe maxime improbiſsimis dominis, dedecori ac turpitudini, nec nõ omnibus obſęgnis parere deſierit. Hunc enim virum liberum eſſe omnino volumus ac optimũ Imperatorem, atq; aliorum Ducem, Nam qui ſibi imperare neſcit, nec alijs. Hæc eſt enim vera libertas, poteſtaſque illa viuendi, vt velit, ſi recta ſecutus fuerit, legibus quoque haud propter metum parebit, ſed eas omni ſtudio ſequetur, & colet, quia id ſalutare maxime eſſe iudicabit. Cuius quidem omnia conſilia, reſque omnes, quas gerendas ducet, ab ipſo proficiſcentur, ac eodem proferuntur. Atqui ſecus agentes, ſeruos eſſe exiſtimamus, quia ſuarum voluptatum ferui eſſe videntur illecebris omnibus parentes. Quam ob rem multi vt libere in ciuitate viuerent, innumera mala ſubire voluere, vt famem, ſitim, laborem, obſidionem, vitæ quoque fere omnia incommoda, denique vitam cum morte commutantes omnia pœnarum genera læto animo pertulere. Quorum præclara monimenta (vt cæteri ad eam excitentur virturem) in medium afferre, maxime illud ſpartanorum duximus. Nam Antigonus Philippi pueri tutor, filij Demetrij Macedonum Regis Spartanis bellum intulit, qui ſoli Philippi Amynthæ filij, & bella Alexandri, & ipſorum Macedonum Imperium ac omnibus metuenda arma contempſerunt, ſed inter duas Græciæ nobiliſsimas gentes bellum ſummis vtrinq; viribus geſtum eſt. Quũ quidẽ ij pro uetere Macedonum gloria, illi autem non ſolum pro libertate, ſed etiam ſalute certarent. Victi enim Lacedæmonij, non ipſi tantum, ſed etiam cõiuges, & liberi magno fortique animo pro libertate fortunam tulere. Nam in acie tam pertinaci animo pugnatum eſt, vt nemo ſaluti pepercerit, nulla mulier amiſſum virum fleuit, filiorum mortem ſenes laudabant, patribus in acie cæſis filiæ gratulabantur, ſuam vicem omnes dolebant, quod non ipſi pro patria libertate cecidiſſent. Parentes omnes domibus ſaucios excipiebant, vulneratos curabant, lapſos reficiebant, interea nullus in Vrbe ſtrepitus, nulla trepidatio, magis omnes publicam, quam priuatam fortunam lugebant. Hoc diuinum libertatis munus, Brutus primus Conſul neci filiorum prætulit. Qui quidem quum ſtudere reuocandis in Vrbem Regibus, liberos ſuos comperiſſet, in forum protrhaxit, media concione virgis cædi, & ſecuri percuti iuſsit. Alexander autem ſobijorum populorum Vrbem expugnare adortus, magna defendentium vi pulſus, multos Macedonum amiſit, ſed quum diutius obſideret, Oppidani deſperata libertate atque ſalute, tectis ignem ſubiecere, ſe; quoque, coniuges, liberoſque incendio cremarunt, quod quum ipſi augerent, hoſtes extinguebant, adeo & naturæ iura bellum in contrarium mutat. Id quoque Xanthiorum libertatis dulcedine omnium oculis admirabile legitur, qui, capta Vrbe a Bruto domos proprias venerunt, Cariores ſuorum iugulum vltro exhibentes, necant. Vlulatu in immenſum exorto, Brutus prædam fieri arbitratus, per præconem milites reuocari imperat. Vbi quod actum erat, cognouiſſet, animum eorum miſeratus, libertati deditum, inducias per nuncios emittit. Illi qui detulerant, repulſi, vniuerſis ſuorum interemptis, adhibito ad Pyras igne, quas propria in domo quiſque præparauerat, ſeipſos inſuper iugulantes iniecere flãmis. Brutus autẽ ſacra omnia illæſa præſeruare ſtuduit, ſolos Xanthiorum ſeruos cępit, ac mulieres ignobiles quaſdam. Itaque Xanthij ter libertatis cauſa a ſeipſis conſumpti ſunt. Nam obſeſsi ab Arpalo Cyri Magni Regis pręfecto, ne ſeruitutis onus ſubirent, mortem ſibi conſciuere, & ipſorum Vrbs ab Arpalo neglecta ſepulchrum illis pręſtitit. Hoc ipſum ab Alexandro pertulere, qui pluris libertatem, quam tantum terrarum principem fecere. Huc accedit illud, omnibus ſęculis memorabile Abydenorum, Saguntinis ſimile facinus, & omni quidem miſeratione dignum & luctu. Quippe qui a Philippo Macedonum Rege obſeſsi, deſperata libertate, ira accenſi, & in rabiem, vt ipſi Sanguntini, conuerſi, Matronas omnes in templo Dianę, pueros ingenuos, Virgineſque etiam infantes cum ſuis nutricibus in Gymnaſio includi iuberent, aurum argentumque in forum deferri, veſtem pręcioſam in Rhodiam nauim Cyzirgnamque, quę in portu erat, ſacerdotes, victimaſque adduci, altariaque in medio poni. Ibi delecti primum, qui vbi

cęſam aciem ſuorum pro diruto muro pugnantem vidiſſent, extemplo coniuges, liberoſque interficerent, aurum, argentum ac veſtem, quæ in nauibus eſſent, in mare deicerent, tectis publicis, priuatiſque, atque quamplurimis locis poſſent; ignes ſubiicerent, & ſe facinus perpetraturos pręeuntibus etiam execrabile carmen ſacerdotibus iureiurando coacti. Tum militaris ętas iurare neminem viuum, niſi victorem acie exceſſorum. Si namque dictorum memores, adeo pertinaci animo pugnauerunt, vt quum pręlium nox dirempturа eſſet, Rex prior eorum rabie territus, pugna abſtiterit. Quid de petilinis, quid de Cretenſibus? Illi a pœnis obſeſſi, parentes liberoſque propter inopiam eiecere, corijs madefactis, igneque ſiccatis, folijſque arborum, ac omni animalium genere vitam trahentes, vndecim menſibus obſidionem tulere. Ii ſitum, ſua, & iumentorum vrina extorſerunt, vt libertate fruerentur. Quid Mythridates? quid Annibal? quid Cato Vticenſis? Quid multi alij? qui magis mortem ſibi conſciuere, quam ſeruitutis onus & dedecus ſubirent. Siquidem pulchrum ducimus libertatem omni ſtudio, ac labore tueri, ac pro ea omnia ſuppliciorum genera pati, ſi opus eſt, ſed tot ſuperiora mala, vt ignem ferrum, ſuorumque cędem, durum, & immane, ac pręter humanum ingenium eſſe video. Nam captiuus & in hoſtium poteſtatem redactus, aliquando libertatem, quam tanti facit, ſperare poteſt, ac ea potiri, & frui. Quocirca neminem eorum, qui ſibi mortem conſciuere, laudibus efferre poſſum, quia cum honeſtius viuere poſsint, & cum vita libertatem redimere, omnia amittere, deſperati eſſe hominis arbitramur, quia & noſtra religio, omnium pręſtantiſsima, hoc vitio dare, certum eſt. Nam Cato honeſte ac libere apud Cęſarem viuere poterat, & inter primores locum habere, quod in eius filium exploratum fuit, & quia clementiſsimus erat, illi carum omnino (vt conſtat) fuiſſe puto. Sed quędam ambitio, vel potius ſuperbia ad huiuſcemodi facinus eum impulit. At de Mythridate & Annibale aliud eſt iudicium, quia acerrimi hoſtes & immanes in Romanos fuere, non ſolum libertate donari merebantur, ſed omne ſuppliciorum genere affici, qui & de Imperio & de ſalute certabant. Qui ſuorum malorum conſcii, ita mori decreuerunt. Verum enimuero hoc me præterit. Quid ipſos Numantinos ad tantam animi inſaniam induxerat, libertas, ſuperbia, an rerum ambitio, vt tot malis afficerentur, qui a Scipione humaniſsimo Imperatore aggere ſæpti, in tantam rerum deſperationem dilapſi ſunt, vt poſtrema mala experirentur. Qui quum omnia, quæ famem eorum trahere poterant, conſumpſiſſet. Poſtremo humanorum corporum dapibus uſi fuerunt. Nam capta Vrbe plurimi inuenti ſunt, artus, membraque trucidatorum corporum ſinu ſuo geſtantes. Quibus quidem quæ excuſatio eſſe poſsit, penitus ignoro, nec a ferarum cætu hos ſeparare queo. Nam quibus mori licuit, ſic viuere neceſſe non fuit. Quod non a virtute, ſed potius perfidia profectum fuiſſe, arbitror. quia ipſe Imperator in eiuſcemodi rerum perturbatione eorum, facta deditione, saluti & dignitati conſuluiſſet, quia non de vita, ſed Imperio Romanus Imperator (cui mite erat ingenium) certabat. Quo quidem facinore nihil hoc deteſtabilius eſſe poteſt. Horum enim trucem pertinaciam Caligurgitanorum, Hiſpaniæ populorum, quorum in Sertorium maxima fides fuit, execrabilis impietas ſupergreſſa eſt, qui quo perſeuerantius interempti ſertorij cineribus obſidionem Gn. Pompei fruſtrantes fidem præſtarent, quia iam nullum aliud animal in eorum Vrbe ſupererat, Vxores ſuas natoſque ad nefariæ dapis vſum verterunt, ac diutius armata iuuentus uiſcera ſua, O magnam & deteſtabilem impietatem, viſceribus ſuis alerent. Atqui infelices cadauerum reliquias ſale conditas habere non dubitarent. Siquidem pro libertate tuenda, illis in hac obſidione dulcia vitæ pignora proprio ſpiritu cariora ſunt, ea Caligurgitanis prandia atque cœnæ extiterunt. Durum quidem & aſperum & ab omni humanitate ac pietate hoc hominum genus remotum, quos hercle hoſtis victor haud ita impie, vt ipſi ſuos, tractaſſet. Qui enim libertatis fructus, quæque lætitia illis eſſe potuiſſet, ſuis omnibus interemptis ab eis?

De diſciplina Imperatoris circa exercitum.

Cap. X.

NEMINEM profecto latere cenſeo, naturam omnia mortalium generi corrupta faſtidio eſſe velle, non quidem ſolum eorum corporibus, ſed magis ac magis ipſis animis, inconditis moribus imbutis, ac malis artibus refertis. Huſce enim nulla recte viuendi ratio, nulla diſciplina proficiſci poteſt, Quarum rerum labem, & animi peſtem quilibet exercitus Imperator vt hoſtem aufugere debet. Quam ob rem Imperator multis virtutibus ornatus, maxime militari ſcientia, qua totum exercitum gubernare ſciat, ad bellum eſt eligendus, quia & ipſe peritum militem (quo fieri poteſt) conſcribat. Nam ſecus, multa rei p. mala euenire ſolent, ignauia (inquam) Ducis, in quo tota belli moles conſiſtit, quod in obſidione Carthaginis re ipſa perſpectum eſt. Quæ quidem quum diu obſideretur, nec a corrupto & laſciuiente milite capi poſſet, Scipioni, clariſsimo viro, ſuperioribus animi dotibus referto, belli ſumma contra Carthaginenſes

decreta fuit; & omnium fere cõnſenſu Conſul creatus. Eoque loci receptus, corruptum exercitum inuentum, in edito loco conſtitutus, & acriter quum coarguiſſet, ita eum alloquitur. O Viri ſtrenui, dum ſub Manlio Imperatore vna vobiſcum, tunc tribunus militum militarem, meam in vos fidem experti eſtis, quam nunc Imperator repeto, qui quidem vos vltimo ſupplicio afficiendos, ſi minus mandatis parueritis, poteſtatem habeo. poſtea ita præfatur. puto enim haud vos ignorare, quæ factis, & quæ me dicere opus ſit, quorum me ſummopere pudet. latrocinijs potius, quam militiæ incumbitis, & fugitis, haud in caſtris commoramini, & nundinantium lucri cauſa, non obſidentium eſtis ſimiles, delitiarum libidinem quæritis, turpiter pugnantes, nondum victores effecti. Siquidem hoſtium omnia inſperato & breui, ex quo dereliqui in tantam creuere potentiam, vt vobis labor ex facilitate dietim fiat. Cauſas autem ſi in vobis ipſe viderim, ſtatim puniam. Sed quia alteri potius aſcribendum eſſe cognoſco, quæ in præſentem vſque diem geſta ſunt, ea vobis prætermittam. Venio igitur non latrocinaturus, ſed victor futurus, Nec vt ante victoriam pecunias cumulem, ſed vt hoſtes prius ſuperem. Qui quum hæc peroraſſet, omnes non militares ab exercitu ſeparatim ab his, qui ſecum militaturi eſſent, ſtatim abire iuſsit, & abeuntibus, nequaquam redire, niſi ſiquis commeatum ferat, huncque militarem & exilem, quibus quidem diſtinctum tempus adeſſe voluit, in quo huiuſmodi diſponant. Venditionis autem eorum, ſe & quæſtorem curam habiturum pollicetur. militantibus vero vnum adeſſe omnibus mandatum commune operibus, ſuum quidem morem atque laborem. Ad quæ quidem ſi ſe direxerint, neque promptitudine egebunt, neque gratia carebunt. Oportet (inquit) eos defatigari in his, quibus periculum ineſſe videtur. Lucrum autem atque diuitias in aliud tempus diferendas eſſe, quia ipſe hæc, & lex iubet. Itaque fideliter ſe habentibus munera pollicetur, infidelibus autem pœnam. Quibus optimus Imperator ſtatutis & Imperatis, inutilium hominum turbam, & quæcunque ſuperuacua & vana, delitijſque referta inerant, ex medio ſuſtulit. Atqui purificato milite, & ad militarem diſciplinam redacto, quum promptum paratumque ad exequenda mandata videret, Carthaginem aggreditur, & breui potitus eſt, atque deleuit. Multa enim præclara hæc ſcipionis peroratio militaria præcepta complectitur, tum ad Imperatorem, quomodo in milites ſeſe habere debeat, ſpectantia, tum etiam ad ipſos milites, quo modo in exercitu ſe gerere debeant, nec mercatores fieri monet, ſed imprimis præteriti Imperatoris negligentiam reprehendit, cuius culpa corruptus erat exercitus, & Carthaginis obſidio diutius diferebatur. Quibus elici poteſt, omnia mala ex malo & ignauo Imperatore proficiſci, & ex perito, victoria, ex quo tota militia pendet. Icciirco id Gabriæ Ducis Athenienſis verum eſt, formidabilius eſſe (inquit) ceruorum agmen ductu Leonis, quam Leonum, Ceruo Duce, atque pulcherrime Imperatoris munere fungi, qui res hoſtium maxime noſcerent. Scipio veluti leo rebus ſuis & hoſtium cognitis, militem ceruum negligentia ſui Imperatoris effectum vincere docuit, & Leonem reddidit. Idem de Metello legimus, optimo militiæ cultore, qui exercitum in Africa bello iugurthino, cum nimia ſpurij Albini licentia corruptum accepiſſet, omnibus Imperij neruis ad priſtinæ militiæ diſciplinam reuocandum, conatus eſt. Nec quidem ſingulas partes complexus eſt, ſed totam ſtatim in ſtatum ſuum redegit. Lixas primum e caſtris ſummouit, Cibumque coctum venalem proponi voluit, in agmine neminem militum ſeruorum munere ac iumentorum fungi, vt arma ſua & alimenta ipſi ferrent, vti paſſus eſt. Caſtrorum locum murauit, & ea ipſa tanquam iugurtha ſemper vallo adeſſet, foſſaque aptiſsima cinxit, vt promptus paratuſque ſemper ad bellum videretur. Igitur reſtituta continentia, repoſitaque induſtria, ita profecit, vt crebras victorias, multaque Trophæa ex hoſte peperiſſet. Igitur peritum militem aut quærat, aut faciat exercendo Imperator ad victoriam comparandam, quia huiuſcemodi milites, modo Imperatoris, modo militis munere funguntur, quod magni refert, maxime, imminente periculo, quum Dux fortaſſe interficitur, & acies inclinari ſummo diſcrimine videtur, quod ſæpe eueniſſe legimus, milites ſine Duce pugnam reſtituiſſe, ac victoriam adeptos fuiſſe. Quare periti militiæ Imperatores huiuſcemodi milites habere curarunt, vt C. Marius, qui quum eligendi exercitum facultatem haberet, ex duobus, qui ſub Rutilio, & qui ſub Metello, ac poſtea ſub ipſo meruerant, Rutilianum quendam minorem, qui certioris diſciplinæ arbitrabatur, eligere putauit. Domitius vero Corbulo duabus legionibus & paucisſimis auxilijs correpta diſciplina militari Parthos ſuſtinuit. Alexander quoque Macedonum Rex, quadraginta fere milibus militum patria diſciplina aſſuefactis orbem terrarum aggreſſus, innumeras prope hoſtium copias fudit. Itidem Epaminundas Dux Thebanorum quatuor milibus hominum, ex quibus quadrigenti equites erant, lacedæmoniorum bellicoſum exercitum vicit. Nam a quatuordecim milibus Græcorum, qui in auxilium Cyri aduerſus Artaxerxem venerant, centum milia Barbarorum prælio ſuperati ſunt. Nonne & ipſe Xerxes a trecentis lacedæmonijs, Duce Leonida, vexatus fuit? Quocirca hoc ſe deceptum aiebat, quod multos homines haberet, viros autem diſciplinæ tenaces, nullos. Quare non in multitudine, ſed virtute & militari peritia victoria conſiſtit. quam Imperator antequam militiæ munus obeat, diſcat, & parta, milites ignaros doceat, antequam cum hoſte confligat, memorque eſſe debet, parta victoria, haud inſoleſcere, & efferri, quia ſi humanę vitę conditionem recte inſpicere velit, quibuſq; rebus ſit obnoxia, atque primus & vlti-

mus dies complectatur, multum intereſt, quibus auſpicijs inchoetur, quoque exitu claudatur, medij autem temporis curſus vt fortuna gubernaculum rexit, vti de perſe Macedonum Rege Capto a Paulo Æmilio legimus. Cuius quidem fortunam miſeratus (inquit) virus cadentium & apud hoſtes magnam habet reuerentiæ partem, atque leni oratione conſolatus eſt, fortunæ mutationem æquo animo ferandam eſſe, & omnibus formidandam, quæ quidem lætis rebus calamitatem imiſcere ſolet. Magnam profecto vim eius in vtranque partem, vel ad ſecundas res vel aduerſas eſſe videmus. Nam & cum eius proſpero flatu vtimur ad optatos exitus prouehimur, & quum reflauerit, affligimur. Hæc igitur cęteros caſus rariores habet. primum ab inanimis procellas, tempeſtates, naufragia, ruinas, incendia, deinde a belluis, ictus; morſus ac impetus. At ab hominibus interitus exercituum, Clades Imperatorum, inuidię multitudinis, ac ſępe ob ciuium benemeritorum res pręclare geſtas, vt Temiſthoclis & aliorum, expulſiones, calamitates, fugę, ac multa malorum genera. Hęc eſt enim fortunę viciſsitudo, atque humanarum rerum mutatio, poſt hęc, ſecundę res, honores, imperia, victorię, quę (quanquam fortuita ſunt) tamen ſine hominum operibus & ſtudijs neutram in partem effici poſſunt. Cuius igitur ſecundo flatu nemo Imperatorum, aliuſue lętetur, quia nihil firmi, ſtabiliſque habet, vt multorum mortalium rebus aperte conſtat. Videmus enim Alexandri ſucceſsionem, qui in altiſsimum dignitatis culmen euaſit, vnius horę ſpatio euerſam conſpicimus. Nonne tot exercitibus, tot equitibus ac pedeſtribus copijs ipſum Regem Perſeum circundatum, nunc proſtratum, & euerſum, ex manibuſque hoſtium cibum potumque ſingulis diebus capere cernimus? Quare ſecundis rebus nemo æſtuet, & aduerſis triſtetur, ſed ęquo animo omnia ferat, ſemperque expectare debet, haud paruo timore in quem finem, pręſentis felicitatis inuidiam fortuna conuertat. Quę ſi Imperator perſpexerit, omnia iudicio & ratione geret, & ſibi ac victis, atque eorum afflictis rebus optime conſulet, maxime, ſi id Solonis animo complectetur, qui nullum ante mortem beatum eſſe dicebat. quiſque igitur ſeſe remiſſum pręſtet, ac vtranque reſpiciat fortunam, cuius vires alterutram partem ſpectant, & quo flecti debeat, omnino ignoratur. Ac de officio Imperatoris ſatis, ſuperque dictum eſt, deinceps de militum muneribus diſſerendum.

FINIS PRIMI LIBRI.

AD EMANVELEM PHILIBERTVM SERENISSIMVM ET INVICTISSIMVM SABAVDIAE DVCEM ETC.

DOMINICI CYLLENI GRAECI DE DISCIPLINA MILITARI, LIBER SECVNDVS.

De militum delectu. Cap. I.

QVVM militaria diſciplina, quædam ciuilis pars, ac facultas honoratiſsima ad reliqua a ciuilia potentię partea complectendas, atq; naturæ munere ſummopere neceſſaria, ſacramento adacta eſſe videatur, ſummo ſtudio. laboreq; eſt excolenda, & ſumma induſtria, ingenio, ac opera, quum rei. p. ſalutem complectatur, tranſigenda, nec ignauia Ducibus decernenda. Quam Iphicrates Dux Athenienſium humano corpori ſimilem eſſe volebat, hoc eſt, Ipſum copiarum ordinem: Pectus enim vocabat phalangem; moreue Romano legionem, manus, milites, leuis armaturę, Pedes, equites, quibus celeritas in eſt; caput vero Ducem, aut ipſum Imperatorem; Quorum quidem, aliquo deficiente, haudquaquam perfectus exercitus eſſe poteſt. Itaque militaris diſciplina huius Ducis ſententia in pedites, equites, & phalangem, more Græcorum, legionem, Romanorum, atq; Ducem diſtributa eſt, ſingulorum munera mihi deſcribenda pro virili parte ac exili ingenio duxi, maxime, quos Duces, quoſq; milites hæc nobiliſsima diſciplina habere debeat, nec illos ignauos, & hos ſine viribus. Quibus quidem rebus Magni Alexandri exercitus memoria accedit, in cuius exercitu triginta milia peditum, equitum quatuor & quingentos fuiſſe legimus, qui tam parua manu, iuueniſque, viginti fere annos natus, vniuerſum fere terrarum Orbem (doctiſsimorum virorum teſtimonio, atque diuorum uatum) aggreſſus eſt, & vicit. Non alia quidem ratione, niſi, quia militiæ peritus erat, & milites ad bellum idoneos elegerat. Non quidem primo ætatis flore, ſed veteranos, & emeritæ militię viros, qui ſub eius parente, ſtrenuo Rege, meruerant, vt non tam milites, quã magiſtros militiæ electos omnino putares. Nemo enim ordines, niſi ſexagenarius duxit. Nam ſi eius caſtrorum principia cerneres, Senatum te alicuius veteris rei. p. videre, diceres. Quorum profecto nemo in prælio fugam, ſed victoriam cogitauit; nec in pedibus & equis cuiq; ſpes, ſed in lacertis fuit. Erat enim Alexandro in bello huiuſcemodi hominũ genus rerum potituro ad obterrendum hoſtem paratum (teſtimonio Gaudemi Athenienſis propter exilium Alexandro infenſi.) Qui de exercitu a Dareo Rege rogatus, ita reſpondit. Hic tãti apparatus exercitus, hæc tot gentium, & totius orientis excita ſedibus ſuis moles, finitimis poteſt eſſe terribilia, purpura quidem nitet, auroque [illegible], & opulentia Regum, quæ non ferunt, ſed hoſtem magis propter prædam ad victoriam excitant. [illegible] & inculta, Clypeis, haſtiſque immobiles cuneos, confertaque virorum robora tegent. Nam ipſi phalangem, ſtabile agmen vocant, quo Paulus Æmilius, quum certaret, nihil terribilius eſſe dixit. Vir viro, Arma armis conſerta erant, ad nutum monentis intenti, ſigna ſequi, ordines ſeruare, optime didicere, quod Rex iubet, omnes exaudiunt, obſiſtere, circuire, in cornu diſcurrere, pugnamque mutare ſciunt, non Duces magis, quam milites callent. Et ne auri argentiue ſtudio teneri, quiſq; putet. Adhuc illa diſciplina paupertatis magiſtra ſtetit. Nam fatigatis, cubile eſt, humus, cibus, quem occupati parant, ſatiat. Tempora ſomnĳ noctibus ſunt artiora. Iam Theſſali equites, & Acharnanes, ac Ætoli inuicta belli manus, fundis & haſtis igni duratis credo, repellentur. pari robore opus eſt, In illa terra, quæ hos genuit, auxilia quærenda ſunt. Hæc ab eo de Alexandri militia dicebantur. Igitur Imperator ad bellum iturus huiuſcemodi Duces & milites parare debet, qui vt ĳ, militiam excolere connitantur, ſi victoriam cupit. Sed hoc ſupereſſe videtur, qua regione præſtat, milites eligere, quod plurimum militiæ prodeſſe videtur, quia gens genti, climatis ratione, præſtarẽ, certum eſt, tum ingenio, tum viribus. De Græcis & Romanis, omnibus liquet, qui militari ſcientia præ cęteris floruere, quamuis exercitatio naturæ addita plurimum proſit. Gallicum autem clima gentem ad bellum ſtrenuam, pugnæque auidam, & equitatu plurimum valentem protulit, tamen parumper laboris impatientem, in belli principio atrocem atque terribilem,

in fine torpeſcere. At Hiſpania viros, quorum corpora ad inediam, laboremque animi ad mortem parati, dura omnibus parſimonia, bellum, quam ocium malunt. ſi externus deeſt, domi hoſtem quærunt, ſæpe tormentis pro ſilentio rerum creditarum mortui, adeo illis fortior taciturnitatis cura, quam vitæ celebratur, quod conſtat bello punico ſerui illius pacientia, qui vltus dominum inter tormenta riſu exultauit, magnaque lætitia torquentium crudelitatem vicit. Siquidem velocitas gentis pernix, inquietus plurimis animus, militares equi, & arma ſanguine chariora ſunt, quod regioni tribuendum eſſe puto. Nam cœli elementiæ per omnem Hiſpaniam, equaliſque aeris ſpiritus, nulla paludum graui nebula inficitur. Hiſce accedunt & marinæ auræ, vndique ex aduerſo aſsidui flatus, quibus omnem prouinciam penetrantibus euentilato terreſtri ſpiritu, præcipua omnibus ſanitas redditur, quæ optimorum ingeniorum cauſa eſſe perſpicitur. Quos quidem homines ad bellum conducendos operepręcium eſſe duco. Et quidem ex agris magis, quam ex Vrbibus eligendos, quia ij molliores & laborum impatientes ſunt. At illi robuſtiores, & magis omnes perferunt labores, quia in eis diu corpora exercent, ſub diuo quidem in illis nutriti, ſolis patientes, vmbræ negligentes, balnearum neſcij, deliciarum penitus ignari, animorum ſimplices, paruis contenti, duratis ad omnium laborum tollerantiam membris. Quibus ferrum geſtare, foſſam ducere, onus ferre, ruri conſuetudo eſt. Vrbani quoque ad arma, vt alijs præſint, ſunt eligendi, quia ingenio magis & animus vigent. ſunt enim gloriæ honoriſque magis cupidi, & quum opus eſt, omnem laborem atque diſcrimen libenter ſubeunt. Nonne Athenienſes cum decem millibus ciuium magnas Perſarum copias (Duce Milciade) fuderunt? Nonne lacedæmonij Ciues tot hoſtes confecere? Nonne Romani ex Vrbe militum delectu in efficere ſolebant? Vnde militiæ gloria emanauit, niſi ex principum & ciuium eruditis ingenijs, quæ in Vrbibus culta fuerunt? Nam victoriæ fere omnes, magis induſtria, quam viribus partæ ſunt. Verum & in agro, & in Vrbe ſtrenuus miles effici poteſt, ſi militiam ab adoleſcentia, non repugnante natura, excolere cœperit, quia aſsiduo labore, armorumque vſu robuſtior reddi poterit. Quod quum Mythridates Rex Ponti animaduertiſſet, iminente hyeme, non in conuiuio, ſed in campo, non vacationibus, ſed exercitationibus, non inter ſodales, ſed equales, aut equo, aut curſu, aut viribus contendebat. Exercitum quoque ſuum ad parem laboris patientiam continua exercitatione durabat. Itaque inuictus ipſe inexpugnabilem exercitum reddidit. De qua quidem exercitatione, mox dicendum eſt,

De militis exercitatione. *Cap. II.*

OMNEM profecto doctrinam, & diſciplinam, tribus rebus (ſapientium teſtimonio) arte, imitatione, & exercitatione quiſque conſequi poterit. Imprimiſque certum eſt, quod illi, artis præcepta callere, opus eſt, ac illius principem imitari, vt milites, Alexandrum, Cæſarem, ac alios, qui tam præclare militiam excoluere, vt philoſophi Ariſtotelem, ſiue Platonem, oratores, Demoſthenem, aut Ciceronem, idemque de alijs iudicium eſt. At ipſam exercitationem omnium præſtantiſsimam eſſe arbitror, quia cætera perfectiora redduntur. Quocirca miles, ſiquam virtutis famam, & militaris præcipue diſciplinæ faſtigium attingere optat, ſeſe (more vetuſto) exerceat, & ſtrenuos belli duces imitetur. Nam Tyrones, mane & poſt meridiem ad omne armorum genus exercebantur, Veteres, & periti, ſemel in die. Non enim ætatis longitudo, aut armorum numerus artem bellicam tradit, & docet, ſed continua exercitationis meditatio. Siquidem miles bene exercitatus prælium cupit, imperitus vero formidat. In pugna enim magis vſum, quam vires prodeſſe, exploratum eſt. Quocirca Romana iuuentus belli patiens, in caſtris per laborem & vſum militiam diſcebat, magiſque in decoris armis ac militaribus equis, quam in ſcortis & conuiuijs (vt recentiores milites) libidinem habebant. Quibus quidem haud labor, inſolitus, locuſue vllus aſper, aut arduus erat, nec armatus hoſtis formidoloſus, eorum virtus omnia domuerat. Magnum profecto gloriæ certamen inter ipſos erat. Sic ſe quiſque hoſtem ferire, murum aſcendere, conſpici a Duce, dum huiuſcemodi facinus agere properabat, eas diuitias, eam bonam famam, ac magnam nobilitatem putabat. Nam huiuſcemodi (vt hiſce carminibus poeta canit) veteres ſeſe exercebant, maxime ab ineunte ætate.

Durum a ſtirpe genus, natos ad flumina primum
Deferimus, ſæuoque gelu duramus & vndis.
Venatum inuigilant pueri, ſiluaſque fatigant,
Flectere ludus equos, & ſpicula tendere cornu.
At patiens operum, paruoque aſſueta iuuentus.
Aut raſtris terram domat, aut quatere oppida bello
Omne æuum ferro teritur, verſaque iuuencum
Terga fatigamus haſta, nec tarda ſenectus

Debilitat vires animi, mutatque vigorem.
Caniciem galea premimus, ſemperque recentes
Connectare iuuat prædas & viuere rapto.

Idem de exercitatione latinorum.

Ante Vrbem Pueri & primæuo flore iuuentus
Exercentur equis, domitantque in puluere currus.
Aut acreis tendunt arcus, aut lenta lacertis,
Spicula contorquent, curſuque, ictuque laceſſunt.

Hæc enim illis priſcis temporibus erat iuuentutis exercitatio, & inuicta reddebatur, Cuius pręcipua ad ſudes erat, Quarum vſus plurimum prodeſſe videbatur. Nam nulla res magis, aut arma, aut campus inuictum virum probauit, niſi qui diligenter exercitatus ad ſudem docebatur, Hæc enim exercitatio magis idoneum militem ad cætera arma facilius tractanda reddebat. Siquidem a ſingulis iuuenibus ſingulæ ſudes in terram defigebantur, vt ſex pedibus eminerent, contraque ſudem illam, tanquam aduerſarium, & crate, & claua illa, veluti gladio ſe exercebat, & ſcuto, & modo quaſi caput, aut faciem percuteret, modo a lateribus minaretur, interdum poplites contenderet, cruraque ſuccideret, recederet, inſultaret, inſiliret, & quaſi præſentem aduerſarium adorietur. Itaque ſudem tanquam hoſtem omni impetu, omni bellandi arte tentaret, tandem optimus miles efficiebatur. Quam ob rem otium, munus militare obeuntibus omnino abſit. Militem quoque ad natandum peritum eſſe volo, quia flumina pontibus non ſemper tranſiri poſſunt, ſed cedendo, inſequendoque plerunque natare cogitur. Repentinis enim imbribus torrentes ſæpe exundari ſolent, plerunque ſub mœnibus certando in eorum foſsis plenis aquis obruitur. Cuius ignorantia, non ſolum ab hoſte diſcrimen patitur, ſed etiam ab aquis. Quare veteres Romani campum Martium Tyberi vicinum delegerunt, in quo iuuentus poſt armorum laborem & exercitationem ſudorem & puluerem, dilueret. Sciebant enim quod ocio, vires & animi torpeſcerent. Quocirca Lucani Spartanorum imitatores, a quibus originem traxerunt, liberos ſuos iiſdem legibus inſtruere ſoliti erant; Nam ab initio pubertatis in ſiluis inter paſtores degebant, ſine ſeruo, ſine veſte, quam induerent, vel cui incubarent, His cibus, præda venatica, potus mellis, lactiſque ac fontium liquor erat. Itaque ad bellicos labores indurabantur, atque ſtrenui euadebant. Hoc modo eorum progenitores ſpartani liberos ſuos ſtrenuos reddebant, Quibus quidem omnis diſciplina militaris ad recte obtemperandum, laboreſque tollerandos ac prælio vincendum huiuſcemodi parabatur. Siquidem progreſſu ætatis ad cutem vſque eos tundi, & diſcalciatos incedere, ac frequentius nudos ludere conſueſieri volebant. Peracto autem duodecimo ętatis anno ſine tunica iam degebant, Pallium vnum in annum capientes, corporibuſque ſqualidi erant, & qui, neq; balneas, neque vnguenta ſcirent. Cubabant autem ſecundum alas & Turmas in toris ex arundine conſtructis, quam ipſi ſecus Eurotam naſcentem conuehebant, ſummitates manibus, non ferro confringentes. Hyberno tempore autem, eos, qui lycophantes appellantur, ſibi ſubiiciebant, toriſque immiſcebant, Itaque ad omnem laborem & militarem palæſtram ſeſe exercebant, & in magna exiſtimatione habiti ſunt, adeo quidem, vt pari acie cum hoſtibus conſerere haud dignarentur. Hæc, ocium fugientes lacedæmonii conſecuti ſunt. Iccirco Catonem ſolitum dicere accepimus, homines nihil agendo, etiam male agere diſcunt. Atque ipſos Gymnoſophiſtas, neque cuique in die victum tribuere, qui aliquo officio cibum haud meruiſſet. Igitur omni ſtudio ocium, militi maxime, fugiendum eſt, qui ne deſes efficiatur, eo vacare debet, & ſe etiam in Vrbe exercere, præclarum Ageſilai facinus imitando. Quippe qui, quum omnem exercitum in Epheſum [illegible] ſuperet, turmis, ſi quis optime equitaret, peditibuſque, ſiquis egregio corporis robore præſtaret, præmia propoſuit, Itidem Scutatis & Sagyttariis munera declarauit, qui ſe ad debita opera maxime idoneos demonſtraſſent. Hinc cernebantur Gymnaſia viris ſe exercentibus, equorum ſtudia, equitandi ſtudio decertantibus referta, qui totam Vrbem ſpectaculo dignam reddidit. Nam & forum variis armis, equiſque venalibus plenum erat, & Ærarii Fabri, Ferrarii, Coriarii, Fullones, omnes, bellica parabant inſtrumenta, ita, vt uere Vrbem illam quaſi quandam belli officinam exiſtimares. Itaque ſiquis Imperator ſtrenuum militem habere cupit, eum exerceri, maxime, in Vrbe iubeat, vbi multis illecebris allici ſolet, ac propter ocium effeminatus effici, atque deſes, qui qualis ſit, hiſcę carminibus ab Heſiodo ſic deſcribitur,

Hunc homines odio, ſuperique ſequuntur.
Torpenti ſimilem fuco, cui ſpicula ſurgunt.
Horrida, diſtenſumque ſuauis conſumit edendo.
Semen Apum, piger ipſe ſedet, vitatque laborem.

Sunt maxime ab ineunte ætate pueri exercendi & corporis laboribus & optimis diſciplinis, & artibus informandi, vt his carminibus ſatyricus poeta docet.

Interea Muſis animus, dum mollior ætas.

Et mox initure legas, nec deſinat vnquam
Tecum Graialoqui, tecum Romana vetuſtas.
Antiquos euolue Duces, aſſueſce futuræ
Militiæ, latum retro te confer in æuum.
Libertas quæſita placet. Mirabere brutum,
Perfidiam domans, Metij ſaturabere pœnis,
Triſte, rigor nimius, torquati reſpice mores.
Mors impenſa bonum, Decios venerare ruentes,
Vel ſolus, quid fortis agat, te ponte ſoluto
Oppoſitus cocles, Mutij te flamma docebit.
Quid mora proſpiciat Fabius, quid rebus in arctis
Dux gerat, oſtendet Gallorum ſtrage Camillus.
Diſcitur hic nullos meritis obſiſtere caſus.
Prorogat Aeternam feritas tibi punica famam.
Regule, ſucceſſus ſuperent aduerſa Catonis.
Diſcitur hic quantum paupertas ſobria poſſit.
Pauper erat curius, Regem cum vinceret auro,
Pauper Fabritius, Pyrrhi cum ſperneret aurum,
Sordida ſeranus flexit dictator aratra.
Luſtratæ littore caſæ, faſceſque ſalignis,
Poſtibus affixi, collectæ conſule meſſes.
Et ſulcata diu trabeato rura colono.

Quibus quidem iuuenum animi militiam excolere cupientes informandi ſunt virtutibus, Græcorum perinde ac Romanorum monimenta lectitando, & illorum illuſtrium Ducum virtutes complecti, & egregia facinora imitari, quia militi conſuetudo cum principibus & ducibus eſſe videtur magnis de rebus vna colloquentibus. Virtus igitur militi ſummopere neceſſaria eſt, quæ nulla omnino eſſet tibi a maioribus tradita, neque vlla nobilitas, niſi tu eam feceris, claris rebus a te geſtis. Hoc modo veteres nobiles effecti ſunt, ſua (inquam) virtute, in qua vera nobilitas conſiſtit (omnium clariſsimorum virorum opinione) vt ſatyricus huiſce carminibus inquit.

Tota licet veteres exornent vndique ceræ
Atria, nobilitas eſt ſola, atque vnica virtus.

Hæc profecto ſpectanda, & eius ratio habenda eſt. Hanc tantum Turcarum princeps hodie miratur. Huic illa prædito omnem militiæ gradum & prouinciarum dignitatem decernit. Iccirco eius milites quodam certamine connituntur, ſemper aliquid egregij efficere, ſibique in hac re obſequi, nec mortem timent, vitam quamlibentiſsime profundunt. Hinc eius imperium breui coaluit. Non enim (vt noſtri) clara ſtemata eorum ſpectat, ſed opera, virtutem & præclara facinora. Noſtri autem, qui progenitores, huiſce, dignitatem, honorem (& ſi parum a belluis differant) decernunt, multis præconiis parentes proſequentes, ignauos filios extollunt ad magnum militiæ gradum & dignitatem, minus perſpicientes Reipublicæ ſalutem. quos ſatyricus poeta huiſce merito carminibus redarguit.

Blande tumes alto Druſorum ſanguine, tanquam
Feceris ipſe aliquid, propter quod nobilis eſſes.
Vos humiles, inquis, vulgi pars vltima noſtri.
Quorum nemo queat patriam monſtrare parentis.
At ego Cecropidas, Verum id tibi dicitur, at tu
Nil niſi Cecropidis, truncoque ſimillimus bermæ.
Nullo quippe alio vincis diſcrimine, quàm quod
Illi marmoreum caput eſt, tua viuit imago.
Dic mihi teucrorum proles, animalia muta,
Quis generoſa putet, niſi fortia? nempe volucrem
Sic laudamus equum, facili quo plurima palma
Feruet, & exultat rauco victoria circo.
Ergo, vt miremur te, non tua, primum aliquid da,
Rarus enim fermè ſenſus communis in illa
Fortuna, ſed te cenſeri laude tuorum.

Ipſe ego noluerim, ſic, vt nihil ipſe futuræ
Laudis agas. miſerum eſt aliena incumbere famę

Magis enim hominem humili loco natum, & virtutibus nitentem laudabo, quam retrorſum, ignauum, qui a claris progenitoribus ſuis vitijs plurimum degenerauit. In qua quidem ſententia eundem ſatyricum eſſe video. Qui ita de huiuſcemodi homine cecinit.

Malo pater tibi ſit Therſites, dum modo tu ſis
Aeacidæ ſimilis, Vulcaniaque arma capeſcas,
Quàm te Therſitæ ſimilem producat Achilles.
Et tamen vt longe repetas, longeque reuoluas
Nomen, ab infami gentem deducis Aſyllo.
Maiorum primus quiſquis fuit ille tuorum,
Aut paſtor fuit, aut aliud, quod dicere nolo,

Quum enim hoc verum ſit, non tantum parentum nobilitatem, ſpectandam eſſe, ſed ſiquid ipſe fecerit, & virtute (vt illi) ornatus fuerit. Itaque duplicem laudem omnino merebitur, quia virtus ſic vndique magis ac magis (vt Sol inter alia ſydera) elucebit. Qua de re qui ſe genere nobiles exiſtimant, ac ſummo loco natos, virtutibus ſe exerceant, vt ſibi & patriæ prodeſſe poſſint, ac duplici nobilitate decorari. Quanquam enim (teſte Cicerone) omnia alia falſa, incerta, caduca, mobilia ſunt, tamen virtus eſt vna altiſsimis defixa radicibus, quæ nunquam vlla vi labefactari poteſt, nullo vnquam dimoueri loco. Hac enim virtute Romani primum vniuerſam Italiam deuicerunt. Deinceps Carthaginem exciderunt, Nummantiam euerterunt, potentiſſimos Reges, bellicoſiſsimas gentes in deditionem ſui imperij redegerunt. Quamob rem iuuenes parta virtute pro viribus armorum facultatem (teſte Platone) comparare præſtat, quam corporis habitus robuſtior acquiratur. Nulla enim alia exercitatione, inferior hæc eſſe videtur, aut minus laborioſa. Præterea liberum hominem maxime exercitari decet equeſtri palæſtra, quia etiam in ipſa pugna plurimum proderit, quoties in acie ordineque certandum eſt, veluti quum acies diſſoluetur, & ſingulari certamine oportebit, vel inſequi repugnantem, vel ſuadentem in fugam repellere. Nunquam ſane, qui huius facultatis peritus eſt, vni ſuccumbet, forte vero nec etiam pluribus. Nam hæc facultas deſiderium affert, quia quiſque quum armis pugnare didicerit, diſciplinam circa ordinandas acies, quæ ſtatim ſequitur affectabit. Hæc autem aſſecutus, & circa hæc cupiditate gloriæ inflammatus, ad exercitus præfecturam ſe conferet, ac ſummatim ad omnia quæ circa hæc verſantur inſtituta, ac præclara ſtudia cognitione atque vſu digna ſeſe, prima illa ducente, conueniet. Præterea adiiciemus quodam haud contemnendum, quod vnumquemque in prælio audentiorem fortioremque mirum immodum, quamuis leuius, Cuique videri poſsit, qui & aptiorem ibi virum efficiet, vbi maxime aptum, promptumque apparere oportebit, Ibidem certe ob ipſam dexteritatem hoſtibus terribilior erit, quæ exercitatione omnia comparantur. Quibus adductus Iphicrates varijs modis ſuos exercebat, interdum fictis incurſionibus, falſis inſidijs, adumbratis proditionibus. Interdum ſimulatis itineribus, fictis inſultibus ac panicis terroribus, vt ſiquando hoc eueniret, minime timerent. Nulla quidem res magis ſtrenuum militem inſtituit, quam ipſa, de qua ſatis dictum eſt, exercitatio.

De ſtudio armorum, & ocio fugiendo militi.
Cap. III.

QVVM (vt ſępe dictum eſt) eandem contrariorum diſciplinam eſſe, militem ęque armorum ſtudium docendum, in idque omnem luxum conuertere ac ocium, quo corpus, & animus torpeſcit, aufugeret, operepręcium duxiſſe: neceſſe erit militi maxime Imperatori, in quo victoria, & tota belli moles conſiſtit, id obire. qua in re id Philæpomœnis mortalium oculis imprimis ſeſe offert, qui huiuſcemodi armorum ſtudium docuit Achęos (ij nanque quum prius ſcutis leuioribus) anguſtioribuſque vterentur, & ad protegenda corpora ſatis eſſe videbantur, Haſtilia quoque ſariſsis minora geſtare ſolebant. Quare eminus pugiles, agileſque bellatores erant, Cominus autem hoſtibus vſquequaque cedebant, in acie quoties phalange vtendum eſſet, quum neque frontem, neque teſtudinem (more Macedonico haberent) facile detrudi, diſsiparique, vti contingebat, poterant. Quo quidem perſpicitur quanti referat aciem inſtruere, & arma idonea geſtare, Atque Philopęmen his perſpectis, huiuſcemodi arma ferre, & nimium corporis luxum relinquere, ac in armorum ſtudium vertere. Quæ peritus Imperator alio ordine inſtituit, eiſque pro ſcuto clypeum, pro haſtili ſariſſam capere ſuaſit, vtque Galea, thorace, ocrea tecti, ſtatariam gradariamque pro curſatili ac tumultuaria, pugnam exercerent. Quumque omnes militari ętate florentes arma inducere docuiſſet, primum quidem ipſos eo extulit, vt ſe bel-

lis iniectos eſſe confiderent. Deinde delicatas, luxurioſaſque eorum impenſas ad optimum ornamenti genus tranſtulit. Hos igitur, quum a minus neceſſarijs ad vtilia & honeſta auertiſſet, omnes ita continuo induxit, vt quotidianis corporum vitijs impenſis in militaribus, ac bellicis rebus ſingulari ſe decore perornatos ſpectari cuperent. Itaque pulchrum erat cernere, refertas calicibus aureis & argenteis fractis ac patens officinas. Nam omnia, quibus ad luxum illi vtebantur, ad militarem ornatum conuertere. Nouerat enim Philopœmen bellicarum rerum peritus, non veſtium nitor, vel argenti, aut auri, aut gemmarum copię, hoſtes ad timorem, aut ad gratiam flectere, veluti Darei exercitus omnibus his refertus erat. Imprimis ad pompam, ſiue religionem ignis, quem Perſę ſacrum, ęternumque vocabant, argenteis altaribus præferebatur, magi proximi patrium carmen canebant. Hos trecenti & ſexaginta quinque iuuenes puniceis amiculis velati ſequebantur. Currum deinde Iouis ſacratum albi equi vehebant. Hos quidem eximiæ magnitudinis equus, quem ſolis appellabant, ſequebatur. Aureæ virgæ, albæque veſtes rigentes equos adornabant, haud procul vehicula erant decem auro argentoque cœlata. Cultus Barbaræ opulentię non alios magis honeſtabat. Ii aureos torques, veſtemque auro diſtinctam habebant, manicataſque Tunicas gemmis etiam mirifice adornatas. Exiguo quoque interuallo, quos Regis cognatos appellant, decem & quinque milia hominum, quę quidem turba prope muliebri more culta, luxu magis, quam decoris armis conſpicua erat. proximum his agmen ſoliti veſtem Regiam accipere. Hi profecto, Regis currum anteibant, quo ipſe eminens vehebatur. Vtrunque currus latus Deorum ſimulachra ex auro argentoque expreſſa exornabant, iugumque interpoſitæ gemmę decorabant, ac diſtinguebant, ex quo duo aurea ſimulachra cubitalia eminebant. Quorum alterum in alterum belli gerebat effigiem. Verum inter hęc auream Aquilam pennas extendenti ſimilem ſacrauerant. Cultus autem Regis inter omnia maxima luxuria notabatur. Purpurę Tunicę, medium album inter textum erat. Palam auro diſtinctam, aurei accipitres, velut roſtris inter ſe corruerent, adornabant, Zona autem aurea muliebri more, cinctus, acinacem ſuſpenderat, cui vagina ex gemma erat. Cydarim vero cęrulea faſcia, albo diſtincta circuibat. Currum decem milia haſtatorum ſequebantur. Haſtas argento exornatas, ſpicula auro pręfixa geſtabant, pecuniam Regis ſexcenti muli vehebant, & trecenti Cameli. At fœminarum Grex, non paruus quidem numerus, nec minori pompa Regem ſequebatur. Hoc armorum genere Dareus contra Ale andrum ac tot ſtrenuos viros, ferro tantum contectos pugnare decreuerat, ſed contra, ſiquis Gręcorum aciem intueretur, valde diſpar videbatur. Nam viri & equi non aurea, non diſcolori veſte, ſed ferro & ęre fulgebant. Erat agmen, & ſtare paratum, & ſequi, nec turbæ, nec ſarcinis pergraue, intentum quidem non modo ad Ducis ſignum, ſed & nutum, vt peritos belli milites decet. Icirco quam optime Gaudemus Athenienſis, Cui infenſus Alexander erat, Dareum monuit hanc pompam eſſe relinquendam. Quippe qui a Rege de exercitu rogatus, hoc modo reſpondit. Hic tanti apparatus exercitus, hęc tot gentium & totius orientis excita ſedibus ſuis moles, finitimis terribilis eſſe poteſt. Purpura quidem nitet, auroque arma fulgent, & opulentia Regum, quę non feriunt, ſed hoſtem magis propter prędam, ad victoriam excitant. At Macedonum acies, torua & inculta, Clypeis, haſtiſque immobiles cuneos, conſertaque virorum robora teget. ipſi phalangem vocant, ſtabile agmen. Quo, Paulus Æmilius, dum cum Perſeo confligeret, nihil terribilius eſſe dixit. Vir viro, armis arma conſerta ſunt, ad nutum profecto momentis intenti, ſigna ſequi, ordines ſeruare optime didicere, quod Rex iubet, omnes exaudiunt, obſiſtere, circuire, diſcurrere in cornu, pugnam mutare optime ſciunt; non Duces magis, quam milites eam peritiam callent, Et nec auri, nec argenti ſtudio teneri putes. Adhuc illa diſciplina paupertatis magiſtra ſtetit. Reſpice milites, cuius ſint roboris, Iam Theſſali equites, & Acharnanes, Ætolique inuicta bello manus. fundis credo & haſtis igne duratis repellentur, pari robore militibus tibi opus eſt. In illa terra, quę hos genuit, auxilia quęrenda ſunt. At Rex veritatis impatiens, hoſpitem ac ſupplicem, tunc maxime ſibi vtilia ſuadentem capitis ſupplicio affici iubet. Quippe qui eius victorem cito adeſſe ignorabat. Itaque effectum eſt, vt ſępe profligatus, vitam cum Regno amitteret, quia eius ſalutis & armorum doctori minime obtemperare voluit, ſed interfici curauit, putabat enim Rex tanta & hominum & armorum pompa ſtrenuum & veteranum militem vincere, vt & ipſi ſamnites Romanos hoc armorum genere (Imperatore eorum Papyrio) Qui, re intellecta, aduocata concione, multa de vniuerſi genere belli, multa de ſamnitium apparatu vana magis ſpecie, quam efficaci ad euentum diſſeruit. Aiebat enim haud criſtas vulnera facere, & per picta aurataque ſcuta tranſire Romanum pilum, & candore Tunicarum fulgentem aciem, vbi res ferro geritur, cruentari, auream olim, atque argenteam ſamnitium aciem a parente ſuo occiſam, ea ſpolia victori hoſti honeſtiora, quam ipſi arma fuiſſe. Quare Imperator non pompę, ſed armorum ſit ſtudioſus, aptaque arma geſtare milites diligenter doceat. Magnam enim armorum mutationem diuerſis temporibus factam fuiſſe, memorię proditum eſt. Nam ab Vrbe condita vſque ad Diui Gratiani tempus, & Cathafractis & galeis pedites armabantur, Sed campeſtri exercitatione interueniente, quadam negligentia deſidiaque, grauia videri arma cœperunt, Quę raro milites induebant. Itaque hac deſidia moti, ab Imperatore primo cata-

phracta. Deinde caſſides deponere poſtulabant. ſic detectis pectoribus & capitibus milites multitudine ſagyttarum ſæpe deleti ſunt. Itidem noſtra ætate maxima armorum equitum mutatio, & peditum facta fuit, quam nec vitio dare queo, quia noua bella nouis armis egent. Neſcio profecto, quod armorum genus hiſce tormentis magnis & paruis reſiſtere poſsit? Nullum profecto video, nec ipſe murus, qui eorum vi ſolo ſæpe æquatur. Verum mihi placeret, ſi hoc totum fere armorum genus mutaretur a Ducibus, quum neque minimis tormentis reſiſtere poſsit, valet tantum contra cæterorum ictus armorum, vt haſtam, enſem, & clauam. Capita & brachia armari placeret, pectus tantum thorace & leua ſcuto, aut Clypeo, contecto vtroque aliqua materia, vt lana, vel alia, pilis cedente, duorum vel trium digitorum magnitudine vtriſque ſupereminente materia ipſa. Clypeus autem more vetuſto fabricetur, & materia illa ſuperponatur. Hæc facile ſcutoribus tormentis reſiſtere poterit, ac plurimum militi prodeſſe, & ad pugnam, relicto tanto armorum pondere, agilior ac expeditior reddi. Nam paruis confoſſus miles tormentis, lamia, ferrumue aliud carnibus pila infixum magis ſibi obeſt, quam ipſa pila, difficilius etiam vulnus curari poteſt: ſatius enim fuiſſet in hoc periculo, ſi ſine armis fuiſſet, ne eum multiplici vulnere curari oporteret. Armari huiuſcemodi equum non vitupero hac materia (vt dictum eſt) phaleris ſuperpoſita. Nouo enim belli generi noua armandi ratio eſt indaganda & adhibenda, maxime propter ipſa tormenta vere ab inferis in mortalium generis perniciem profecta. Hinc multæ hominum cædes, & locorum ruinæ, ac diuturna bella orta ſunt. Horum enim tormentorum periculis nullus princeps aperto Marte pugnare audet, bella vero diferendo detrectat. Dura enim & aſpera ac immania ſunt his temporibus bella, adeo quidem, quod ſummopere miror homines ad ea eſſe aliqua pecunia, niſi fortaſſe coactos, acceſſuros, quia in apertam mortem tendunt, ſuæ ſalutis obliti. Iccirco nullus miles ſuam virtutem oſtentare poteſt, qui ab ignauo, hoc tormenti genere, ſæpe conficitur. Deinde alia propoſita fuit, militi otium omnino fugiendum eſſe. Nam ſicut ſtudio & induſtria læto militiæ ſpiritu ſtipendia, gloria, honor fama ac cætera eius ornamenta augentur, ciuilis gloria accenditur, fido pectorum cuncta ſtudia recepta aluntur ac nutriuntur, atque quicquid cæteris corporis partibus admirabile eſſe videtur, ad laudis honoriſque cumulum perducitur, ſic otio hæc omnia labefactari ac retro refferri, certum eſt. Igitur quum ita ſit, caueat Imperator, ne otio milites torpeſcant, ſed laboribus quotidie perſiſtant. Nam Dyoniſius Siciliæ Rex vt milites ſtrenuos haberet, & ne ocioſi ſederent, pulſis Carthaginenſibus, occupatoque totius inſulæ Imperio, graue Regno ſuo otium, periculoſamque tanti exercitus deſidiam ratus, copias in Italiam traiecit, ſimul vt militum vires continuo labore accuerentur, & Regni fines proferrentur. Græcos enim qui ferme vniuerſam Italiam poſsidebant expellere conſtituit, vt milites ab otio remoueret. Romanos quoque poſt primum punicum bellum viginti annorum curſu, pax illa, ita vbique victores, otio & armorum deſuetutine eneruauit, vt ſecundo punico bello Annibali pares eſſe non poſſent. Sed hoc deterius fuit, ſi Polybio fides eſt adhibenda, Romanos, omnium ſimul ex tota Italia numerum armatorum ſepties centena milia peditum, equitum vero ſeptuaginta habuiſſe. Aduerſus hos Annibal parua militum manu in Italiam irrumpere auſus fuit. Qui quidem tot conſulibus, tot Ducibus, tot exercitibus amiſsis, tum demum ad victoriam peruenere, quum vſum militarem condiſcere cœpere. Nam ex otio laſciuire & priſtina mala, vbi fores deerant, domi quærere perſpectum eſt. Tribuni quoque plebem ſuo veneno, agraria lege, agitare, in reſiſtentes incitare patres, nec modo in vniuerſos, ſed in ſingulos. Inde multa mala euenerunt, & ſegnes in bello reddebantur. Quod & ipſi ſertorio euenit. qui quidem aduerſante iam fortuna, bellicarum rerum laborem vltro depoſuerat, inter diuitias, mulieres, conuiuia verſabatur. Qua de re vinci ſæpe contingit, ac ad ſummam redactus calamitatem a Perpenna in conuiuio (vt dicitur) interficitur. Itaque vir bellicoſus ac fortunatus, quem celtiberi ob agendarum rerum promptitudinem, alterum Annibalem appellare ſolebat, quem audaciſsimum ac aſtutiſsimum apud eos fuiſſe, nouerant, otij cauſa ſic interijt. Hoc ipſum Alexandri exercitum Babilonium otium, & capuanum Annibalis ſegnem reddidit. Optime igitur hac de re vir ille optimus Carthaginem non eſſe delendam iudicabat, cuius æmulatione & gloriæ cupiditate, armorum ſtudio Romana iuuentus tenebatur, et aſsiduo bellorum uſu ſtrenua reddebatur. quod quum ſecus actum eſſet, torpeſcere cœpit, & in ſe arma vertere. Hoc quiſque caueat, quia multorum malorum cauſa eſſe videtur, maxime belli Dux, ſi ſtrenuos milites habere cupit, quia deſidia & otium arma detrectare docet.

De fide militis in ſuum Imperatorem. Cap. IIII.

VERVM quantam ſingulæ virtutes laudem merentur, nec quidem linguam aliquam earum partem exprimere poſſe arbitror, maxime, venerabile fidei numen, quæ vires ſuas, certiſsima humanæ ſalutis pignora oſtentat, vellut cæterarum virtutum clariſsimum lumen, quod quamuis in multis eluceat, in hoc latius reſplendet eius ſacratiſsima imago. Nam quum quædam triremis errabunda ac tempeſtate ad Egimurum delata, a Marij & M. Octauij claſſe capta eſſet, in qua Veterani Cæſaris milites cum

vno Centurione erant, quos Varus ſine contumelia aſſeruatos ad Scipionem, qui Pompei partes ſequebatur, ducendos curauit. Qui capti milites vbi ad eum peruenerunt, & ante eius ſuggeſtum ſtetiſſent. Non veſtra (inquit) Scipio ſponte vos certe ſcio, ſed illius ſcelerati Imperatoris impulſu & Imperio coactos, Ciues, & optimum quenquem nefarie conſectari. Quoniam fortuna, quos in noſtram poteſtatem detulit, ſi id, quod facere debetis rem.p. cum optimo quoque defendere volueritis, certum eſt, vobis vitam & pecuniam donari. Quapropter quid ſentiatis, proloquamini. Quæ quum Scipio perorаſſet, & exiſtimaſſet, pro ſuo beneficio ſine dubio ab his gratias ſibi actum iri, ĥs dicendi poteſtatem fecit. Cui Centurio (O magnam militis huius in ſuum Imperatorem, fidem, omnibus quidem ſæculis memoriæ prodendam) pro tuo (inquit) beneficio Scipio gratias ago. Non enim te Imperatorem appello, quod mihi vitam, incolumitatemque belli iure capto polliceris, & forſan iſto vterer beneficio, ſi non ei ſummum ſcelus adiungeretur. Ego ne contra Cæſarem Imperatorem meum, apud quem ordinem duxi, eiuſque exercitum, pro cuius dignitate victoriaque amplius ſeptem & triginta annis depugnaui aduerſus, armatuſque conſiſtam? Neque id ego facturus ſum, teque, vt negotio deſiſtas, magnopere hortor, ne contra eius copias contendas, ſi minus antea expertus es, licet, nunc cognoſcas, elige ex tuis cohortem vnam, quam fortiſsimam eſſe putas, atque firmiſsimam, & contra me conſtitue. Ego autem ex meis commilitonibus, quos nunc in tua poteſtate habes, non amplius decem ſumam. Tunc ex virtute noſtra intelliges, quid ex tuis copiis ſperare debeas. Quod poſtea re ipſa exploratum fuit. Quippe qui, ſibi iuba Rege auxiliante cum vniuerſo exercitu, parua quidem manu profligatus ſuit. Vbi hæc Centurio magna fide, præſtanti animo aduerſus eius opinionem locutus eſt. Quare ira, doloreque animi perculſus Scipio, ac furore incenſus, Centurionibus annuit, quid fieri vellet, atque ante pedes Centurionem ac veteranos a Tyronibus ſecerni iubet, abducite (inquit) iſtos nefario ſcelere contaminatos ac ciuium cæde ſaginatos, ſic extra vallum deducti, interficiuntur. Cuius quidem Centurionis fides (vt erat magnanimi Imperatoris) veniam omnino merebatur, fidem ſpectando, virtutem & animum admirando. Quem ſi fortaſſe ad Cæſarem incolumem cum cæteris remiſiſſet, magnam reconcilationis & pacis & amicitiæ ſpem attuliſſet, nec ipſe vitam cum morte commutaſſet. Non mori Centurio, ſed honorari merebatur, vt tanta eius fides cæteris ſpectaculo eſſet, & virtutis monimento, atque magnanimi animi omnibus exemplo. Pulchrius enim indulgere & veniam dare, ducimus, quam vlciſci, quod minorem laudem meretur. At Petilini quanti fides fieri debeat hoc egregio facinore, vt poſteritati eſſet exemplo, ſatis oſtenderunt. Qui ab Annibale obſeſsi, legatos ad Senatum auxilium implorantes, miſerunt, quibus propter recentem cladem cannenſem ſuccurri minime potuit. Sed eis permiſſum eſt, vt facerent, quod eorum incolumitati & ſaluti vtile videretur. Sed illi vt in Romanorum fide perſiſterent, fœminis & omni ætate imbelli egeſta, quo tutius armati famem traherent, in muris pertinaci animo perſtiterunt, totaque eorum Ciuitas prius expirauit, quam vlla ex parte Romanæ Societatis, vetuſtæque fidei rationem depoſuerint. Itaque Annibali, non Petiliam, ſed fidum Petiliæ ſepulchrum capere contingit. Hoc ipſum etiam Saguntinis, qui ob fidem in Romanos Annibalis armis intra ſuæ Vrbis mœnia compulſi, quum vim punicam amplius arcere nequirent, cariſsimis omnium rebus in forum collatis, ac vndique circundatis, accenſiſque igni nutrimentis publico & communi Rogo ſemetipſos ſuperiniecerunt. Itidem alij complures mori malluerunt, quam fidem aliqua ex parte violare. Quæ quidem non ſolum amicis, ſed hoſtibus ſeruanda eſt, eamque violare, & turpe, & obſcænum eſſe ducimus. Sed in dandam, accipiendamque ſummopere cauendum eſt (quia leuis eſt hominis) omnibus credere, maxime hoſti, qui ſub huius diuino fidei numine ſæpe fallere nititur, Vt Nicias Dux Athenienſium e caſtris Athenas petiturus, ita ab Hermocrate decipitur, qui eius profectionem ita retardauit, Nam, quoſdam viros ad Niciam ire iuſsit, qui ſe ab illis miſſos dicerent, quibus cum clandeſtinos habere ſermones conſueuerat, atque eorum nomine admonerent, proxima nocte diſcederent, Syraguſanos pluribus locis inſidias poſuiſſe, atque aditus omneis militibus ſeptos tenere. Quo nuncio facile deceptus Nicias, nocte illa in caſtris ſubſtitit, ne nocte iterum pugnare cogeretur. At Syraguſani repente, exorta luce, anguſtos, quoſque ac difficiles aditus Cæſis arboribus, deſuper congeſtis lapidibus obſtruxere, ac omnes fluuiorum alueos clauſerunt, ponteſque illis ſuperpoſitos reſcindere. Quę vero per apertos campos itinera ferebant armatis equitibus obſedere, ita vt nullus abſque pugna euadendi locus Athenienſibus pateret. Itaque fide Nicias deceptus rem minus proſpere geſsit. Nemo igitur hoſti fidem adhibeat, niſi cautior ab eo reddatur. Sed id Temiſthoclis, & pharet Iaſonis ac Fabij Max. ſummo ſtudio excolat, quos accepimus omnia facile celare, tacere, diſsimulare, inſidiari, atque hoſtium conſilia præripere, quod eſt prudentiſsimi Imperatoris. Quid enim ſtultius illi credere, qui vitam petere, rem ſurripere, honorem auferre, famam præoccupare, & quicquid boni eſt, nititur: Idem ferre Cæſarianis militibus Maſsiliam obſidentibus accidit. Quippe qui Muſculo parato ad expugnandam Vrbem, quum parum abfuiſſet, quin cœpiſſent, Maſsilienſes, qui Pompei partes ſequebantur, ex muro ac turribus ſubmouentur, ſpe omni retinendæ ciuitatis amiſſa, perterriti eorum animi, cum infulis inermes ex porta vniuerſi proripiunt, ad legatos, exercitumque ſupplices

plices manus tendunt. Quare noua oblata omnis belli adminiſtratio conſiſtit, militeſque auerſi, ſtudio videndi, a prælio, audiendi, videndique feruntur. Vbi hoſtes ad legatos & exercitum peruenere, vniuerſi ſe ad pedes proiciunt, orant, vt Cæſaris aduentus expectetur, ſuam Vrbem captam videri, opera perfecta, turrim ſubrutam. Itaque a defenſione deſiſtere, nullam exoriri moram poſſe, quo minus quum veniſſet, ſi imperata non facerent, ad nutum e veſtigio diriperentur, docent. Hæc atque huiuſmodi generis quam plura magna cum miſericordia ac fletu pronunciãtur. Quibus rebus commoti legati, milites ab opere deducunt, iubentque ab oppugnatione deſiſtere, operibus cuſtodias relinquunt, inducijſque factis Cæſaris aduentus expectatur; nullum ex muro, nullum a Cæſarianis telum mittitur, vt re confecta, curam, diligentiamque omnem in bello remittunt, Hoſtes, violata fide, e portis erumpunt, ſecundo magnoque vento operibus ignem inferunt, vt vno tempore agger, Plutei, teſtudo, turris ac tormenta flammam acciperent, quæ omnia breui conſumpta fuere. Quare fidem citro vltroque datum hoſti & acceptam haud tutam ſine obſidius eſſe video. Quibus autem non eſt ſeruanda iam dictum eſt.

De milite prædæ non eſſe auido ante victoriam. Cap. V.

QVANTO ſtudio, quantaque cura miles hanc indagatricem latentium lucrorum auaritiam & auidiſsimam alienarum rerum voraginem vitare deberet, eius miſeribus exitus probat, atque docet. Cuius profecto nec honoris, nec dignitatis eſt ratio, nec vllus rerum modus, eſt denique omnium virtutum inimica, & eius fructu alij frui ſolent. Quæ quum omnibus ſit pernicioſiſsima labes, militem præcipue lædit. Illa enim paucioribus efficere poteſt, hæc autem pluribus, quæ ſæpe contra communem ſalutem pugnare ſolet. Quam, vti miles, maxime Dux, fugere debeat, hoc præclaro facinore docuit Alexander in caſtris. Qui cum Dareo Rege Perſarum confligeret, quidam eius Dux Mazius nomine mille equites ad diripienda Alexandri impedimenta mouit, Ratus captiuos, qui aſſeruabantur, vincula rupturos, quum ſuos aduentare vidiſſent. Parmenio autem hoc cognito, qui in læuo cornu erat, propere Polydamanta nuncium ad Regem Alexandrum prælio implicitum mittit, qui & periculum, & quid fieri iuberet, conſuleret. Ille audito nuncio, prudenter reſpondit. Nuncia (inquit) Parmenioni; ſi acie vicerimus, non noſtra ſolum recuperabimus. Sed hoſtium omnia erunt in noſtra poteſtate. Quare non eſt, quod quicquam virium ſubducat ex acie, ſed vt me & Philippo patre dignum eſt, contempto ſarcinarum damno, fortiter dimicandum eſt. In hoc docuit militem non prædæ, ſed victoriæ auidum eſſe. Gens autem Fabia ſex. ccc. propter pecora diripienda circumuenta inſidijs, omnes Fabij ad vnum cæſi fuere, vnumque (vt aiunt) prope puberem ætatem relictum, gentis Fabiæ ſtirpem. Quam & cladem prædę cupido ſamnitibus attulerit, non eſt ſilentio prętereundum. Nam quum Romani trepidi in aciem ſtarent, tam vires, tam conſilia Ducibus deerant, quum ſubito Samnitum equites cum turma vna longius prouecta Romanorum impedimenta accepiſſent, procul ab armatis ſine præſidio, ſine munimento ſtare prædę auiditate impetum faciunt, quod vbi dictatori nuncius trepidus, attulit, ſine modo (inquit) ſe præda præpediant. Alij deinde ſuper alios paſsim diripi, ferriq; fortunas militum vociferabantur. Tum magiſtro equitum accito, vides tu (inquit) M. Fabi ab hoſtium equite omiſſam pugnam, noſtris hærent impedimẽtis, aggredere. Quod interpredandum multitudini euenire ſolet, diſsipatos, equis inſidẽtes raros, quibus ferrum in manu ſit, inermes, equos cæde inermes cruentamque illis prædam redde, mihi legiones, peditumque curæ pugnæ erunt, penes te equeſtre ſit, decus, equitum acies, qualis, quę eſſe inſtructiſsima poteſt inuecta in diſsipatos, impedimentiſque hoſtes, cæde omnia reple. Inter ſarcinas omiſſas repentes obiacentes fugientium pedibus, conſternatorumq; equorum, neq; pugnę, neq; fugę ſatis potentes cęduntur, ac denique profligati Samnites inter æquos, & ipſe Imperator cecidit. Igitur poſt victoriam præda ſemper eſt relinquenda. Multi enim eius cupiditate exercitus cæſi fuere, & vita cum vniuerſa præda amiſere. Turpe eſt enim honori, gloriæ, famę ac communi omnium ſaluti aurum & argentum præferre.

De ordine militis, ſeu totius exercitus. Cap. VI:

SIQVIDEM parum militi vires, parum ingenium, ſtudium armorum a cæterarum rerum induſtria prodeſſet, niſi hiſce ordo acceſsiſſet, ſibi honorem, ducique victoriam & laudem cum ſumma omnium dignitate affere. Quam ob rem eum omni cura illis ſeruandum eſſe exiſtimaui. Hic namque, more Romanorum ante omnia ita excolebatur. Nam L. Flacco, & C. Varrone conſulibus, milites primo ſacramento adacti conſtituebantur. Antea enim ſacramento tantummodo a tribunis rogabantur. Cæterum ipſi inter ſe tantum iurabant ſe fugæ formidinis cauſa non abituros, neque ex ordine diſceſſuros, niſi teli petendi, feriendiue hoſtis, aut ciuis ſer-

tandi cauſa. Ordo igitur militis talis erat. Grauis armatura pro muro ſtabat, in qua pri ma & ſecunda acies immota ſtabat, Triarij vero reſidebant. Leuis armatura aduerſarios prouocabat, ante aciem procedentes, ſi hoſtes fugere poterant, ſequebantur, ſi eorum virtute ac multitudine præmebantur, ad ſuos reuertebantur, & poſt eos ſtabant. Grauis autem armatura prælium excipiebat, & tanquam murus ſtabat, & ſi hoſtes fugaſſet, non ſequebatur, ne aciem ſuam, ordinemque turbaret. Sed leuis armatura fugientes ſequebatur, hoſtes hac diſpoſitione & ordine ſine periculo legio vincebat, aut ſuperata incolumis ſeruabatur. Hoc enim eſt legionis, nec fugere, nec hoſtem ſequi. Siquidem ipſi Romani antea Clypeis vſi ſunt, deinde poſtquam ſtipendiarij facti ſunt, pro illis ſcuta fecere, & quod antea phalangibus Macedonicis ſimilibus poſtea manipulatim aciem inſtruebant, poſtremo in plures ordines, vt eſt apud Liuium. Hoc ipſo ordine & ipſi latini vſi ſunt. Tempore autem vetuſtiori, vt in bello Troiano, vt refert Homerus, Neſtor ſic ſuos inſtruxit.

Equites quidem primum cum equis & curribus,
Pedites autem a tergo conſtituit, multoſque & fortes
Vallum eſſe belli, debiles autem in medio incluſit,
Vt & non volens aliquis, neceſsitate pugnaret.
Equitibus primum quidem iuſſit, hos enim iuſſit
Suos equos tenere, neque turbari in multitudine,
Ne autem quis equitatuque & virilitate confiſus
Solus ante alios promptus ſit cum Troianis pugnare,
Neque recedat, imbecilliores enim critis.
Quicunque autem vir a ſuis curribus alios currus perueniret,
Lancea pugnet, quoniam multo melius ſic.
Sic antiquiores ciuitates & muros deſtruxerunt.

Hæc Homeri carmina in latinum minus recte, ſed dure tranſlata eſſe video, quæ cæteri curent, ordinē belli in pręſentia mihi ſpectari ſatis eſſe video. Quo quidē ordine priſci illi homines cōmodius fortaſſe vtebātur, qui recentiori militię plurimū obeſſet, maxime ſi primo loco equites locarentur propter tormēta. Mos enim ille uetuſtus ſic poſcebat, qui omnis militię robur in curribus et equitibus erat, maxime, quia Græci magis valent equitatu, quā peditatu. Nā, ſi more noſtro, in fronte pedites locati fuiſſent belluarum pedibus confracti fuiſſent. Itaq; tempore illo huiuſcemodi militum ordo optime diſpoſitus fuit. Nam noua bella nouam decertandi rationē requirunt, & noua arma & nouam artem. Eſt enim hoc in acie ordine Scipionis vtendum, vt robuſtior miles cornu infirmius adoriatur, quem ipſum in Hiſpania aduerſus Hannonem ſeruaſſe legimus. Qui quidem quum punicam aciem directam animaduertiſſet, & in dextro cornu Hiſpanos conſtitutos vt robuſtiorem militem, & alienum negocium agentem. In ſiniſtro vero cornu latius, minus viribus firmiorem, & animi conſternationis, relicto ſiniſtro latere ſuorum, dextro cornu, quod validiſsimum militibus extruxerat, obliqua acie cum hoſte conflixerat. Deinde fuſis, fugatiſque Afris, Hiſpanos, qui in receſſu ſperantium ſteterant, facile in deditionem compulit. Mardonius autem copiarum Perſarum Imperator cum Pauſania pugnaturus totum fere diem in mutandis ordinibus conſumpſit, quia Græcos milites, quos ipſe habebat, Græcis hoſtibus opponere volebat, quibus quidem Perſas ſuccumbere ſciebat. Quocirca operæpretium eſſe duco, vt miles militis ordinem (ſi fieri poteſt) ignoret, quia gentem ſcire opponere, ſiue obijcere genti, plurimum prodeſſe video. Quare Philippus Macedonum Rex aduerſus illyrios pugnaturus, vt hoſtium frontem animaduertit ſtipatam ex toto exercitu militibus electis, latera infirmiora, fortiſsimis ſuorum in dextro cornu collocatis, ſiniſtrum hoſtium latus inuaſit, turbataque tota acie profligauit. Iudem Parmenes Thebanus conſpecta Perſarum acie, quæ robuſtiſsimas copias in dextro cornu collocatas habebat, ſimili ratione ſuos ordinauit, & omnem equitatum ac fortiſſimum quenquem peditum in dextro cornu, contra fortiſsimos autem hoſtium infirmiſsimos poſuit, pręcepitque vt ad primum eorum impetum ſibi fuga conſulerent, & in ſilueſtria confragoſaque loca ſe reciperent. Itaque robore exercitus fruſtrato, optima parte virium ſuarum dextro cornu totam hoſtium aciem circuiuit, & euertit. Qua ratione hoc effici poſſit, Scipio Africanus optime docuit. Qui aduerſus Aſdrubalem, Ducem Pœnorum in Hiſpania bellum gerens, per continuos dies ordinatum exercitum ita produxit, vt media acies fortiſsimis fundaretur, ſed quum hoſtes eadem ratione, quanquam aſsidue ordinati procederent, Scipio eodem die, quo decernere ſtatuerat, ordinem commutauit, & legionarios in cornibus collocauit, leuemque armaturam in media acie, ſed retractata. Ita cornibus, quibus ipſe pręualebat, quam firmiſsimas hoſtium partes lunata acie aggreſſus, facile fudit. Q. Metellus in Hiſpania, eo pręlio, quo Herculeium de vicit, quum eius cohortes comperiſſet, quę validiſsimę vocabantur, in media acie

locatas, ipſe mediam ſuorum aciem reduxit, ne ante eam partem cum hoſte confligeret, quam cornibus confligatis medios vndique circumueniſſet. Igitur ordinem [illegible] ſeruare, & quum opus eſt, mutare ſapientis Ducis & militiæ peritiſſimi eſſe arbitramur. eiuſmodi multi Duces victores fuere, quia hoſtes, non alia ratione quam ordine ſuperarunt. Qui quidem ſummam omnibus in rebus laudem meretur, vt ille Alexandri ordo omni parte optime conſtitutus oſtendit. Quippe qui cum Dareo pugnaturus, ita totum exercitum diſpoſuit. In dextro cornu locauit [illegible] equites, quibus clytus preerat, cui philotę turmæ iunctę fuerunt, cęterosque prefectos equitum lateris eius applicuit, vltima Meleagri ala ſtabat, quam phalanx ſequebatur, poſt phalangem Argyraſpes erant, his Nicanor preerat, cui cenos in ſubſidijs ſua acie ſtetebat, poſt eos Oriſtes atque Lyncęſta. Hos Polyperchon Dux peregrini militis ſequebatur, huius agminis Amyntas Princeps erat. Philagus balacros regebat. Hęc enim dextri cornu facies erat. At in leuo Craterus Peloponnenſium equites habebat, Achęorum Locrenſiumque Maleon turmis ſibi adiunctis, hos, Duce Philippo, Theſſali equites claudebant. peditum acies equitatu tegebatur. Sed ne a multitudine Perſarum circumueniri poſſet, valida manu vltimum agmen cinxerat. Cornua quoque ſubſidijs firmauit, haud quidem recta fronte, ſed a latere poſitis, vt ſi hoſtis aciem circumuenire tentaſſet, pugnæ parata forent. Hi erant milites Agriani, quibus Attalus præerat, adiunctis ſagyttarijs Cretenſibus, vltimos auertit a fronte, vt totam aciem orbe muniret, ij Illyrici erant, militę mercede conducto his adiuncto. Thraces quoque leuiter armatos ſimul adiecerat, adeoque aciem verſatilem poſuit, vt qui vltimi ſtabant, ne circumuenirentur, tamen verti, & fronte circumagi poſſent. Itaque non prima quam latera, non latera munitiora fuere quam terga. Sic totus exercitus ad pugnam paratus & tutus reddebatur, quo ordine magnas Perſarum copias fudit. Quare Imperator cautus ſit & prudens, inter alia ſubſidijs aciem firmare. Secus enim magno diſcrimini eſſet, vt ab hoſte profligaretur, vt ſæpe accidit. Nam quum Romani & Hetruſci infenſis animis concurrerent, anceps prælium multos vtrinque, & fortiſſimum quenquem abſumit. Nec quidem prius inclinata res eſt, quam ſecunda Romana acies ad prima ſigna feſſis integri, qui ſemper in prælio ad idoneum tempus ſeruandi ſunt, ſucceſſerunt. Hetruſci, quia nullis recentibus ſubſidijs prima acies fulta fuit, atque firmata, ante ſigna, atque circa omnes ceciderunt. Igitur tempore pugnæ ſolerti animo hæc omnia Dux complectatur, ac ſummo ſtudio ſeruet, vt exercitus ſit optime in aciem deductus, vt tempus & ratio & ſua & hoſtis requirit.

Cuius profecto ordinem, ſi æque Græcorum, ac Romanorum more diſſeruero, nec quicquam aliorum opinione relictum fuerit, tamen Duci ſumma prudentia opus eſſe video, quia nec ſibi omnia artis præcepta tradi poſſunt, ſed ipſe nactus occaſionem, oportet, plerunque multa mutare, addere, minuereque, vt belli ratio ſeſe obtulerit, & hoſtis ordo, quem Dux ſemper ſpectare debet. Nunc ad inſtituta reuertar. Quum enim Græci phalange, Romani legione vtantur, & quum variæ ſint ſpecies, maxime phalangis, ordo aciei prudentiſs plerunque Ducis iudicio eſt relinquendus. Phalanx enim ſiue legio cornu dextrum, ſiniſtrumque, ac iugum ſiue vmbilicum complectitur, ſiue medium. Dextrum dicitur caput, ſiniſtrum, pes, medium vmbilicus. Quæ quidem phalanx, vel legio altitudinem habet, quæ eſt poſitionem, a tergiſque ductoris porrigitur, hæc altitudo appellatur. Iugum quoque habet, hoc eſt ſtare per directum in longum. Phalanx igitur ſeorſum in primas ſummaſque partes duas a fronte per totam ſui altitudinem ſecatur, quarum altera cornu dextrum vocatur, altera, leuum, & medium. Nam huius reuolutionum duo genera eſſe conſtat, alterum per decurias, alterum per iuga. Vtrunque in tres ſpecies digeritur, Macedonicam, Laconicam, Cretenſem, ſiue Perſicam. Nam Macedonica priorem locum commutat, & frontem in tergum aſpectum, quæ poſteriorem tradit. Laconica autem locum poſteriorem commutat, & pari ratione [illegible] aſpectu, poſteriorem ſumit, Tergum vero efficit frontem. Hac enim (vt referunt autores) Lacedæmonij vſi fuere: Cuius quidem vſu Philippus & Alexander Macedonum Reges tot hoſtes vicerunt. Hęc enim (opinione ſapientium) melior ac tutior, quam Macedonica eſſe videtur, quia hoſte a tergo ſuperueniente, non ſine magna perturbatione ageretur. Nam quum poſteriores ſe conuerterent in locum priorem, remque haud diſsimilem fugæ facerent, hoſtes audaciores redderentur, & iam milites, qui ita euoluiſſent, deterrere, ac perſequi poterant, quod Laconicæ ſecus accidit. At Perſica vel Cretenſis eundem locum ſeruat, ſingulis militibus ſua loca commutantibus. Ita quod præfectus decuriæ tergiductoris locum accipit, ac tergiductori vicem decurionis præſtat, fronſque ex tergo aſpectu poſteriori redditur. Sed alias ſpecies omittendas eſſe duxi. Nam Sythæ, Thraces, Macedones Philippi Regis ſuaſu cuneata acie vtebantur, quia cęteris hoc præſtare videbatur, ac quadrata meliorem eſſe arbitrabantur, quia ſuos principes circumpoſitos habeat & fronte exigua conſtet, vſumque equitandi per quodlibet interuallum, & [illegible] & progreſſum celeriorem præbeat. Quibuſdam autem quadratam aciem conſtituendam eſſe magis placuit, Quo facto, in trigonum, quem Cuneum vocant, aciem ipſam mutandam eſſe. Qui quidem ordo in bello plurimum prodeſſe conſueuit. Iubet etiam in orbem inſtruendam eſſe

aciem. Quo genere quum vis hoſtium interrupit aciem, reſiſti ab exercitatis militibus conſueuit, ne omnis multitudo in fugam vertatur, & graue [illegible] men immineat, quibus a iunioribus recte perceptis, facile dimicando, cuncta ab eis ſeruentur. Ego autem orbem in acie non probo, quia milites ab hoſtibus a tergo feriri poſſunt. [illegible] ad [illegible]am quoque magis quam cuneatam, quia vndique æque ad prælium parata hoſtem ſpe[illegible] & latera munita præbere poteſt, maxime his temporibus, magnis ac paruis tormentis inſtructa. [illegible] a quidem cuneata facile circumueniri poteſt propter eius anguſtum angulum, quem parum ro[illegible]us eſſe video ad tutandum, propugnandum & oppugnandum hoſtem. Quo nemo recentiorum [illegible] ucum (vt puto) vteretur, plurimum quadrata acie, quia commodiora ad omne prælium latera præbet, atque vti ſitus ratio oſtendit, quæ eſt magiſtra ordinandi militem. Alia enim eſt [illegible], alia c[illegible], alia planicies & aperti campi ratio, & loci anguſtia, quę Ducis iudicio [illegible] omnia. Quare imminente pugna, quo modo exercitus ſuus in aciem deducendus [illegible] diue declarabitur, quod erit cæterarum legionum idem fere iudicium. Equites igitur in cornibus locentur. ſed qua aciei forma videndum eſt, quamuis Dux alijs vti poſsit, & ſuo nutu, & vt [illegible]es poſtulare videbitur, hæc tamen Rhombi ſimilitudo plur[illegible]m probari ſolet. Hac quidem Theſſalos, qui equitatu valebant, Iaſone huius generis autore, vſos fuiſſe dicitur. Qui quidem ordo ad omnes vſus accommodatus eſſe videtur. Nam equites hac forma conſtituti [illegible] in quemuis [illegible] vertere poſſunt, qui profecto nec a latere, nec a tergo capi poterunt. Sed huius formæ latera præſtantioribus teneri, ac principibus angulos regi placet. Necnon te[illegible] tutiora reddi. Præfectus autem priori angulo maneat, ſed Imperator medium locum fortiſsimis ſepius teneat. Dextro autem & leuo, qui cuſtodes vocantur lateris, ſtatuuntur. In altero vero Ducem, ſeu tergi ductorem locari, compertum eſt, more vetuſto. Hic enim olim equitum etiam ordo, & alio armandi ratio. Nam namque pars tota armis obtecta erat, hinc cataphracti nomen ortu[illegible] eſt. Pars vero non tota armis integitur, ſed eos cataphractos intelligi volo, qui non ſolum corpora, ſed equos Lorica vndique muniunt, quos phaleratos appellant, noſtris temporibus a Ducibus neglectis, quibus vti me vidiſſe & pulchrum erat [illegible] memorię proditum eſt, ſed tutius & terribilius hoſti cenſebatur. Poſitus igitur equitibus in legionis cornibu[illegible] & aliquo quandoque inter pedites ſpatio, vt M. Valeri[illegible] Maximus dictator contra [illegible]truſcos bellum gerens prima legionum ſigna incedebant, nequid occulta repentinaue hoſtis imm[illegible] reliquerit interualla inter peditum ordines, qua ſatis lato ſpatio equi premitti poſſent, ita c[illegible]nferendo hoſti[illegible] profligatur. Acies vero peditum a prima cohorte in cornu dextro incipit ordinari, huic ſecun[illegible]a cohors iungitur. Tertia in media acie locatur, huic quarta annectitur. Quinta leuum cornu ſuſcipit, ſed ante ſigna, & circa ipſa. Nam prima acie dimicantes, principes vocabantur, hęc erat grauis armaturę. Caſsides, cataphractas, ocreas, ſcuta, gladios maiores habebat. Sexta in ſecunda acie, dextro cornu locabatur, cui ſeptima iungebatur, mediam aciem o[illegible]aua tenebat, nona comitante. Decima autem in ſecunda acie leuum cornu ſemper obtinet. Legio enim in decem cohortes diſtributa eſt, cohors in centurias, hę in contubernia ſiue manipulos. Pedites vero duas in partes diſtribui ſolent in legiones & auxilia. Legionem ab eligendo dictam eſſe volunt, quia & fidem & diligentiam ac hominum delectum ſignificare videtur. At auxiliares, ſiue gregarij milites ex diuerſis locis ad prœlium conducuntur, diuerſiſque moribus viuentes, nec diſciplina inter ſe, nec notitia, nec amore conſiſtunt. Quibus profecto alia inſtituta, alię leges, alius armorum vſus, alius ſermo, alius pugnandi ordo ac viuendi ratio ineſt, in omnibus fere diſcordes. Quę non paruum Duci incommodi afferre videntur, maxime ad victoriam comparandam, dumque ad milites concionem habet, nec ab huiuſcemodi gregarijs militibus exauditur, & eius oratio percipitur. Parui enim roboris eſt eiuſmodi militum genus, quia non pro patria, pro parentibus, cognatis, affinibus, liberis, amicis pugnant, tantum ſtipendio adducti & prędа. At Gręci, Romanique, ipſi Duces, ipſi milites erant pro his omnibus certantes. Quocirca rerum potiti ſunt, & eorum Imperio tot nationes paruere. Militem autem gregarium magis ad oſtentationem quam ad victoriam habebant, quia eos non fides, ſed pecunia retinet. Vęh igitur rei. p. illi, quę huiuſcemodi militibus innititur, atque ſpem victorię ſtatuit. Verum enimuero ſi proprios milites haud habere poſsit, ſaltem Duces ac ductores & pręfectos habeat. Qui rem non pecunia, ſed fide & patrio amore gerant. Nec enim inficior, quin honoris cauſa aliquis fide dignus reperiatur, ſi bene natus fuerit, & optime a natura informatus. Quia tali viro charior eſt honor ipſa ſalute. Huic belli ſumma libere decerni poteſt, qui non niſi ſępe re exploratа, & diu perſpecta, cognoſci poteſt. Quidam autem pedites treis in partes diuiſerunt, armatos, Velites, & peltatos. Armati more Macedonum grauiſsimis inter ipſos pedites armis vti conſueuerunt, ſcutum & longiorem haſtam olim geſtabant, recentiores vero armati tantum haſtis vtuntur, vt ad prœlium ſint magis expediti. Velites leuiſsime omnium armabantur, quos ex peditos vocabant. Hi non loricam induunt, non ocrea muniuntur, non Clypeum, aut graue ſcutum geſtare ſoliti ſunt. Sed telis tantum vtuntur, aut ſagyttis, iaculis, lapi-

dibus, & funda, vt balleares. Quorum loco noſtra ætate minima tormenta feruntur, quibus nullum prope armorũ genus reſiſtere poteſt. Peltatus uero ſimilis Macedonicę illi armatura in vſu eſſe conſpicitur, ſed leuior. Quibus paruum ſcutum, et breue erat, contique eorum ſariſsis ſunt breuiores, locum ij inter armatos, & velites tenebant. Non enim firmam & certam rationem, atque legem in locando militem dandam eſſe arbitror, ſed (vt opus eſt) peritiæ & iudicio Ducis eſt relinquenda. Nam tot Imperatores paſsim legimus, non eodem modo acierum ordinem tenuiſſe. Sed vt illis videbatur, & res, & tempus, & locus, ac hoſtis occaſio exigebat, ita militem in aciem deducebant. Quorum alter melius altero, vt quis peritior erat. Hic igitur acierum ordo magis ſapienti Duci eſt relinquendus, quam aliqua firma eius præcepta tradenda, ſed vt Tyrones, maxime futuri Duces huiuſcemodi veterum monimentis imbuti, poſtea prouectiores ac prudentiores effecti, addere, minuere, & noua inuenire poſsint, hæc illis legenda dedimus. Quanti autem ponderis olim ipſa legio fuerit, rerum peritis apertum eſt. Cuius quidem robur Ducum negligentia, & auaritia penitus aboleuit, quod etiam ad noſtram ætatem dimanauit. Nam quum virtutis præmia ambitio præoccupaſſet, & per gratiam ad militarem dignitatem, & eius munus obeundum homines minus meriti proueherentur, ipſa legio ab vſu receſsit. Nam magnus in illa erat militandi labor, grauiora arma, fera munera, ac ſeuerior diſciplina; quod noſtris temporibus accidit, principum auaritia. Nam & ipſi cataphracti ad leuiora arma redacti ſunt, & grauiora pericula, atque munera tardiora, quæ maxime Italia, olim militiæ alumna, deplorare poteſt. Quę quidem hac labe, hac peſte laborat, quia diutius neſcit imperare, nec vni obtemperare, quia omnes, quum principes eſſe velint, fit, vt ſerui efficiantur, & omnium rerum libertatem cariſsimam amittant, Verum ad iam incępta redeamus. Siquidem publica pugna imminente acies quam prudentiſsimę instructa plurimum victorię prodeſt. De qua quidem (more vetuſto) aliquid differendum eſſe puto. Cuius quidem frons aduerſus hoſtem ſpectare debet, Ducique hanc primam legem ſeruandam omni ſtudio eſſe arbitror; ſi veterum morem ſequi velimus. Primo enim loco veteres milites collocentur, in ſecundo circundati cataphractis ſagyttarij, & optimi milites cum ſpiculis vel haſtis ordinentur. In tertio erant etiam ſagyttarij & (more vetuſto) optimi iaculatores. Quarto ſcutati expeditiſsimi de ſagyttarijs iunioribus conſtituebantur. Eſt enim animaduertendum, quod ſtantibus duobus primis ordinibus tertium & quartum ordinem cum miſsilibus & ſagyttis primo loco ſemper exire, quod ſi hoſtes pulſi fuerint, redeunt ad primam & ſecundam aciem, & inter ipſos ad loca ſua ſe recipiunt. Prima autem & ſecunda acies, quum ad enſes & pilas ventum fuerit, totum bellum ſuſtinet ſexto ordine poſt omnes fortiſsimi & ſcutati ac omni armorum genere muniti bellatores erant, quos triarios vocabant. Ii totius exercitus erant robur, & poſt vltimam aciem ſedere conſueuere, datoque a conſule ſigno, magnis viribus in hoſtes conſurgere. In his tota victorię ſpes erat. Siquid enim primis ordinibus accidiſſet, auxilij ſpes omnis in his erat. Igitur peditum acie conſtituta, equites in cornibus collocantur, ita vt loricati omnes peditibus iuncti ſint, qui autem loricas non habent longius euagantur. A fortioribus enim equitibus peditum latera ſunt protegenda, et a velocioribus et expeditis hoſtium cornua ſuperfundenda ac turbanda ſunt. Nam veteres, ſi equitatum hoſtibus imparem habebant, ſuis velites equitibus cõmiſcebant. Ii erant iuniores ad curſum optime exercitati, vt inter binos equites ſingulos ex his pedites cum leuioribus ſcutis collocarent, ſed vt pugna tutior redderetur, electiſsimos pedites, equiteſque ac conuicarios, ſeu contubernij capita, comites, tribunos atque viros bellatores, Dux poſt aciem pręparatos habeat, alios quidem circa cornua, alios circa medium, vt ſicubi hoſtis vehementer reſiſtit, ne acies profligetur, ſubito prouolent, ſuppleant, vt addita virtute, hoſtium audacia frangatur. Hoc lacones primi inuenere. Non enim omne aciei genus hoc ſuſcipit, ſed directa, cuneataque ac forficis ſimilis. Opus eſt igitur ſuperfluos habere milites, quia ſi hoſtium globus alam tuam vel partem aliquam vrgere cœperit, niſi vacantes habeas, quos contra globos opponere poſsis, ſiue pedites, ſiue equites ex acie tuleris, dum aliam defendere volueris, aliam diſcrimine denudabis. Nam ſi tibi bellatorum copia haud eſſe videbitur, breuiorem aciem habere pręſtat cum ſubſidijs recte paratis. Mihi profecto ſummopere placuit hunc veterem ordinem ſcribere, quia non me latet, quantum vetus induſtria nouę prodeſſe poſsit, cui Dux multa & addere & auferre (vt vſus poſtulabit) ſua prudentia poterit. Verum veterum ducum peritiam, ingenium, & bellicam artem omnibus immitandam eſſe ſuadeo, ſi rem militia dignam efficere cupiunt, cui quidem nullam ęquandam eſſe reor. Parum enim ab eorum ordine mutatum eſſe video, niſi quo ad ipſa tormenta, quibus vetus illa ętas vacabat, & huic noſtrę Dęmones dedere. Iidem more recentiore pedites in medio, circumque eos cataphracti in lateribus, poſt hos, equites leuis armaturę ad prouocandos hoſtes & laceſſendos, more etiam vetuſto, locari ſolent. Tormenta autem in medio, vel in aliquo editiori loco, ſi natura obtulerit, vel arte fabricato firmari ſolent, quę nonnulli ſuper currus ſtatuere vt me legiſſe memini, vel ante acies & earum interualla a fronte. Hoc eſt inter veterem & nouam militiam, mutato etiam quodam vſu armorum diſcrimen. Nullum enim

ingenium, nullam virtutem, nullam bellicam diſciplinam veteribus Ducibus, vt eorum res geſtæ aperte declarant, conferendam eſſe arbitror. In his præclara ingenia, nouarum rerum inuentio, ſumma, in bello prudentia, expedita victoria, magna liberalitas, magna iuſtitia, meritorum munera, ſæua errantium ſupplicia, magna reuerentia legum, ſed maximus Deorum cultus, adeo quidem, quod rerum principes breui effecti ſunt. Felix ergo ætas illa, quæ eiuſmodi viros protulit, Qui non ſolum militiæ periti erant, ſed omni fere diſciplinarum genere referti, e quibus humanitatis fructum ac cæterarum virtutum hauſere, ac alijs impartiri didicere, At nunc diſſerendum eſſe videtur, militibus ſuis locis locatis, quæ Duces ſortiri debeant, in medium afferamus. Nam imprimis pro dignitate cuique locus in acie eſt decernendus. Imperator, cui tota belli ſumma decreta eſt, in dextra parte inter equites & pedites ſtare conſueuit, quandoque in media vt Annibal Cannenſi prælio, quia dextræ partis locus eſt, in quo tota acies gubernatur, ex quo rectus liberque procurſus eſt, & ad multa idoneus, vt conſilio regere, & milites ad pugnam hortari, quamuis omnis locus ſibi competere videatur, huc illucque diſcurrendo, milites hortando ad pugnam, & prælium reſtaurando, quum aciem inclinari viderit, Vrget enim valde præſentia Imperatoris. Secundum autem Ducem media peditum acies ſuſcipere ſolet, qui eam ſuſtentet, & firmet, Hic fortiſsimos pedites ex ſuperfluis armatos habere debet, quibus Cuneum faciat, & hoſtium aciem rumpat, aut ſi aduerſarius Cuneum fecerit, ipſe forficem, vt Cuneo illi poſsit occurrere, & facile circumuenire, quia ad hoc illa plurimum idonea eſſe videtur. At leuam copiarum partem tertius Dux regere debet, qui ſit bellicoſus & prudens, quia leua pars ad tutandum difficilior eſſe videtur, quia velut manca in acie conſiſtit. Hic quoque bonos equites vacantes, & validiſsimos pedites ſecum habere debet, quibus leuum cornu ſemper extendat, ne ab hoſtibus circumueniatur. Sed Imperator hoc efficere ſtudeat, vt prius quam hoſtis aciem inſtruat, quia ſuo arbitrio id facere poteſt, quod ſibi libet, quod quidem vtile ſummopere videtur. Quo facto ſuis audaciam augebit, vt melius confidere poſsint, & de victoria certiores fieri, ac aduerſarijs fiduciam minuere, quia fortiores videntur, qui prouocare haudquaquam dubitant. Hoſtes autem formidare incipiunt, qui contra ſe aciem inſtrui vident. Huc quoque maximum commodum accedit, quia tu inſtructus, paratuſque ad conferendum, trepidum inordinatumque aduerſarium facile præoccupare poteris. Ac de officio Imperatoris in primo, & militis, & ordine in hoc ſecundo libro dictum eſt, deinceps de caſtris, quibus illis opus eſt, dicere, operæpretium duximus.

FINIS SECVNDI LIBRI.

AD EMANVELEM PHILIBERTVM SERENISSIMVM ET INVICTISSIMVM SABAVDIAE DVCEM ETC.

DOMINICI CYLLENI, GRAECI DE DISCIPLINA MILITARI.

LIBER TERTIVS.

De caſtrametatione. *Cap. I.*

CASTRORVM autem rationem, haud quidem paruo veteribus Imperatoribus, militum commodo, repertam fuiſſe conſtat; O. P. quia ipſis diuturno fatigatis labore, longaq; pugna ac hoſtili impetu repulſis, ſolatio, ſalutique eſſe videntur, tempuſque prælij cogitandi, expectandique datur Imperatori facultas, ne fortaſſe coactus, belli diſcrimen, & vtranque fortunam experiatur. Quæ quidem ſæpe conſilij inopia ſeſe ancipitem reddit. Sed quo conſilio, quo ordine, quoue loco ſiue ſitu ſint fabricanda, ſiue locanda, eo (inquam) quo ipſa ciuitas, & ad eius ſimilitudinem, ſpectareque omnia ad vitę vſum & commodum neceſſaria. Cuius quidem opera, ſi recte reſpexerimus, nihil profecto a Caſtrorum ratione aberrabimus. Nam ipſam ciuitatem his rationibus & commodis condi, illis placuit, qui eiuſmodi artem tradidere, inter quos, Vitruuius facile in hac re omnium peritiſſimus optima artis præcepta tradere viſus eſt. Quippe qui Vrbi condendæ locum ſaluberrimum, ſolis ortum ſpectantem eſſe eligendum cenſuit, nebulis quoque carentem, ac coeli regionem temperatam, atque ſine paludibus, quia auræ mane cum ſole orientes ad Vrbem venerint, iiſque ortis nubibus ferarum alitibus venenoſi cõmiſcebuntur, quæ in paludibus degunt, venenos in humana corpora infundent, & locum peſtiferum reddent. Iidem ſi prope mare erunt mœnia. Vrbes, Meridiem ſpectantia, aut occaſum, minus ſalubria erunt, ſiue caſtra, ſiue oppida. Quia æſtate aer, qui eſt in Meridie, ſole oriente, calefit, & hora Meridiei valde æſtuante, feriuſque bullit. Qua quidem viciſsitudine temporum corpora inficiuntur. Idem de ſitu & loco caſtrorum eligendo (ſi fieri poteſt) iudicium erit, & hoſte haud intercedente. Eſt igitur & Vrbium, & caſtrorum eadem ferme habitatio, illæ ciues tutos ab hoſtibus hæc autem milites reddunt, & iiſdem fere commodis gaudere debent. Siquidem imprimis ipſis caſtris aqua & pabulationibus vicinis, ac lignorum copia opus eſt, atque in his locis ſita eſſe debent, ne aquis innundari poſsint, nec in abruptis & deuijs, ne circumſedentibus hoſtibus difficilis præſtetur egreſſus, & ſuperioribus locis miſſa ab eis tela, ſiue alia armorum genera lædere poſſint. Quæ autem caſtrorum forma eſſe debeat, quadrata, vel trigona, aut oblonga, aut rotunda, certam rationem afferri minime poſſe arbitror, quia loci neceſsitatem plerunque ſpectare oportet. Sed Imperator nactus locum ad omnem formam idoneum, quæritur, quæ ſint præſtantior atque commodior, ſiue tutior. Cum enim eadem ſit & Vrbium & caſtrorum ratio, hæc eſt de Vrbibus Vitruuij opinio, quod ciuitas quadrata forma minime condi debet & lateribus angulis, ſed in orbem, vt hoſtis pluribus locis conſpiciatur ab oppidanis, quia propter huiuſcemodi latera illis in locis difficilius ciues tueri poſſunt, & quia angulus magis hoſtem, quam ciuem defendere videtur. Ergo caſtra (ex eius ſententia) ſicut & ciuitas, in orbis formam debent ędificari. Hoc enim ſuis temporibus fortaſſe concedi poterat, quibus horum tormentorum non erat vſus. Nec quidem in minoribus Vrbium caſtris hanc opinionem vitio do, quia ſunt firmiora, hoſtiſque melius conſpicitur, & tormentorum pilis conficitur. At murorum forma, quadrata, magis mihi placet, propter commodiorem tormentorum diſpoſitionem, & latera ſeinuicem tuentia cum vniuerſis muris. Qui ſi magis hoſtibus patent, idem, ipſa ſibi tormenta, quę omnia proſternunt, omnia ſolo æquant, omnia eorum creberrimis ictibus ruunt. Vitanda eſt omnino hac ętate illa orbis forma, quę commodiora latera ad diſponenda tormenta & tota mœnia tutanda;

minime habet. At Romanorum caſtrorum hęc erat diſpoſitio & ordo. Nam in terram hoſtilem irrumpentes, ea idoneo loco muniebant. Si ſolum haud ęquum erat, magno quidem militum labore ęquius reddebatur, ipſaque caſtra quadrata forma deſignabantur. Vbi fabrorum multitudo (vt in tali opere fit) & ferramentorum copia erat, ſed interior caſtrorum pars tabernaculis inſtruebatur, eorumque exterior ambitus muri ſpeciem prę ferebat, turribus quoque pari ſpatio diſpoſitis, quarum interualla machinis ſaxa intorquentibus, ac omnibus bellicis inſtrumentis nunc autem magnis tormentis ac paruis ferreas vel lapideas pilas emittentibus complent, quia a veteri illo vſu receſſerunt. Caſtris quidem portę quatuor erant, tantę profecto latitudinis, vt equi, & alia iumenta, ac currus ingredi poſſent, atque cuilibet earum nomen erat. Prima enim prætoria appellabatur, quia prætoris tentorium, plagamque orientalem, aut hoſtem ſpectabat, vt pulſato claſsico facilius, & ſine tumultu miles exire poſſet. Deinde Decumana, propter eius magnitudinem. Ex hac enim latrones, & huiuſcemodi hominum genus ad ſupplicium emittebantur. Deinde principalis, per quam exercitus & principes exibant, nec non pedites & equites, vt militi extra caſtra laboranti opem ferrent, via quoque, quæ ad ipſam portam tendebat eodem nomine appellabatur. Deinde porta quintana, quæ a quinta via hoc nomen ſortita fuit. Per hanc commeatus, & merces in exercitum vehebantur, ac omnium munitionum genera. Intus autem caſtra vici ſpatijs interpoſitis dirimunt, mediaque Rectorum Tabernacula collocant, inter hæc Diuum Templum Imperatoris ſimile, vt quaſi quædam repentina ciuitas exiſtat, forum quoque & opificum ſtationes, & primoribus ſedes, atque principibus, vbi de rebus dubijs inter ipſos decernatur. Eorum vero ambitus, & omnia, quæ in eo ſunt, multitudine ſimul & ſcientia, fabricantium opinione citius communiuntur. Qui quidem, re vrgente, foſſa cingendus eſt, quæ quatuor cubitis ſit depreſſa; ac pari lata ſpatio, plus, minuſue vt placet Imperatori. Nam quo magis latior fuerit, & profundior, eo tutior erit. Milites autem armis ſepti per contubernia cum decore, & quiete in tentorijs degant, ac omnia ab his quodam ordine, & per contubernia expediantur, velut ſi aqua, frumento ac lignis opus eſſet. Nec cætera, vel prandium, quum miles voluerit, in cuiuſque poteſtate eſt ſimul ſumere. Nam excubias, & vigilandi tempora tubæ ſignificant. Nihil enim fit, quod non ſigno, aut edicto geratur. Milites autem mane ad Centuriones, ij ad tribunos ſalutatum conueniunt; & omnes principes ad Imperatorem. Ille autem ijs ſignum ac alia de more præcepta, cæteris militibus, qui abſunt, ſignificanda dare videtur.

De ordine, quo miles degere debet in Caſtris.

Cap. II.

QVVM enim exercitus multa militum genera, ſuorum, peregrinorumque multitudinem contineat, quæ omnibus loca tribuenda ſint, maxime ex Polybij ſententia, videre operæpretium eſſe duximus, ne ipſe militaris ordo confundatur, gentiumque colluuies diuerſarum commiſceatur, ac miles ipſe confundatur. Quum enim ſociorum multitudo peditum Romanis legionibus par, extraordinarijs duntaxat inferior, eſſe videatur, equitum duplo maior, ablata horum quoque in extraordinarios tertia parte. Cuius quidem cauſa horum etiam altitudinem augendo quadam proportione in Caſtrametationum figuram, longitudinem quoque Romanis legionibus adæquare conantur. Confectis autem omnibus quinque vijs, auerſa rurſus ab equitibus ſociorum peditum ſigna ponuntur, altitudinem ad portionem augendo, vallum reſpicientia, tranſuerſumque vtrunque latus per ſingula ſigna; prima, quæ ſunt ab vtraque parte tabernacula ordinum Duces capiunt, ſimulque dicta ratione intercalantes per ſingulas partes ſextam turmam a quinta pedes quinquaginta ſubmouent. Itidem & peditum ordines, adeo, vt fiat, hic quoque alius per medias legiones tranſuerſus tranſitus vſque ad ſtrigas, ſed equidiſtans tribunorum tentorijs via, quæ quintana vocatur, eo quod, poſt quinque ordines traducitur, locus, qui tribunorum tentorijs a parte poſteriori ſubiacet, atque vtrique parti Imperatoris tabernaculo adiacet, partim foro, partim quæſtori, eiuſque commeantibus deputatur. Sed ab vltimo vtriuſque partis tribunorum tentorio a parte poſteriori, quaſi inflexum tenentis ordinem, verſus extraordinariorum tentoria equitum electi, & quidam voluntarij in conſulum gratiam militantes, verſus tranſuerſa valli latera locantur, eorum quidam ad quæſtorios commeatus ſpectantes, quidam autem parte altera forum verſus. Verum plerunque contingere ſolet, quod non ſolum contubernia conſulibus propinqua habeant, verum etiam vt incedente exercitu ac cæteris in vſibus circa conſulem, quæſtoremque diuerſentur, ac eis operam, curamque impendant, his vallum ſpectantes apponuntur. Deinde peruium relinquitur ſpatium latitudinis centum pedum equidiſtans tribunorum tentorijs vltra forum, prætorium, quæſtoriumque per omneis dictas valli partes productum, ad cuius latus ſuperius ſociorum equites extraordinarij forum ſpectantes, Caſtrametantur. Ad media autem horum equitum contubernia, & ad ipſum prætorij locum

tranſitus relinquitur, quinquaginta pedum ducens ad poſterius caſtrorum latus, ordine ad rectos angulos prædicto foro poſitus. Hiſce enim equitibus rurſus auerſi ponuntur auxiliare extraordinarij pedites vallum ſpectantes, poſteriuſque totius caſtrametationis latus. Vacuus autem locus, qui ex vtraque horum parte ſupereſt, verſus tranſuerſa latera exteriusdatur. hique qui pro tempore ſocij aduenerint. Itaque hoc ordine conſtituto tota caſtrorum forma æquis lateribus quadrata conſtituitur. Peculiares autem figuræ æquæ ſectionis ſtrigarum, ac reliquę diſpoſitionis ſimillimam Vrbi ſpeciem præ ſe ferunt.

De ſpatio inter uallum & tentoria. Cap. III.

SIQVIDEM vallum a tentorijs per omnia latera ducentos pedes diſtare dicitur. Vacuum autem multa his commoda præbet. quia rebus in caſtra importandis, exportandiſue eſt apprime opportunum, quando ſinguli, vt quæque ſtrigarum proxima eſt, in hoc vacuum egrediuntur, neque in vnum concurſantes ſe inuicem ſubuertant, quæque habent, aut pecora ſubigunt, prædaſque ex hoſtibus huc deducentes, tuto per noctem ſeruant. Sed hoc præcipuum eſt, quod ſi noctu hoſtis aggrediatur, neque ignis. neque telum ad ipſos peruenire poteſt, præter admodum rara, atque ea innocua. Miles autem temporibus noſtris nec ſic tutus eſſe poteſt, quia tormentorum pilæ omnia prope penetrant, & procul torquentur. Vna enim huic ſpes relinquitur, quod agger latiſsimus ſit, illiſque penetrari non poſsit. Quam ob rem multitudine peditum, equitumque, vtrumque in medium ſingulas legiones, ſiue quatuor, ſiue quinque milium faciant ſimiliter & ſignorum altitudine, longitudineque, ac multitudine conceſſa, atque ad hæc ſpatijs itinerum, platearumque, necnon omnibus alijs conceſsis, facile eſt volentibus conſiderare, quam ſit locus capax & ampla caſtra. Quibus modo propter tormenta non eſt [illegible] quia latitudine valli caſtrenſis miles tutus ab hoſte redditur. Verum ſi aliquando ſociorum [illegible] do abundet, ſiue ij ab initio caſtra ſecuti ſint, ſiue poſtea per occaſionem acceſſerint, ij ea, quæ circa prætoriorum ſunt ſpatia replent, forumque, ac quæſtorium in vnum cogente temporis neceſſitate contrahunt. Hiſce vero qui vna cum exercitu ab initio venere, ſi ſit multitudo abundans, ſtrigam vnam addunt ab vtraque Romanarum legionum parte verſus tranſuerſa latera. Omnibus autem quatuor legionibus, conſulibuſque ambobus vna in caſtra coeuntibus coactiſque nihil aliud cogitare oportet, quam duos exercitus pariter caſtrametatos auerſos, inuicem iunctos eſſe ſemet contingentes ad extraordinariorum contubernia vtriuſque exercitus. Sed quum contingit, vt figura fiat oblonga, locus duplo priore maior, circumferentia ſexquilatera, quum igitur ita eueniat, vt conſules vna caſtrametentur, ſic ſemper caſtrametationibus coutuntur. Quum vero ſeorſum, reliqua ſane ſimiliter. forum autem, prætorium, quæſtoriumque in medio ſtatuunt vtriuſque exercitus. At vbi caſtrametati ſunt, conuenientes tribuni, ab omnibus, qui in caſtris ſunt, liberis pariter ac ſeruis ſingulatim iuſiurandum exigunt. Illi autem iurant ſe nihil e caſtris furto ablaturos, immo ſiquis quidpiam, id ad tribunos allaturum. Deinde ſigna in ordinem ſtatuunt, atque ex vtraque principum, haſtatorum legione duo ad loci curam deputant, qui ante tribunos eſt. In hac enim platea maxima Romanorum pars quotidie verſatur, qui ſtudium adhibent, vt aſpergatur, ac diligenter verratur. Atque tribunorum tentoria equali ſpatio inter ſe diſtare videntur, atque eo vſque extenduntur, vt totam Romanarum legionum tentoriorum latitudinem aſſidue occupent, dimenſo rurſus ſpatio centum pedum in anteriorem partem ab omnibus tentorijs, poſtea quæ finitæ hanc latitudinem [illegible] linea, quæ a [illegible] tentorijs ſit æquidiſtans, ab hac legionum tabernacula tendere incipiunt. huic in [illegible] entes, quum bifariam ipſam rectam lineam ſecuerint, ab eo puncto rectis ad lineam angulis, vtriuſque legionis equites oppoſitos interlocant pedes quinquaginta inter ſe diſtantes, habita in medio interualli ſectione. Nam equitum peditumue locatio tentoriorum ſimilis exiſtit, totaque ſpecies, tam ſigni, quam turmæ quadrata redditur. Hæc enim viarum interualla reſpicere videtur, ac præfinitam longitudinem habet viæ adhærentem. Eſt enim centum pedum, plerunque & altitudinem parem facere ſtudent, prȩterquam ſociorum. Quod ſi maioribus copijs vtantur, tam longitudini, quam altitudini addunt ad portionem. Cum autem accidat, vt equitum tabernacula medijs tribunorum tentorijs reſpondeant, efficitur quaſi quædam ſtriga ad ipſam rectam lineam, tranſuerſa, ac locum ante tribunos vacuum. Nam re vera ſtrigis perſimilis fit tractus vniuerſi ſpecies. Quippe quum ex vtraque parte, hinc manipuli, indeque ſint turmæ interpoſitę, prȩterquam, quod poſt prȩdictos equites vtriuſque legionis, triarios ad ſingulas turmas, ſingula ſigna forma perquam ſimili collocant, figuriſque ſeſe inuicem contingentibus, ſed reſpicientibus in alteram partem auerſis ab equitum aſpectu dimidiata altitudine ad cuiuſque ſigni longitudinem. Eo quod multitudine etiam dimidio pauciores plerunque ſunt in cȩteris partibus. Quam ob rem quum ſępenumero virorum multitudo inequalis exiſtat, contingit, vt partes omnes ſecundum longitudinem ob altitudinis differentiam ſemper adęquentur. Rurſus quinquaginta pedum in-

teruallo ab iis vtriſque diſtantes, triariis oppoſitos principes locant. Verſis autem iis in prędićta interualla, hę duę perficiuntur ſtrigę, initia quidem ab eadem recta linea capientes, ſicut equites a centum pedum diſtantia, quę ante tribunos eſt. In latus autem caſtrorum deſinentes tribunis oppoſitum. Poſt principes autem ſimiliter auerſos contingentibus ſe figuris haſtatos locant. Ab haſtatis rurſus quinquaginta pedum ſpatium relinquentes, ſociorum equites his oppoſitos locāt, ab eadem recta linea initiū ſumentes, in idemq; latus deſinentes. De reliquis autem dictū eſt.

De ordine incedendi, & caſtrenſi, tempore minus tuto.
Cap. IIII.

VERVM vt pacis ſtudium, ab eo bellorum differre videtur, ſic militis ordo in itinere eſſe debet. Illo tuto itur, hoc autem magno rerum, & militis diſcrimine. Quocirca ad iter faciendum, & caſtra locanda, cautus ſit Imperator, hoc Romanorum ordine aciem inſtruere, atque Caſtrametari. Nam Romani hoc tempore parum tuto triplicem phalangem equidiſtantem ducunt, haſtatorum, principum, ac triariorum, antecedentium iumenta omnibus præponentes. Poſt prima vero ſigna, eorum, qui ſecundi incedunt, poſt ſecunda eorum, qui tertij, ad portionemque ſic alternatim iumenta & ſigna ponentes, hoc modo ad iter inſtructi, quum aliquid grauius acciderit, modo ad ſcutum declinantes, modo ad haſtam, ſigna pręter impedimenta producunt, ad hoſtium aſpectum, breui tempore, ac vna motione armatorum ordo, inſtructionis diſpoſitionem recipit. pręterquam, ſi aliquando haſtatos euolutione vti oportuerit. Iumentorum autem, cęterorumque, ea ſequentium multitudo poſt inſtructos ſeſe ſubducentes, locum in periculoſis idoneum obtinent. Peracto igitur itinere, & tutum in locum quum delati fuerint, caſtra locare debent, quę ſunt veluti ciuitatis ſeminaria. Quum enim hoſtes armis, & animis plerunque pares ſint, alij vero potentiores, ideo tria caſtrorum genera locanda eſſe exiſtimo. Vnum quidem ad tempus atque [illegible]bile, quod contra pare[illegible] vires [illegible]tium, vt milites tuti ſint, parum vi rem incepta[illegible] [illegible]per[illegible]tora[illegible] equi ſine periculo poſsit. Aliud ſtatiuum recte appellari poteſt. Vbi hoſtem opprimere con[illegible]tituas, qui ſuo exercitu haud confi[illegible]us, munito loco eum retinet. Erit tertium caſ[illegible]rorum genus, quo hoſtis impetum ſuſtinere poſsis, quod muniti[illegible]imum eſſe debet. Romani igitur incedentes, quum ad locum quo caſtra locanda ſint appropinquauerint, tribunus, & ex principibus ordinum quicunq[illegible]e huic muneri aſsidue addicti fuerint, locum vbi [illegible]tum conſpexerint, qui ad locanda caſtra optandus ſit, primum conſtituendum eſt, vbi Imperatoris tentorium locari debeat, & iuxta quem aſpectum, latuſque legiones locandę ſint. His pręoptatis, prętorij circumferentiam dimetiuntur. Deinde rectam lineam, iuxta quam tribunorum tentoria ponuntur, deinceps eius equidiſtantem, a qua legiones locari incipiunt. Itidem ab altera parte prętorij lineis loca (vt dictum eſt) dimenſi ſunt. His quidem breui temporis ſpatio paratis, eo quod dimenſio facilis eſt. Poſtea ſignum vnum fixere, primumque, in quo loco tentorium Imperatoris poni oportet. ſecundum præoptatum latus, tertium ad mediam lineam, ad quam tribuni tendunt. Quartum legiones apponunt. Et hæc quidem punicea faciunt, Imperatoris album, ad alteram partem modo nudas haſtas ponunt, modo alijs coloribus ſigna. His peractis, deinceps ſtrigas dimenſi ſunt, ac haſtas fixerunt ad ſingulas ſtrigas, cumque exercitus appropinquauerit, & caſtrorum locum conſpexerint, confeſtim omnia omnibus nota fiunt, ex prætoris ſigno conſiderantibus. Quam ob rem vnoquoque aperte agnoſcente in quam ſtrigæ partem tendit, eo quod omnes ſemper eundem in caſtris locum tenent. Hic enim a portis declinantes, mox omnes procedunt, abſque vllo errore ad propria loca perueniunt. Nam ſicut ſin[illegible]uli in qua ciuitatis parte ſit eorum diuerſorium impoſitum cognoſcunt, idem in Romanis caſtris [illegible]tingit. Igitur caſtris loco aſsignato tribuni tentorium erigunt, duaſque dant excubias. [illegible]xcubia enim quatuor viris conſtat, quorum pars ante tentorium, pars poſt ipſum iuxta equos excubant. Cum igitur quis ſigna tribunus habeat, atque ſingulis viri ſint amplius centum, exceptis triarijs, ac velitibus, quibus eiuſmodi opus minime committitur, quod leue eſt, quia omni quarto die ad ſingula ſigna peruenire videtur. Triariorum enim ſigna tribunorum miniſterijs eximuntur. Sed equitum turmis hæc ſingulis diebus præbent. Cæterum vnum ex omnibus ſignum quotidie per vices ante Imperatorem excubat. Quod ſecuritatem pariter Imperatori aduerſus inſidias præbet, magiſtratuſque ſpeciem exornat. Foſſę, ac valli duo latera ſocijs curæ ſunt, ſed mihi Romanis magis placeret, quibus proximum vtrunque eorum cornu locatum eſt. Romanis autem vtrique legioni vnum. Cumque ſingula latera per ſigna diuiſa, diſtributaque ſint, peculiaris ſane cura ordinum ductoribus, præſentibus, aſtantibuſque incumbit. Vt autem vniuerſum latus bene ſe habeat, ſimiliter duobus tribunis. At reliquam legionis curam [illegible] gerunt. Bini enim inter ſe diuiſi bimeſtre ſpatium ſemeſtris temporis viciſsim imperat. Eademque ratio principatus eſt etiam præfectorum inter ſocios. Equites, ordinumque ductores

(vt dictum eſt) omnes, oriente ſole, ad tribunorum tentoria proficiſcuntur, tribuni ad conſulem. Ille, quod inſtat tribunis agendum edicit, tribuni equitibus, ordinumque ductoribus, ij vero multitudini ſignificant. Nocturni quidem ſigni traditionem tutam hunc in modum præſtant, Nam ex ſingulis equitum, peditumque generibus, decimi ſigni, quod vltimum ad ſtrigarum extremitatem caſtrametatur, ex his vir vnus eligitur, qui excubiarum miniſterijs non tenetur, verum ſingulis diebus, occidente ſole, ad tribuni tentorium accedit, acceptaque teſſera, ea eſt tabella inſcripta, recedit, cumque ad ſignum ſuum ſeceſſerit, tabellam ipſam ac ſignum, adhibitis teſtibus, proximi ſigni principi tradit, ille ſimiliter proximi, idemque omnes deinceps faciunt, donec ad prima ac prope tribunos locata ſigna peruenerint. Hos enim oportet tabellam nondum obortis tenebris ad tribunos referre, & ſi omnes relatæ ſunt, quæ datæ ſunt, ſignum omnibus datum eſſe cognoſcunt, omneiſque ad ſe perueniſſe. At ſiquid defuerit, confeſtim tribunus inquirit, quod nam commiſſum ſit, præcipitque ex inſcriptione qua nam ex parte tabella venerit, atque vbi impedimentum repertum fuerit, mulcta infertur.

Dē excubijs militum circa caſtra. Cap. V.

OMNIS caſtrorum cura, diligentiaque, ac militum labor fruſtra eſſet, niſi ſumma eis cuſtodia excubando ab Imperatore adhiberetur, nihil, neque in ciuitate, neque in caſtris tutum eſſet, ſed hoſti omnia expoſita. Quam ob rem excubijs nihil vtilius repertum eſſe exiſtimamus. Quarum quidem negligentia, multa oppida, & caſtra capta, atque direpta fuere. Quo circa haud mediocrem Duces illis diligentiam adhibere debent, vt omnia omni tempore tuta eſſe poſsint. Has enim Romani Duces hoc modo diſponebant. Siquidem Imperatorem, eiuſque tentorium accubans cuſtodit ſignum, tribunorum vero tentoria & equitum turmas conſtituti (vt dictum eſt) ex ſingulis ſignis. Itidem per ſingulos ordines, omneis ex ſe cuſtodias diſponunt, cæteras Imperator, fiuntque plerunque excubiæ tres; apud quæſtorem vna, binæ apud legatos, & conſiliarios. Exteriorem caſtrorum aſpectum velites complent, totum interdiu vallum circunſedentes, hoc illis iniungitur miniſterium. Portas ſingulæ ex his Decades accubantes ſeruant, eos, qui vigilijs conſtituti ſunt ex ſingulis cuſtodijs, qui primam vigiliam acturi ſunt, vnus ex ſingulis ſignis tergiductor veſpere ad tribunum ducit, is ſingulis teſſeras præbet, per ſingulas vigilias, breues admodum characteres habentes. Illi autem quum acceperint, ad aſsignata ſibi loca tendunt, fideſque circuitionis equitibus committitur. Oportet enim primum Alę ductorem per ſingulas legiones vni ex ſuis præcipere tergiductoribus ſummo mane pręcepium huiuſmodi, vt is ante prandium quatuor adoleſcentibus edicat alæ ſuæ ad eos proxime noctis circuitionem pertinere, idemque ante noctem ſequentis Alæ ductori præcipiat, quod illi cura circuitionis in ſequentem diem incumbit. Is quum audierit, oportebit, vt his ſimilia faciat, quæ in ſequentem diem prædiximus. Deinceps cæteri hanc rationem ſeruent. Qui vero præoptati ſunt per tergiductores, ex prima ala quatuor; vbi vigilias ſortiti fuerint, ſeſe ad tribunum conferunt, in ſcriptiſque accipiunt quotam, quotque vigilias circuire oporteat. Poſtea vero ij quatuor iuxta primum triariorum ſignum accubant; cuius quidem princeps curam gerit, vt idoneum vigilijs ſignum tuba detur, Quum vero tempus acceſſerit, primam vigiliam viſere tendit, cui hoc munus decretum eſt. Prędicta autem loca, non ſolum circa vallum circuire videtur, atque aditus, ſed omnia per ſingula ſigna ac turmas, & ſi primos vigiles excubantes inuenerit, ab his teſſeram accipit, ſi autem quempiam dormientem offenderit, aut locum deſeruiſſe, atteſtatus proximos abijt. Idem etiam fit ab his, qui deinceps vigilias circumierunt. Eſt enim ſignum tuba per ſingulas vigilias dandum, quod circuitoribus cum vigilibus conueniat, primi ſigni ductoribus omnibus ordinum triariorum vtriuſque legionis quotidie cura incumbit. Deinde circuitorum ſinguli ſub ipſam lucem teſſeras ad tribunum referunt. Et ſi omnes redditę fuerint, ſine delicto, abeunt. Nam ſiquis pauciores teſſeras attulerit, quam ſit cuſtodiarum multitudo ex charactere inquirunt, quænam cuſtodia defecerit. Qua re cognita ordinum ductor vocatur, is autem eos ducit, quibus vigilia commiſſa eſt. Ii cum circuitore diſceptant, & ſi cuſtodum fuerit delictum, confeſtim id circuitor profert, teſtibus adhibitis, qui proximi ſunt. Si autem nihil huiuſmodi factum ſit, crimen in circuitorem recidit, ſtatimque aduocato concilio, cauſam coram tribuno dicit, & ſi condemnetur, fuſte cęditur, tribunus vix damnatum tantum attigit, Quod vbi factum eſt, omnes qui in caſtris ſunt, cędentes fuſtibus, ac lapidibus, pleroſque in ipſis caſtris conficiunt. At ſiqui euaſerint, nec ſic quidem (vt dictum eſt de animaduerſione) ſeruari poſſint. Hic erat ordo Romanorum caſtrorum. Recentiores enim Duces hunc ordinem minime ſeruant, per pacata loca proficiſcentes caſtra nulla, ſiue ſtatiua ędificant, ſed per ciuitates, oppida & villas diuertunt. At periculoſis in locis, vbi imminet hoſtis, ad ſimilitudinem Vrbis caſtra locare debent, foſſa & vallo latiſsimo, & paſsim, vbi opus eſt. Tormenta diſponere, locis nobilioribus nobiliores tentoria locant, prout antea a magiſtro copiarum, eorum cuique aſ-

ſignata fuere. Verum Romanum morem proſequamur, quum bellum iam iminere videtur, hoc modo caſtris Imperator & milites egrediebantur, ter ſignum tuba dabatur. primum tentoria detrahunt, ſarcinas colligunt, ſecundo ſigno, vt omnes parati ſint, mulos, iumentaque onerant, caſtra incendunt, quia alia munire ſibi facile eſt, & ne hoſtibus eadem vſui ſint. Tertio ſigno dato, indicatur, vt exeatur, Imperatoris dexteræ preco aſtat, ſi ad bellum parati ſint, patria voce ter percunctatur, illique alacri & magna voce toties ſe paratos eſſe reſpondent, ac interrogantem præueniunt, necnon quodam Martio ſpiritu repleti magno clamore dextras erigunt.
Deinde quiete omnique decore progredientes, ambulant, ſuum quiſque ordinem, velut in bello ſeruando, pedites quidem thoracibus, & galeis ſepti, vtroque latere gladijs accincti, leuus autem gladius multo eſt longior, dexter breuior. Lecti enim pedites, Ducem ſcuta & haſtas geſtantes ſtipant. Reliqui haſtas, & longos Clypeos, & multa alia, necnon tridui viaticum, vt parum inter onuſta iumenta & pedites inter ſit. At equitibus ad dexteram gladius eſt longior, & contus in manu, tranſuerſuſque ad equi, latus Clypeus, ternaque in pharetra, vel amplius cuſpide iacula pendent, nihil ab haſtis magnitudine differentia. Quod armorum genus ab vſu receſsit. Caſsides vero, & thoracas peditibus ſimiles habebant, nulloque armorum genere lecti ab equitum alijs differunt, qui circum Ducem verſantur. Verum Polybius narrat, quod plerunque primi extraordinarij incedunt, hos ſociorum dextrum cornu ſubſequitur, deinceps ſua iumenta. Poſt eos prima Romanorum legio, & poſt impedimenta, tum ſecunda legio incedit, ſuis vehiculis illam ſequentibus, ac ſociorum impedimentis, qui agmen cogunt, poſtremumque dum incedunt, leuum ſociorum cornu locum tenet. Equites interdum a tergo ſequuntur, ſuas quiſque partes, alias iumentorum latera obequitant, ea ſtipantes, tutumque præbentes inceſſum, ſiqua eſt a tergo ſuſpitio. Cætera quidem apud ipſos eodem modo ſeſe habent, ipſi vero ſociorum extraordinarij a fronte ad tergum traducuntur, alternique diebus legiones & eadem cornua procedunt. Rurſuſque a tergo ſequuntur, vt aquationis, frumentationique integre, & equaliter omnes participes fiant, ſemper ordinem mutantes, vt alternatim primores incedant. Græcorum autem caſtra non ſemper, vt Romanorum, erant, ſed vt locus, & ſitus præbebat. Non enim tantum laboris ſubire volebant ad æquada loca aſpera atque obliqua. Cætera optimo ordine diſponebantur, & pro vniuſcuiuſque dignitate tentoria locabantur. At Hebreorum caſtrorum ordo hic erat. Nam in eorum medio tabernaculum ſtatuebant (teſte Ioſepho) ternæ tribus per ſingula tabernaculi latera commanebant, forum per medium habebant. Cuius quidem ornatus quaſi ad rerum venalium ſimilitudinem, vngulis in ordine conſtitutis, & artium opifices ſingularum in ſtationibus erant, nullique alij loco, quam ciuitati ſimilis erat, eaque, quæ circa tabernaculum erant, ſacerdotes, & leuitæ tenebant. Sed caſtra qua ratione in hoſtem munienda ſint, nequid periculi imminere videatur. Cæſar optime docuit. Qui vbi per Afranium cognouit, quo minus prælio dimicaretur. Sub infimis montis radicibus, intermiſsis circiter paſsibus quadringentis, caſtra locare conſtituit, & ne in opere faciendo milites repentino hoſtium incurſu exterrerentur, atque opere prohiberentur, vallo muniri vetuit, quod eminere proculque videri neceſſe erat, ſed a fronte caſtra contra hoſtem pedum quindecim foſſam, alij Romani duodecim, fieri iuſsit. Prima & ſecunda acies in armis, vt ab initio conſtituta erat, permanebat. Poſt hos in occulto tertia acies, ſic omnia prius perfecta ſunt, quam ab Afranio cognoſceretur caſtra muniri. Cæſar autem ſub veſperum intra hanc foſſam legiones deduxit, atq; ibi in armis proxima nocte conquieſcit. Itaq; cuncta proſpere geſsit. Non igitur ſemper eodem modo caſtra locanda ſunt, ſed vt belli, & hoſtis ratio exigere videtur. Caſtra quoque ſæpe mutare (ſi ratio requirit) plurimum militibus pro fuiſſe. Exploratum habemus. Xenophontis teſtimonio, ac hoſtibus obfuiſſe. Huc etiam illud præclarum Fabij Max. monumentum accedit, qui Conſul, iam confectus ſenio, creatus, atque Hetruria extra ſortem ſibi decreta eſſet, militum delectum conſcripſit, adhoſtemque pergit, vbi Appij prætoris caſtra erant, cuius quidem lignatores cum præſidio Fabio occurrunt, qui vt lictores progredi viderunt, Fabium eſſe conſulem acceperunt, læti dijs immortalibus populoque R. gratias agunt, quod talem Imperatorem miſiſſent, circunfuſi deinde quum conſulem ſalutarent, Fabius quærit, quo pergerent, reſpondent, ſe lignatum ire, quibus Fabius, num caſtra vallata non habetis? Sed hoc quum ſucclamatum eſſet, duplici quidem vallo, & foſſa, & tamen in ingenti metu eſſe, redite (inquit) & vallum vellite, in caſtra redeunt, terrorem ibi vellentes vallum, & his, qui in caſtris remanſerant, militibus, & ipſi Appio fecerunt. Tum pro ſe quis, alij alijs dicere conſulis ſe. Q. Fabij iuſſu facere. Poſtero inde die caſtra mota, & Appius Romam dimiſſus. Inde nuſquam ſtatiua Romanis fuere, negabat vtile eſſe exercitum vno loco ſedere, itineribus ac locorū mutatione nobiliorem ac ſalubriorem eſſe. Nam vno in loco diu morari ſegnior efficitur miles. Sed ſiquis fortaſſe querat, quæ materia ad caſtra ædificanda potior ac melior ſit, neque hoc ſciri fortaſſe difficile eſſe videbitur. Neque enim eadem fabricari compertum eſt. Nam Britanni ſua caſtra decem pedum magnitudine præacutis ſudibus muniebant, quorum caput vnum in terra figebant, alterum obliquum ad hoſtem ſpectans.
Cæſar aut (inquit) Gallos pro caſtris curribus vti, ijſdemque Thraces contra Alexandrum vſi fuere. Neruij autem, vt equos retardarent, & inutiles redderent, arbores cædunt, & vna inſerunt

runt

runt colligatas ipſis ramis veluti magnam ſepem, ſiue vallum efficiebant, quorum opus minime ſpernendum eſſe cenſeo, maxime, ſiquis ex tempore vteretur. Eſſet enim & equitibus, & peditibus magno incedendi impedimento, cui quidem nec tormenta officere poſſunt. Sed (vt dicitur) Nearchum Alexandri præfectum per indicum mare nauigando, vt ab hoſte tutus eſſet, ex muro caſtra ædificauit. At communis vſus exigit, vt ex terra fiant, ſimplici, aut duplici foſſa ac vallo (vt Duci placet) fabricentur. Nunc autem ſupereſſe videtur, qua pœna affici meretur, ſi quis e caſtris iniuſſu Imperatoris diſceſſerit, quod Cęſaris exemplo ſatis conſtat. Qui quum ex Gallia in Britanniam cum copijs proficiſceretur, nactuſque tempus nauigandi, milites naues conſcendere iubet, ſed Dumnorix, cum Heduorum equitibus e caſtris clam Cęſare domum diſcedere cœpit, qua re ſibi nunciata, intermiſſa profectione ac cęteris rebus, magnam equitatum partem ad eum inſequendum miſit, retrahique imperat, ſi vim fecerit, neque pareat, interfici iubet. Nihil ſe hunc abſentem pro ſano facturum arbitratur, qui pręſentis Imperium neglexiſſet. Ille autem reuocatus reſiſtere, ac ſe manu defendere, ſuorumque fidem implorare cœpit, Sępe clamitans, liberum ſe, liberęque eſſe ciuitatis. At illi, vt erat Imperatum, hominem circunſiſtunt, atque interficiunt, & eius equites ad Cęſarem reuertuntur. Sed Hanno Carthaginenſium Imperator ſecus in Gallos animaduertit. Qui quum in Sicilia mercenariorum Gallorum circiter quatuor milia conſpiraſſe, ad Romanos transfugiendum, comperiſſet, quod aliquot menſium ſtipendium non receperunt, in eos animaduertere non auderet. Seditionis metu prolationis iniuriam promiſit, liberalitate penſaturum, qua re gratias agentibus Gallis, ex ſuis quendam fideliſſimum ad Otacilium conſulem miſit, qui tanquam rationibus intermiſsis, nocte proxima Gallorum quatuor milia transfugiſſe, nunciauit, qui prędatum miſsi forent, poſſe excipi. Otacilius autem nec ſtatim credidit, nec rem ſpernendam eſſe ratus, letiſsimam ſuorum manum in inſidijs poſuit, ab ea Galli excepti, & omnes interfecti ſunt. Hic eſt ex caſtris diſcedentium exitus. Eſt igitur tribunorum, vel eorum, qui copijs præſunt, milites in caſtris retinere, ad exercitationem producere, portarum claues ſuſcipere, vigilias interdum circuire, commilitonum frumentationibus intereſſe, frumentum probare, menſuræ fraudem coercere, delicta, ſua autoritate caſtigare, principijs frequenter intereſſe, commilitonum querelas audire, atque valetudinarios viſere, & neceſſaria miniſtrare. Quum de militum excubijs in caſtris multa dicta ſint, nunc de Tyronum cuſtodia aliquid mihi dicendum eſſe videtur. Si quum errauerint, eandem, quam cæteri milites, pœnam mereantur. Nam lege quadam cautum eſt, Tyroni cuſtodiam haud facile credendam eſſe. Nam ea prodita illi, is culpæ reus eſſe videtur, qui eam ſibi commiſerit. Nec quidem vni, ſed duobus cuſtodia eſt committenda. Qui ſi negligentiam commiſerint, pro culpæ ratione, vel caſtigantur, vel militiam mutant. Nam ſi leuis perſona fuerit cuſtodiæ, quadam caſtigatione reſtituitur. Si enim miſeratione cuſtodiam quis dimiſerit, militiam mutare debet. Sed ſi qua fraude vſus fuerit, in dimittendam cuſtodiam, vel capite punitur, vel in extremum militiæ gradum dari poterit, interdumque venia. Nam cum cuſtodia cum altero cuſtode ſimul fugiſſet, alteri venia data eſt, ſed ſi cuſtodia ſe interfecerit, vel præcipitauerit, militis culpæ aſcribitur. Si autem ipſe cuſtos cuſtodiam interfecerit, vel præcipitauerit, paricidij reus eſt. Quare ſi caſu cuſtodia defuncta fuiſſe dicatur, teſtibus probandum eſt, & ſic ignoſcitur illi. Verum ex alia lege Galliſtrati, milites, ſi cuſtodias amiſerint, ipſi in periculum adducuntur, vt Diuus Hadrianus ſtatilio ſecundo legato reſcripſit. Quoties quis militum cuſtodiam euaſerit, an caſu, & vtrum ex pluribus vnus, an vna plures, itaque demum milites ſupplicio afficiendos eſſe voluit, quorum cuſtodiam euaſerit, ſi nimia eorum culpa deprehendatur, alioquin pro culpæ modo in eos eſſe animaduertendum Saluio Aquitaniæ legato idem princeps reſcripſit. Si enim vitio, aut deſidia cuſtodis id euenerit, eum caſtigandum, & in deteriorem militiam dandum decretum eſt. Si vero fortuito id amiſerit, nihil in eum eſſe animaduertendum. Sed ſi quæratur, a quo milites errantes puniri debeant, a ſuo Duce iuriſconſulti voluere. Nam qui exercitum acceperit, etiam ius animaduertendi in milites habet. Ac de tota fere caſtrorum diſciplina ſatis dictum eſt, & Romanorum ordine, & armorum genere, atque militum excubijs, deinceps quę ſeruare, quęque vitare debeāt, & qua Imperatori, ſibique ſcientia opus ſit, pro virili parte diſſeruimus.

De mutuo amore ducis & militis. *Cap. VI.*

NVLLA quidem res quantumcunque ſit ad honoris culmen ſine amore perduci poterit. Hoc enim res magnæ geruntur, & omnia difficilia ſine aliquo metu tentari ſolent; cui quidem nihil arduum eſſe videtur. Huius enim cauſa omnes Imperatores, & belli Duces magnarum rerum potitos fuiſſe videmus. quippe qui militum animos inuictos reddebat, ac omnia extrema ſubire diſcrimina impellebat. Cuius quidem præclara imago in Cæſare, & eius militibus contra Pompeium bellum gerentibus perſpecta eſt, atque quo vtriſque omnino profuerit ſatis conſtare videtur. Nam Cæſari ciuile bellum ingreſſo Centuriones cuiuſque legionis ſta-

gulos equites ex viatico ſuo obtulere, vniuerſique milites gratuitam & ſine frumento ſtipendioq; operam, quum tenuiorum tutelam locupletiores in ſe contuliſſent, neque in tam diuturno ſpatio quiſquam omnino deſciuit, famem quidem, cæteraſque neceſsitates, non quum modo obſiderentur, ſed etiam ſi alios ipſi obſiderent, tantopere tollerabant, vt ipſa Dyrrachina munitione Pompeius viſo genere panis ex herba, quo ſuſtentabatur, cum feris rem ſibi eſſe dixit, ammoueri ocyus, nec cuiquam oſtendi iuſsit, ne patientia & pertinacia hoſtis animi ſuorum frangerentur. Quanta autem fortitudine dimicauerint, omnibus prope conſtare arbitror, quod aduerſo ſemel apud Dyrrachium prælio, pœnam in ſe vltro depopoſcerunt, vt conſolandos eos magis Imperator, quam puniendos habuerit. Cæteris autem prælijs innumeras aduerſariorum copias multis partibus ipſi pauciores ſuperarunt. Nec quidem ipſe eiuſcemodi rerum immemor, omneis amicos ſemper tanta facilitate, indulgentiaque tractauit, vt omnes eum non modo, vt Imperatorem, ſed parentem amarent. Nam C. Oppio ſe comitanti per ſiluestre iter, ſubitaque correpto valetudine, e diuerſorio loco, quod vnum erat, ceſſerit, ipſe vero humi, ac ſub dio accubuerit, quod erat magnum amoris indicium. Idemque quoſdam infimi generis ad amplisſimos honores prouexit, cumque ob id culparetur, palam profeſſus eſt, ſi graſſatorum, ac ſiccariorum ope in tuenda ſua dignitate vſus eſſet, talibus ſe quoque parem gratiam relaturum. Nec mirum, ſi ſemper hoſtem fuderit, quia milites ſui percupidos ad omnia pericula ſubeunda paratos ſemper habebat, & quia ſibi magnæ (teſte Cicerone) virtutes inerant, & quaſi maioribus theatris propoſitæ, & pene populares, eratque militiæ peritiſsimus. Nam caſtris locum capere, copias inſtruere, Vrbes expugnare, hoſtium aciem profligare, optime ſciebat, vimque frigorum ac hyemem, quam nos Vrbis tectis vix ſuſtinemus, excipere, his ipſis diebus hoſtem perſequi, tum quum etiam feræ latibulis ſe tegant, atque omnia bella, iure gentium, conquieſcant. Igitur his omnibus & militum in eum amore omnia ſibi ceſſerant. Idem de Alexandro, ac alijs inuictiſsimis Imperatoribus dici poteſt, qui huiuſcemodi virtutibus, & gratia militum res præclaras geſſere, ac rerum potiti ſunt.

Quæ miles uitare debet. *Cap. VII.*

QVVM diſciplina militaris (vt dictum eſt) ſit omnium honoratiſsima, & in ea magni Imperatores, Reges, Principes, & Duces ac omnis ciuium nobilitas verſetur, miles, non niſi res nobiles tranſigere debet, & his contraria, vt vilia opera, omni ſtudio declinare, Quod, & ſanctiſsimis legibus cautum eſt. Scribit enim paternus Iuriſconſultus eum debere, qui ſe meminerit armato præeſſe, parciſsime commeatum dare, equumque militarem extra prouinciam Duci nequaquam permittere ad opus priuatum, neque piſcatum, neque venatum mittere; Nam in diſciplina Auguſti ita cauetur, & ſi ſcio fabrilibus operibus milites exerceri non eſſe alienum, vereor tamen, ſi quicquam permiſero, quod in vſum meum, aut tuum fiat, ne modus in ea re non adhibeatur, qui mihi ſit tolerandus. Milites quoque agrum emere in ea prouincia in qua bellica opera peragunt, omnino prohibentur, ne culturæ ſtudio a ſua militia auocentur, domum vero non prohibentur emere. At in alia prouincia agros emere poſſunt. Cæterum in ea prouincia in quam propter belli cauſam venerunt, ne ſub alieno quidem nomine eis agrum emere licet, alioquin proſcribantur. Is etiam, qui contra diſciplinam agrum emerit, ſi nulla de ea re quæſtione mota miſsionem acceperit, moleſtia affici prohibetur. Illud autem conſtat præſcriptionis huius commodum ad eos, qui ignominiæ cauſa miſsi ſunt, non pertinere, quod præmij loco veteranis conceſſum intelligitur. Miles quoque ſine reuerentia non tantum a tribuno, vel a Centurione, ſed etiam a principe coercendus eſt. Nam eum, qui Centurioni caſtigare ſe volenti reſtiterit, veteres notauere infamia. Si autem Scipionem tenuit, militiam mutare debet, ſi ex induſtria fregit, vel manum Centurioni intulit, capite puniendus eſt. Placet enim Menandro, eius fugam, qui quum ſub cuſtodia, vel in carcere eſſet, diſceſſerit, in deſertorum numero non eſſe comparandam, quia cuſtodiæ refuga, non autem militiæ eſſe videtur deſertor. Eum tamen, qui carcere effracto fugerit, etiam ſi ante non deſeruerit capite puniendum eſſe Paulo Iuriſconſulto placuit. At deſertorem, qui a patre ſuo fuerat oblatus, in deteriorem militiam Diuus Pius Imperator dari iuſsit, ne videatur (inquit) pater ad ſupplicium filium obtuliſſet, eumque, qui poſt quinquennium deſertionis, ſe obtulit, Diui, Verus, & Antoninus deportari iuſſerunt. Itidem qui commeatus ſpatium exceſsit, emanſoris vel deſertoris loco, vt eorum vocabulis vtar, habendus eſt. Tamen dierum ratio habetur, quibus tardius reuerſus eſt. Item tempore nauigationis, vel itineris, & ſi ſe probet valetudine impeditum, vel a latronibus interceptum, vel ſimili caſu moram paſſum, dum tamen non ſerius a loco profectum ſe probet, quauis, vt occurrere poſſet intra commeatum, reſtituendus eſt. Verum milites arma alienaſſe, graue crimen eſſe videtur, maxime, ſi omnia, deſertoris pœna afficiantur, ſed ſi eorum partem nihil quidem intereſt. Nam ſi miles tibiarum, vel humeris arma alienauit, verberibus caſtigari debet, ſi vero loricam, ſcu-

tum, galeam, gladium deſertoris ſimilis eſt. Sed Tyroni in hoc crimine facilius ignoſcatur, armorumque cuſtodi plerunque ea culpa eſt attribuenda, ſi arma militi non ſuo tempore commiſit. Qui autem (ipſo Paulo teſte) metu criminis, quo reus iam fuerat poſtulatus, militię nomen dedit; ſtatim ſacramento ſoluendus eſt. Sed miles pacis turbator capite puniendus eſt. Siquidem in Veteranos errantes, non eodem modo eſt animaduertendum. Non enim pro errore Veteranus beſtijs datur, & fuſtibus cęditur, vt lege ſancitum eſt. Magna quidem veteranorum ratio ſemper habita fuit quibus (vt Vulpiano placet) honeſte ſacramento ſolutis data immunitas, etiam in ipſis ciuitatibus, quibus incolę ſunt, plurimum valet, nec vllo modo labefactari poteſt, ſiquis eorum voluntate ſua honorem, aut munus ſuſceperit, vectigalia quoque ac patrimoniorum onera ſolennia omnes ſuſtinere oportet. Quibus etiam (teſte Martiano) & eorum liberis idem honor habetur, qui & decurionibus. Quam ob rem neque in metallum, neque in publicum opus damnandi ſunt. Ad vias autem ſternendas liberi minime exſtunt, vt Iulio Goſiano Veterano reſcriptum eſt, nec ab oneribus poſſeſsionum excuſari poſſunt, eaque eorum nauibus imponi, vt ab Ælio Ruffino, & Antonino claro Veteranis reſcriptum eſt. Sed Diuus Magnus cum parente ſuo a nauium fabrica excuſari, reſcripſit, liberoſque ab exactione tributorum eſſe voluit, ideſt, ne tributorum exactores conſtituantur. Sed qui paſsi ſunt, ſe in ordinem legi, muneribus fungi coguntur. Itaque principes, milites de re. p. in bello benemeritos muneribus augebant, vt cæteri ad bellicam virtutem excitarentur, ac eiſdem gauderent. At retrorſum, ignaui ſupplicio pro noxa afficiebantur, vt alij errores vitarent, & cauerent male militiæ munera obire. Itaque militiæ decus excolebatur, vt bonis præmia decernerentur, malis vero ſupplicia. Quanquam hæc optime ſanctiſsimis legibus ſancita fuere, tamen arbitrio Ducis ſupplicia, & augeri & minui poſſunt, quia eſt habenda ratio perſonæ, dignitatis, temporis, ac ætatis, atque loci. Vbi de militum præmijs, ac ſupplicijs, & quicquid eos efficere deceat, dictum eſt, de proditore etiam aliquid in medium eſt afferendum.

De proditore. Cap. VIII.

ETSI omnia facinora, de malis eſt mihi ſermo, pœnam merentur, vt vulgo tuta probitas ſit, & malorum audacia coerceatur, tamen hoc proditionis genus, quam mereatur, literis committere, perdifficile eſſe video, maxime, vnde hi ſubiti, ac vehementes eius impulſus exoriantur, quorum ictibus hominum mentes concuſſæ, nec ſua pericula reſpicere, nec aliena facta æque proſequi valent. Quare ipſe proditor vanis tanti doli imaginibus concitatus ſeſe tantæ culpæ implicat, nulla venia dignæ. Quæ quidem quam late in hominum pectoribus vagari videatur, eſt omnino difficile dictu, quod ſupplicium proditor mereatur. Quippe qui quantæ eſtimationis ſit apud principem hiſce Regis Antigoni verbis oſtenditur, ſe proditores amare, vbi proderunt, odiſſe. Cæſar quoque in Thracem Rhumitalium proditionem ſibi placere, proditorem autem odio eſſe. Sed pariter in ipſos ita cuncti animati ſunt, qui eorum opera requirunt, veluti quum veneno alicuius feræ indigent, dum id ſibi vſui eſt, illo delectantur, vbi vero nihil indigent, ipſum vitium oderunt. Quod quiſque ſummo ſtudio vitare debet. Quo nihil eſt turpius, ac vitæ pernicioſius, nec quicquam boni, exitu perſpecto, ſperet. Nam etſi ſibi ex hoc maleficio principes multa polliceantur, ac muneribus proditores proſequantur, tamen clam magno ſibi odio ſunt, exiſtimantes id in ipſos eſſe aliquando facturos, hinc de medio ſecreto tollunt, quod ego memini ſæpe legiſſe. Quod quidem merito fit, quia neſcio profecto, quod deterius hoc eſſe poteſt, fidem violare, patriam, parentes, amicos prodere. Quibus quidem eam fidem ſeruandam eſſe cenſeo, quam illi ſuis ſeruarunt, vt eſt apud poetam illum. Neque dedi, neque do fidem infideli cuiquam. Verum principes ad tempus eam ſeruare videntur, vt alios ad proditionem alliciant. Cęteris autem in rebus haud quicquam ſibi creditur. Nam proditores in prędonum ac pyratarum numero recte haberi poſſunt, ac fortaſſe illis longe deteriores. Quibus (vt teſtis eſt Cicero) nulla fides ſeruanda eſt. Nullum (inquit) periurium eſt, vt ſi prædonibus pactum pro capite precium non attuleris, nulla fraus eſt, ne ſi iuratus quidem id non feceris. Pyrata enim nō eſt perduellium numero definitus, ſed communis hoſtis omniū, cum hoc non debet eſſe fides, nec iuſiurandum commune. Seruabitur tamen, ſi pollicitus fuerit iureiurando, ſuum ſcelus relinquere, ac veniam merebitur, ſi res male ablatas dominis reſtituerit, quod perdifficile eſt. De his hactenus, deinceps qua ſcientia Duci, præcipue opus ſit, diſſerendum eſſe videtur.

De ſcientia Ducis ſibi ante pugnam neceſſaria. Cap. IX.

SICVT ſcire pulchrum eſſe ducimus, & ad vitam euro degendam omnino neceſſarium, ſic neſcire, errare, dilabi ac decipi turpe, & ab omni ratione remotum, maxime incognita pro cognitis habere, quæ Imperator omnino cauere debet, præcipue, ne ab hoſte decipiatur. Quam ob rem multiplici rerum ſcientia ſibi opus eſſe video, maxime locorum, ne ab hoſte fortaſſe ſimulata fuga, in inſidias deducatur, locumque idoneum ad pugnam eum ſcire oportet; quia locorum ignoratione multi exercitus profligati fuere, vt de Romanis apud furcas caudinas legimus, hoc ipſum de Mardonio Perſarum Imperatore a Pauſania Lacedæmonio in anguſtiora ſine ordine loca deducto, ac cum vniuerſo exercitu interfecto. Nam quidam Imperatorem omni diſciplinarum genere præditum eſſe autumant, quod omnino laudarem, ſed quia hoc perdifficile eſſe videtur, eam ſaltem calleat diſciplinam, quæ ad bellicum vſum, & induſtriam militarem ſpectat, vt locorum, & temporum peritus ſit, & hæc præcipue ante pugnam vitare ciat, ne miles, puluerem, ventum, ſolem ante faciem habeat, quia pleroſque exercitus hac re profligatos legi, vt Romanum apud Cannas, ad meridiem verſum, Carthaginenſem vero ad ſeptentrionem. Nam ſol ante faciem pugnanti viſum eripit, ventus autem contrarius aciem inflectit, ac deprimit, hoſtiumque tela atque cætera arma adiuuat, puluis a fronte congeſtus oculos implet, & claudit. Quod in Sicilia Carthaginenſibus accidit, qui parua Græcorum manu Duce Timoleonte fuſi, & interfecti fuere. Res quidem vix creditu digna, vt a tribus milibus Græcorum Carthaginēſium fere ſexaginta vincerentur. Quare Imperator nequaquam ſignorum, tempeſtatum ac ventorum cognitionis expers eſſe debet, vt locum ad pugnā capere ſciat, & ſi non datur facultas, poterit ipſum prælium detrectare, ſeque in caſtris continere, ac id ad meliora tempora differre. Quæ quidem quibus rationibus cognoſci poſsint in medium afferre conſtitui ac literis committere, ne Imperator per multa & magna, volumina vagetur, ſed cum cæteris rebus in promptu habeat. Quæ quidem in Sole, & Luna ac multis alijs rebus perſpiciuntur. Quo modo autem, mox dicendum eſſe videtur.

De cognitione tempeſtatum ac temporum, in ortu & occaſu Solis, & Lunæ. Cap. X.

HÆC igitur ventorum ac tempeſtatum ſigna in Solis ac Lunæ ortu & obitu intueri licet. Nam Sol quum purus ortus fuerit, nec feruens, ſerenum diem indicare videtur, pallidus vero hibernam grandinem, quę quidem vento acta, certantibus in faciem plurimum obeſſe. Si vero pridie ſerenus occidit, Et oritur, tanto erit certior ſerenitatis fides. Quum autem concauus oritur, pluuias ſignificat, ac ventos, quum ante eius ortum nubes rubeſcunt, quod ſi nigræ rubentibus interuenerint, & pluuias. Sed quum orientis, occidentiſque radij rubent, pluuias coire, ſignum apertum eſt. Si vero circa occidentem nubes rubeſcunt, futuræ diei ſerenitatem ſpondent, ſi in exortu ſpargentur, tum ad Auſtrum, tum ad Aquilonem, & pura circa eum ſerenitas ſit, pluuiam, & ventos ſignificabunt. Si autem (teſte Plinio) in exortu, aut occaſu radij contracti cernentur, imbrem oſtendunt, ſi autem in eius occaſu pluet, aut radij in ſe nubem trahent, aſperam in proximum diem tempeſtatem indicabunt. Cum oriente radij haud illuſtres eminere videbuntur, & ſi nube minime circundati ſint, pluuiam portendere. Si autem ante exortum nubes globari, aſperam hyemem. Si ab exortu repellentur, & ad occaſum tendent, ſerenitatem. Si vero nubibus Sol circundatus fuerit, quo minus luminis relinquitur ab eis, eo turbidior tempeſtas erit. Si duplex orbis fuerit, eo atrocior, quod ſi in exortu ita fiet, vt nubes rubeſcant, maxima tempeſtas oſtendetur. Si vero non diſcedent, ſed incumbent, a quocunque vento fuerint, eum ominabitur, ſi a Meridie, & imbrem. At ſi oriens orbe cingetur, qua ſe parte aperit, ventum expectari, certum eſt. Si totus defluxerit, ęquam ſerenitatem dabit. Si in exortu longe radios per nubes porriget, mediuſque inanis erit, pluuiam ſignificabit. Si radij ante ortum ſe oſtendent, aquam, atque ventum. Si circa occidentem candidus circulus erit noctis; leuem tempeſtatem, ſi nebula, vehementiorem, ſi candente Sole, ventum. At ſi circulus ater fuerit, ex qua regione ſeſe ruperit, magnum quidem ventum. De quibus ſignis poeta his carminibus cecinit, quæ quiſque memoriæ facilius prodere poterit.

Sol quoque & exoriens, & cum ſe condet in vndas
Signa dabit, ſolem certiſſima ſigna ſequentur.
Et quæ mane refert, & quæ ſurgentibus Aſtris
Ille vbi naſcentem maculis variauerit ortum,
Conditus in nubem, medioque refulſerit orbe,
Suſpecti tibi ſint imbres, namque vrget ab alto.
Arboribuſque, ſatiſque notus, pecorique ſiniſter.
Aut vbi ſub lucem denſa inter nubila ſeſe
Diuerſi rumpent radij, aut vbi pallida ſurgit
Tithoni croceum linquens aurora cubile.
Tam multa in tectis crepitans ſolit horrida grando.

Poſtea poeta ſigna pluuiæ, & venti in occaſu ipſius Solis, his quoque carminibus cecinit.

Ceruleus pluuiam denunciat, igneus euros,
Sin maculæ incipient rutilo immiſcerier igni,
Omnia tum pariter vento, nimbiſque videbis
Feruere, non illa quiſquam me nocte per altum
Ire, neque a terra moneat conuellere funem.
At ſi cum referetque diem, condetque relatum,
Lucidus orbis erit, fruſtra terrebere nimbis.
Et claro ſiluas cernes aquilone moueri.

Deinde lunæ ſigna ſequuntur, quæ quidem exorta, ſplendens, puroque nitore fulſerit, ſerenitatem ſignificat, ſi rubicunda, ventos, ſi nigra, pluuias. At in quinta, cornua eius obtuſa, pluuiam. Quartam vero Ægyptij maxime obſeruant. Erecta & infeſta, ventos. Quarta ipſa maxime, cornua eius ad ſeptentrionalem plagam rigidum illum ventum præſagire videntur. Inferius auſtrum, vtraque recta, noctem ventoſam. Si quartum orbis rutilus cinget, ventos, & imbres. Varronis teſtimonio. Si aut quarto die luna directa erit, magnam in mari tempeſtatem, niſi coronam circa ſe habuerit, & ſinceram, ſi pleni lunio per dimidium pura erit, dies ſerenos, ſi rutila, ventos. Nigra autem imbres. Sed ſi calido orbis nubem incluſerit, ventos, qua ſe ruperint. Si gemini orbes cinxerint, maiorem tempeſtatem, & magis, ſi tres erunt, aut nigri, aut diſtracti. Siquidem luna creſcens exoriens, ſi cornu ſuperiore ab atro ſurget, pluuias decreſcens dabit. Si inferiore ante plenilunium, ſi in media nigredine illa fuerit, imbrem in pleni lunio. Si plena circa ſe orbem habebit, ex qua parte maxime, ſplendebit, ex ea ventum oſtendet. Si in ortu cornua craſsiora fuerint, horridam tempeſtatem. Si ante quartam non apparuerit, flante fauonio, toto menſe hyemalis erit. Si autem xvi. vehementius flammea apparuerit, aſperas tempeſtates oſtendit. De quibus idem poeta his carminibus cecinit.

Luna reuertentes cum primum colligit ignis,
Si nigrum obſcuro comprehenderit aera cornu
Maximus Agricolis, pelagoque parabitur imber.
At ſi Virgeneum ſuffoderit ore ruborem
Ventus erit, vento ſemper rubet aurea phœbe.
Sin ortu in quarto, namque is certiſsimus autor,
Pura, nec obtuſis per cælum cornibus ibit.
Totus & ille dies, & qui naſcentur ab illo
Exactum ad menſem pluuia, ventiſque carebunt.

De ſignis tempeſtatum ex motu ſyderum. *Cap. XI.*

QVANTVM etiam commodi ſignorum cognitio in ſyderum motibus afferat hiſce rationibus conſtabit. Nam plerunque diſcurrentia ſydera venti protinus ſequi ſolent. Præterea cum repente ſtellarum fulgor obumbratur, vti neque nubilo, neque caligine fluctuans, graues tempeſtates ſignificare videntur. Si vero plures volitare, quo albeſcentes feruntur, ventos ex his partibus. At ſi circa, puræ ſtabunt, certiores, ſi id pluribus in partibus fiet, inconſtantes ventos effundent. Si ſtellarum errantium aliquam orbis incluſerit, imbres. Præterea in cancri ſigno duæ ſtellæ paruæ exiſtunt, qui aſelli appellantur, exiguum inter illas ſpatium nubecula obtinente, quam præſepia appellant. Hæc cum cœlo ſereno apparere deſierit. Atrocem hyemem ſequi videmus. Si alteram earum Aquilonis caligo abſtulerit, Auſtrum ſæuire. Si ipſius

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

Auſtri caligo, & nouem Aquilonis circuli circa aliqua ſydera erunt, pluuiam. Sed cum atrociſſime ex quatuor cœli partibus fulgurabit. Cum ab Aquilone tantum in poſterum diem, aquam portendere, a ſeptentrione ventum, ab Auſtro, aut choro, aut fauonio, nocte ſerena fulgurauerit, ventum, & imbrem ex hiſdem regionibus oſtendet. Tonitrua autem matutina ventum ſignificant, imbrem Meridiana. At nubes cum ſereno cœlo feruntur, a quacunque id fiet parte, venti expectandi ſunt. Si autem eodem loco globari perſpicientur, appropinquante ſole, diſcutientur, & hoc ſi ab Aquilone fiat, ventos, ſi ab Auſtro imbres, ſole occidente, ſi ex vtraque eius parte cœlum patet, tempeſtatem. Vehementius autem ab oriente in noctem, aquam minantur, ab occidente vero in poſterum diem, cœlo quamuis ſereno, nubecula, licet parua, ventum procelloſum dabit. Atqui nebulæ e montibus deſcendentes, aut cœlo cadentes, vel in vallibus ſedentes, ſerenitatem promittunt. Quæ quidem Imperatoribus, Ducibus ac claſsis præfectis plurimum prodeſſe video, ac horum ignoratione, non ſolum multi exercitus (vt dictum eſt) ſuſi fuere, ſed etiam claſsium multitudo ventis, & fluctibus acta omnino periit. Quæ profecto, ſi Carolus Quintus Imperator eiuſdem nominis, quum in Africam traiecit, cognouiſſet, nec claſſem, nec fortaſſe oblatam ſibi victoriam amiſiſſet. Quocirca principes, aut diſcant, aut ſecum viros, rerum peritos habeant. Ea enim omitto, quæ fortunæ, aut Dei voluntati attribui poſſunt, quæ quidem cum maxime ſint occulta, minime ſciri poſſunt. At nemo ab officio ſuo, deſiſtat, ea ſcire, quę natura, & ars pollicetur, ne ſaltem id ſibi ad ignauiam tribuatur. Sed quia hęc ſigna Solis & Lunę, ac cæterorum ſyderum ad vulgarem hominem minime ſpectare videntur, nec illi tanta rerum peritia ineſſe poteſt, reliqua faciliora, ac vulgaria ſigna ſcribere conſtitui, vt etiam literarum ignari condiſcere poſsint, & illi etiam, qui ſe aliquid adeptos, arbitrabuntur. Qua quidem in re Plinium ſoluta oratione, ac poetam equeſtri imitari decreui. Quippe qui optime ſcripſere, cui ſi illa haud placuerit, hanc complectatur, maiorem fortaſſe ſibi fructum afferentem, quia Muſę plurimum delectare ſolent.

De ſignis terreſtrium ignium, ac aliarum rerum. Cap. XII.

NAM ipſi ignes, ſi pallidi, murmuranteſque erunt. Tempeſtates ſignificare creduntur, pluuiam quoque, ſi in lucernis fungi, ſi flexuoſe flamma voluet, ventum. Et lumina, quum pręſe flammas elidunt, aut vix accenduntur. Pręterea cum in eo pendentes coaceruantur ſcintillę, vel cum tollentibus ollas carbo adhęreſcit, aut cum contentus ignis a ſe fauillam diſcutit, vel ſcintillam emittit, vel cum cinis in igne concreſcit, & cum carbo vehementer lucet. Et poeta de his aliquid cecinit.

Nec nocturna quidem carpentes penſa puellæ.
Neſciuere hyemem teſta cum ardente viderent
Scintillare oleum, & putres concreſcere fungos.

Pręterea ſi littoris Ripęque tranquilla reſonabunt, aſperam tempeſtatem ſignificant. Maris quoque ipſius tranquillus ſonitus, ſpumęque diſperſę, aut aquę bullientes, pulmones marini in pelago plurimum dierum hyemem portendunt, hoc claſsi ad prælium nauigaturę prodeſt, ſępe & ſilentio intumeſcit, & flatum altius ſolito iam intra ſe ventos eſſe fatetur. Siquidem montium ſonitus, nemorumque mugitus prędicunt, & ſine aura, quę ſentiatur, folia ludentia, lanugo populi arboris, aut ſpinę volitans, a quiſque pluma innatant. De quibus ipſe poeta ait.

Continuo ventis ſurgentibus, aut freta ponti
Incipiunt agitata tumeſcere, & arduus altis
Montibus audiri fragor, aut reſonantia longe
Littora miſceri, & nemorum increbeſcere murmur.
Iam ſibi tum curuis male temperat vnda carinis.
Quum medio celeres reuolant ex equore mergi.
Clamoremque ferunt ad littora, quumque marinæ
In ſicco ludunt fulicæ, notaſque paludes
Deſerit, atque altam ſupra volat Ardea nubem.

Nam & animalia multa tempeſtatum ſigna pręſagire videntur, vt Delphini tranquillo mari laſciuientes flatum ex qua veniunt parte aquam ſpargentes ac tranquillitate turbantes, loligo volitans, chonchę adhęrentes, Echini ſeſe affligentes, aut arena ſuburrantes, ſunt tempeſtatis ſigna. Mergi quoque anateſque pennas roſtro purgantes, ventum. Cętereque aquaticę aues concurſantes, Grues in mediterranea feſtinantes. Mergi maria, aut ſtagna fugientes. Sed Grues ſilentio per ſublime volantes, ſerenitatem indicant. Sic noctua in imbre garrula, in ſereno vero

tempeſtatem. Corui autem quodam ſingultu latrantes, ſeque concutientes, continuo, ventos, Si vocem carptim reſorbebunt, ventoſum imbrem. Et cum terreſtres volucres contra aquas clangores dabunt, ſeſe perfundentes maxime, cornix. Hirundo tam iuxta aquam volitans, vt penna eam ſępe percutiat. Anſeres continuo clangore intempeſtiui, Ardea in medijs arenis triſtis. De quibus, & idem poeta.

Tum liquidas corui preſſo ter gutture voces,
Aut quater ingeminant, & ſæpe cubilibus altis,
Neſcio qua pręter ſolitum dulcedine læti,
Inter ſe folijs ſtrepitent, iuuat imbribus actis
Progeniem paruam, dulceſque reuiſere nidos,
Haud equidem credo, quia ſit diuinitus illis
Ingenium, aut rerum fato prudentia maior.

In terris quoque multa ſigna videri ſolent. Nam pecora exultantia, & in decora laſciuia ludentia eandem ſignificationem habent, boues enim cœlum olfantes, ſeque lambentes contra pilos. Turpeſque ſues alienos ſibi manipulos feni lacerantes. Vermes terreni erumpentes formicę abſconditę ſegniter contra induſtriam ſuam concurſantes, aut oua progerentes. Item in conuiuijs menſiſque vaſa, quibus eſculentum additur, ſudorem repoſitorijs linquentia, diras tempeſtates indicant. De quibus pręclare poeta cecinit, ac alia addidit.

Sæpe leuem paleam, & frondes volitare caducas,
Aut ſumma nantes in aqua colludere plumas,
At boreæ de parte trucis cum fulminat, & cum
Eurique, zephirique tonat domus, omnia plenis
Rura natant foſſis, atque omnis nauita ponto
Humida vela legit, nunquam imprudentibus imber
Obfuit, aut illum ſurgentem vallibus imis
Aeriæ fugere Grues, aut bucula cælum
Suſpiciens patulis captauit naribus auras.
Aut arguta lacus circumuolauit hirundo.
Et veterem in limo Ranæ cecinere querelam.
Sæpius & tectis penetralibus extulit oua
Auguſtum formica iter, & bibit ingens
Arcus, & paſtu decedens agmine magno
Coruorum, increpuit denſis exercitus alis.
Iam varias cæli volucres, & quæ Aſia circum
Dulcibus in ſtagnis rimantur prata Cayſtri.
Certatim largos humeris infundere rores.
Nunc caput obiectare fretis, nunc currere in vndas.
Et ſtudio in caſſum videas geſtire lauandi.
Tum cornix plena pluuia vocat improba voce.
Et ſola in ſicca ſecum ſpatiatur arena.

Hęc ſcire cuilibet Duci Terra marique pugnaturo, ae neceſſaria eſſe non me fugit, quia locum capere ad pugnam nouerit, & tempeſtatum pericula vitare, maxime ſi mari decertandum erit. Ac de eiuſmodi ſignis, deinceps de bellorum rationibus differendum eſt.

FINIS TERTII LIBRI.

AD EMANVELEM PHILIBERTVM
SERENISSIMVM ET INVICTISSIMVM
SABAVDIAE DVCEM ETC.

DOMINICI CYLLENI, GRAECI
DE DISCIPLINA MILITARI.
LIBER QVARTVS.

De Publico Marte. *Cap. I.*

OMNIS profecto ars (vt Ariſtoteles ſcribit ad Nichomacum) O. P. omniſque doctrina, actuſque, ac electio, quiddam bonum apperere videtur. Quamquidem mortalium generi, a ratione haud abhorrenti ineſſe ſemper debere arbitramur. Nam ſolus homo a ſuæ naturæ diuinitate, ſuoque recto fine declinans, plerunque ſuas actiones peruertit. Hinc omne malum, luctus, lachrymas, exilium, atque flagella experiri videtur, maxime, ſi a diuinæ clementiæ bonitate, ac vitæ rectitudine, receſſerit nequaquam. Hæc enim eum colere exiſtimabo, ſi optimus pacis cultor erit. Cuius quidem nomen (teſte Cicerone) eſt dulce, res vero ipſa tum iucunda, tum ſalutaris, quia nec priuatos focos, nec publicas leges, nec libertatis iura chara habere poteſt. Nam quem diſcordiæ, quem cædes ciuium, quem bellum ciuile delectat, eumque ex hominum cætu eiiciendum, & ex humanæ naturæ finibus exterminandum eſſe, puto. Recte igitur Creſſum Lidorum Regem ad Cyrum Perſarum Principem dicere ſolitum accepimus. Neque enim quiſpiam ita amens eſt, vt bellum magis, quam pacem peroptet, quia in pace filij parentes, in bello parentes filios ſepeliunt. Iccirco ab Oratore optime dictum fuit. Cedant arma togæ, concedat laurea linguæ. Quæ quidem cum minime haberi poſsit, & ad arma confugere, neceſſe ſit, belli iura omnino ſeruanda ſunt, vt id iniuria inferri videatur, maxime, id Auguſti omni cura excolendum eſſe videtur, qui ſemper belli opportunitatem expectari cenſebat, ſatque celeriter fieri, quicquid ſatis bene fiat. Quippe bellum ſuſcipiendum omnino negabat, niſi cum maior emolumenti ſpes, quam damni metus oſtenderetur. Nam minima commoda haud minimo ſectantes diſcrimine, aureo ſimiles eſſe aiebat hamo piſcantibus, cuius abrupti nulla damnum captura penſari poſſet. Bella igitur ob hanc cauſam ſuſcipienda ſunt, vt ſine iniuria in pace viuatur, quæ eſt belli finis. Nam belli æquitatem in omneis ſummo ſtudio excolendam eſſe puto, vti ſanctiſsime fœciali populi Romani iure perſcripta erat, ex quo intelligi poterat nullum bellum eſſe iuſtum, niſi quod, aut rebus repetitis geratur, aut (vt inquit Cicero) ante denunciatum ſit, & indictum, quod huiuſmodi erat, ab Anco Martio Numæ Pompilii ex filia nepote inſtitutum. Nam vnus fœcialium in ſacris veſtibus ornatus (vt eſt apud Liuium) res repetitum ibat, & vbi ad hoſtium fines veniebat. Capite velato velamine laneo, audi Iuppiter (dicebat) audite fines cuiuſcunque gentis ſunt, numina audiant, fas verbiſque meis fides ſit, inde poſtulata peragebat (Iouem teſtem inuocando) peractoque ritu bellum indicebat. Inde haſtam ferream, ſanguineam, peruſtam, hoſtilem in agrum iaciebat, dicens, bellum indico, ac facio. Secus enim nemini licebat arma capere. Sed aucto imperio cum nimium hoſtes ab Vrbe diſtarent, fœcialis, vel prætores, haſtam ſupra collumelam, quæ Rome erat in capite maximi Circi ante Bellonæ templum iaciebant, ita vetus belli ritus ſeruabatur. Sed ſine cauſa bellum alius inferre, non denunciatum prius, & indictum belluarum eſſe, cenſeo. Hoc igitur ſeruato more, ſiue recentiore antequam conſeratur multa perito militiæ duci ſeruanda eſſe video. Primum enim animaduertendum eſt, nequid hoſtium arbitrio fiat, ac ſemper aliquid in eos eſſe moliendum, eorumque conſilia exploranda, ac ſumma diligentia occultanda. Nunquam milites in aciem producas, de quibus antea periculum non feceris. Et ſi fieri poteſt, ſatius eſt, hoſtem fame, quam prælio domare. In quo fortuna plus poteſtatis, quam virtutis habere ſolet. Nulla

enim conſilia ſunt illis meliora, quæ aduerſarius (antequam facias) ignorauerit. Huc accedit, quod occaſio in bello amplius iuuare ſolet, quam ipſa virtus, quæ quidem Duci ſemper expectanda eſt, quia in ea magna victoriæ pars eſſe videtur. Quocirca Duci ſemper ſit libera certandi facultas. Nam quum varia ſit decertandi ratio, varius eſt ordo requirendus in acie, qui paulo altius nobis repetendus eſt. Nam quidam volunt, longa fronte, quadratoque exercitu pugnandum eſſe, præcipue, ſi ſit militum multitudo, ſummopere prodeſt. Quam quidem pugnandi rationem militiæ periti, haudquaquam approbare videntur, quia quum in longo ſpatio pugnatur, non equalis campus ſemper occurrit, tum quia aliquando in medio ſinus hiare videtur, aut curuus efficitur, quo frequenter acies irrumpitur, tum quia ſi aduerſarius multitudine præſtet, a lateribus, aut dextram, aut leuam alam circumuenire poterit. Qua quidem periculum imminere perſpicitur, niſi Dux ſuperfluos milites habuerit, qui agmen ſuſtineant, hoſtemque repellant. Hoc profecto ordine ſolus ille confligere poterit, qui, & plures, & fortiores milites habuerit, vt hoſtes, ex vtroque cornu circumueniat, & quaſi in ſui exercitus ſinum concludat, ſic valet, quadrata acie decertare. Eſt etiam alia pugnandi ratio, ſi paucos ſtrenuos in aciem deduxeris, etiam loco idoneo hoſtium multitudine, & virtute turbaberis. Tamen ſic victoriam reportare poteris. Cum enim acies inſtructæ ad congreſſum venerint, tunc leuam alam tuam a dextera aduerſarij tui longe ſeparabis, ne aliquod armorum genus ad eam perueniat, nec (ſi fieri poteſt) tormentorum pilæ. Atqui dextram alam tuam leuæ illius alæ iunge. Itaque primum poteris prælium inire, vt cum optimis equitibus, ac peditibus probatiſſimis leuam illius partem, cui te iunxeris, aggrediaris, & deturbando, ſupercurrendoque ad hoſtium terga peruenias. Quod ſi aduerſarios exinde pellere cœperis, tuis accedentibus facile victoriam conſequeris, tuique exercitus pars, quam ab hoſte ſummoueris, ſecura manebit. Hæc enim acies ad ſimilitudinem. A. literæ, vel fabrilis libellæ conſtituenda eſt. Itaque qui ſe numero imparem iudicat militum dextro cornu ſuo, hoſtium, leuum pellat. Si autem hoſtis te prior fecerit, quos poſt aciem ſuperfluos diximus, debere poni tam equites, quam pedites ad leuum cornu tuum colliges, ſic hoſti magnis viribus reſiſtes, ne quidem arte pellaris. Eſt alia quoque ratio huic fere ſimilis, ſed in hoc differre videtur, quia a leuo cornu tuo cum illius incipis dextro confligere. Nam quaſi mancus eorum impetus eſſe perſpicitur, & aperti cum eorum difficultate hoſtes aggrediuntur, qui in leuo cornu dimicant, quod apertius declaratur. Siquidem quum alam tuam leuam longe meliorem habueris, tum fortiſſimos equites, ac pedites coniunges, & in ingreſſu ipſam primam applica ad alam hoſtium dextram, & quoad eius efficere poteris, hoſtis dextram pellere, & circuire feſtina. Aliam autem copiarum partem, in qua deteriores milites te habere noſti, a leua illius longiſſime ſeparare, memor eſto, vel ne gladijs inuadi poſsit, vel ad eam tela perueniant. Quo quidem cauendum eſt, ne hoſtium Cuneis, tua tranſuerſa acies elidatur. Sed in hoc tutius pugnari videtur, ſi aduerſarius infirmius dextrum cornu habuerit, tu vero longe fortius leuum, quæ eſt decertandi ratio. Qui enim leuam alam fortiſſimam ſe habere nouerit, dextram hoſtis inuadat, quod in omnibus faciendum eſſe reor, infirmiorem partem fortiori ſemper inuadendam eſſe exiſtimo, quo fit; vt hoſtis facile ſuperetur. Huc alia pugnandi ratio accedit. Nam quum copias in aciem deduxeris, ante quadringentos, vel quingentos paſſus quam ad hoſtes peruenias, nihil eo cogitante, ſubito ambas alas te incitare decet, vt ex vtroque cornu imparatos hoſtes in fugam vertas, & citius victoriam conſequeris. Hac profecto certaminis ratione cito vinci poteſt, ſi Duci, fortiſſimi ac exercitatiſſimi milites erunt. Tamen aliquod diſcrimen imminere videtur, quia mediam aciem ſuã; qui ſic dimicat, denudare compellitur, ac duas in partes exercitus ſeiungere, ſi primo impetu hoſtis haud victus fuerit. Hoc modo Cæſar longa acie Scipionis exercitum diuiſit, & ludit, poſtea occaſionem habeat, qua inuadat, & cornua diuidat, & mediam aciem deſtitutam. Hoc enim hæc pugnandi ratio requirit, vt Dux vtroque cornu ſtrenuos milites habeat. Eſt enim valde periculoſum, copias diuidere. Quod ab Alexandro cognitum (vt dictum eſt) impedimentis a Perſis diripiendis, ſuccurrere noluit, vt eſt cuiuſque prudentiſſimi Ducis. Eſt quoque eadem fere decertandi ratio huic ſimilis, ſed hoc vnum amplius ea habere videtur, quia leuis armaturæ milites ante mediam aciem locantur, vt illis reſiſtentibus acies non poſsit erumpi. Non enim laudo hunc locum eiuſcemodi militum generi propter multa pericula, quæ imminere ſolent, maxime his temporibus, tormentorum ratione, quibus facile confoderentur. Nam ſicut de dextro cornu, illius leuum, & ſi de leuo ipſius cornu dextrum adoriatur, quod ſi fugauerit, ſtatim vincere poterit; ſin minus, media illius acies minime laborat, quia (vt aiunt) ab eiuſmodi leuis armaturæ militibus, ſiue ſagyttarijs, aut telis, aut tormentorum minorum pilis defenditur hoc tempore, ſic fortaſſe illis locus eſſet. Quæ quidem pugnandi ratio eſt. Cui profecto leuis armaturæ milites ſunt, vtranque hoſtis alam inuadat, ferentarijs ante mediam aciem conſtitutis more vetuſto, quo noſtri non vtuntur. Hæc enim vt optima ab illis probabatur, ac primæ proxime perſimilis. Hac enim vti poſſunt, qui de numero, & virtute ſuorum deſperant, licet recte aciem inſtruxerint. Siquidem cum inſtructa acies ad hoſtem accedit. Tertiam alam tuam leuæ, hoſtium ſiniſtræ iunge, ibique per probatiſſimos equites, ac velociſſimos pedites prælium inire poteris. Reliquam autem partem copiarum tuarum a dextra illius parte procul remoue, ac in rectum porrige, veluti

veru. Nam cum leuam partem illius a tergo, & a lateribus cædere cœperis, facile in fugam vertere poteris. Nam hoſtis, nec de dextro cornu ſuo, nec dimidia acie ſuis laborantibus ſuccurrere poteſt, quia tua acies extenditur, & totam ad ſimilitudinem, L. literæ longe ſe porrigit; quæ ab hoſtibus recedit. Hac quidem ratione in itineribus plerunque confligitur. Alia quoque dimicandi ratio eſſe videtur, quæ loci beneficio dimicantem adiuuat. Qua profecto parua manu, ac minus fortiori, hoſtes ſuſtinere poteris, ſi tibi mare, aut mons, aut lacus, flumenue, aut paludes, aut Ciuitas, aut abruta vna in parte fuerint, ex qua hoſtis non poſsit accedere. Reliquas vero copias directa acie conſtrues. Sed in illa ala, cui nulla eſt munitio, omneis equites (more vetuſto) ferrentarioſque locabis. Tunc tutius cum hoſte, tuo arbitrio confligere poteris, quia ab vna loci parte te natura ipſa munire videtur. Ab alia vero duplex equitatus locandus eſt. Sed hoc extolendum eſſe exiſtimo, quo melius quicquam eſſe poteſt, vt ſiue dextro cornu tuo cum illius læuo pugnare volueris, ibi fortiſsimos milites locato, ſiue de læuo cum dextro illius, ibi ſtrenuos locandos eſſe putato, ſiue in medio Cuneos facere volueris, per quos hoſtium acies rumpas, in ipſo Cuneo ſtrenuos milites ac exercitatos inſtruas. Nam victoria parua manu (vt legitur) fieri conſueuit. Verum enimuero hoc eſt prudentiſsimi Ducis, milites his locis locare, vbi opus eſſe videtur, & ratio poſtulare, vt qui equitatu valet, apertum campum capere debet, qui autem peditatu loca editiora. Quo circa Xantippus Lacedæmonius Carthaginenſes hac de re ſæpe a Romanis profligatos eſſe differebat, quæ his contrario ordine dimicabant, ſed in ipſo certamine Dux ſuis ita conſulat (vt dictum eſt) ne quidem ſolem, ventumque, ac puluerem in faciem habeant. Tanta eſt enim ordinis circa copias varietas, vt vix de ſingulis ſingula dici poſsint, quia crebra hoſtilis ordinis mutatio (vt tempus ſeſe offert) tuam efficit, atque retrorſum, & vt locus, ſitus, regio requirit, miles locandus eſt. Hactenus de veteri ordine nouo mixto, deinceps de nouo ſiue recentiori differendum operæpræcium eſſe duxi, vt perfectior reddatur vtriuſque cognitio, quia decertandi ratio eſt penitus diuerſa ab illa vetuſtiore.

De promiſcuo ordine militari. Cap. II.

CVM enim diuerſa rerum tempora, diuerſas eorum viciſsitudines, ac bella efficiant, neceſſe eſt, eorundem ordinem indies mutari, & noua armorum genera requiri, atque quot ducum capita, tot ferme ordinibus opus eſſe video, vt re ipſa compertum eſt. Nam inter alios, Catoni ſic aciem inſtruere placuit, In primo ordine exercitatos ac veteranos milites locabat, qui principes appellantur. In ſecundo ordine circundatos cataphractis, & optimos milites cum Spiculis & haſtis, qui prohaſtati vocantur. Iterum a tergo intra ordinem illatum ſex pedes diſtare voluit, vt pugnantes ſpatium accedendi, ac recedendi habeant. Vehementius enim cum ſaltu cohortis tela torquentur in hoſtes in his duobus ordinibus ætate maturi, vſuque confidentes, ac grauioribus armis muniti collocantur. Ii enim adinuicem veluti muri, nec cedere, nec ſequi deberent, ne ordines turbentur, ſed venientes hoſtes excipere, & ſtando, & pugnando, repellere, fugareue. Tertius autem ordo velociſsimis armatis, ſagyttarijs, iaculatoribus, quos ferrentarios vocabant, diſponebatur. Quartus autem ordo expeditiſsimis ſcutatis, ac minoribus ſagyttarijs conſtituebatur. Nam ſtantibus primis, Tertium, quartumque ordinem cum miſsilibus ad prouocandum primo loco ſemper exire neminem lateat, qui ſi hoſtes in fugam vertere poterunt, ij cum equitibus perſequuntur. Si vero ab hoſtibus pulſi fuerint, ad primam, & ſecundam aciem redeunt, & inter ipſos ſe ad loca ſua recipiunt. Prima autem & ſecunda acies, quum ad pila (vt dicitur) peruentum fuerit, totum bellum ſuſtinent. In quarta vero acie (more vetuſto) funditores, tragulares, fuſtibulatores, locabantur. Sextus autem ordo poſt omneis inferioribus, & ſcutatis ac omni armorum genere munitis militibus tenebatur. Poſtremam aciem hoc Catonis ordine triarij tenebant, veluti aliarum robur, in quo tota belli virtus conſiſtere cernebatur, de quibus latius dictum eſt alio loco. Omnibus enim ſigniferis (quamuis pedites) minores loricæ, galleæ, ad hoſtium terrorem vrſinis pellibus tectæ erant. Centurionibus autem cataphracti ſcuta, & ferreę galleę. Qui quidem ordo multis in rebus neque negligendus eſſe videtur. At ſuſpectis militibus qui locus eſſe debeat, Annibal hoc ordine optime cuncta docuit. Quippe qui aduerſus Scipionem in Africa, quum exercitum ex pœnis. Auxiliaribuſque haberet, quorum quidem pars, non ſolum ex diuerſis partibus, ſed etiam Italicis conſtabat, poſt Elephantes. lxxx. Qui poſiti in prima fronte hoſtium aciem turbarent, auxiliares Gallos, Liguresque ac Barbaros alios poſuit, ne poſſent fugere, pœnis a tergo ſtantibus, & hoſtem, oppoſitis, ſi non infeſtarent, eum ſaltem fatigarent. Cum ſuis autem & Macedonibus, qui iam feſſos Romanos integri exciperent, in ſumma acie collocatis, nouiſsimos Italos conſtituit. Quorum & fidem, & ſegnitiem (vt ait Liuius) timebat, quoniam pleroſque eorum ab Italia inuitos extraxerat, Scipio autem hoc perſpecto ordine & forma, aliam adinuenit. Nam legionis robur, triplici acie in fronte conſtitutum per haſtatos, principes, & triarios oppoſuit, nec continuas.

cohortes conſtruxit, ſed manipulis, inter ſe diſtantibus ſpatium dedit, per quod Elephantes ab hoſtibus acti, facile ſine ordinum perturbatione tranſmitti poſſent, ac ea interualla expeditis velitibus impleuit, ne quidem acies interluceret, eique præcepto dato, vt ad Elephantorum impetum, vel recta, vel in latera concederent. Equitatum deinde in cornua diſtribuit, dextro Romanis equitibus Lælium, læuo vero Numidis Maſsiniſſam præfecit. Cuius profecto ordinandi prudentia victoriam peperit. Sed Annibalis error fuit, ad eum tumulum, ſuos accerſendi cauſa proficiſci, quia ſui fugam rati fuere milites. Itaque profligati, Scipioni victoriam dedere, quæ tota ab optimo Ducis ordine profecta fuit. Quocirca tui hoſtis ordinem ſemper ſpectare debes, qui te tuas copias inſtruere docebit. Quare plerunque militaris ordo incertus efficitur paucis ſeruatis. At noſtris temporibus magna cum veteri mutatio facta eſt, armorum cauſa, maxime tormentorum, quibus locus idoneus ac peculiaris ſtatuendus eſt. Qui quidem ſic ſe habere videtur, & aliquando fortaſſe figura conſtabit in alio opere. Quum enim duobus cornibus, dextro, & læuo, ac iugo ſiue medio exercitus conſtet, ac veluti corpus ſuis partibus, ſic ipſe multis aciebus perficitur. Nam acies ipſa, ſiue quadrata, ſiue triangularis, vel ſcorpionis, aut quacunque alia forma conſtituta erit, in eius medio ſpatium relinquitur, in quo Ducis ſignum poni ſolet, circum id equites armati, quaſi vt cataphracti, in angulis, & etiam in medio tormenta, ſiue in fronte, quæ quum pilas emittunt, milites cedere debent, vti quandam alam facientes, deinde ad ſua loca ſimul redeuntes impetum in hoſtes faciunt. Pedites inter haſtatos vndique a fronte & a lateribus, & a tergo qui parua tormenta, ideſt, Arcubuſos geſtant, collocantur, ac ſingulis haſtatis ſinguli interſeruntur. Sic quælibet peditum acies inſtruitur. Poſt dextrum & ſiniſtrum cornu in lateribus equites grauis armaturæ locantur, veluti murus, & peditum robur, vel vbicunque (vt dictum eſt) erunt hoſtium equites, illis ſunt opponendi, & etiam a tergo, ſi opus erit, ſi ibi aliqua ſuſpitio eſſe videatur, etiam ſtrenui pedites locentur, qui terga cum impedimentis cuſtodiant, quæ quidem in caſtris manere ſolent. Xantippus Lacedę. in Africa contra M. R. Attilium leuem armaturam in prima acie collocauit, in ſubſidio robur exercitus. Extra ipſa latera (vel vbi duci placuerit) equites leuis armaturæ ad pugnam ineundam & laceſſendum hoſtem, & nequis fugiat, locari ſolent. Cæteris armorum generibus recentiores in Europæ partibus parum vtuntur, niſi nonnulli orientem ſpectantes, ſagyttis. Debet igitur exercitus ita inſtrui, vt acies aciei in ſubſidio parata ſit laboranti. De Ducum, & militum locis dictum eſt. Tormentis vero ſuis locis collocatis, more militari, & in medio, & angulis acierum vel vbi opus fuerit, hoc Dux animaduertere debeat ante pugnam, vt ſi natura aliquem collem, aut tumulum obtulerit, capiat, teneatque, ac in eo tormenta ita diſponat, vt ſuis nequaquam obeſſe poſsint. Si autem ipſa natura tantum tibi commodi negauerit, poteris nocte, quam dies pugnæ ſequitur, ædificare, tumulum tantæ quidem altitudinis, vt tormentorum pilæ ſine tuorum periculo torqueantur vel emittantur in hoſtes. Quod ſi effici non poteris, ſuper iunctos aliquot currus ſuperpoſitis tabulatis ipſa tormenta locare poteris. Cętera iudicio, & Ducis prudentiæ relinquenda eſſe duxi. Dux enim ante pugnam Romanos Conſules imitari poterit, vt a Polybio narratur. Qui quidem, quum dies pugnandi adeſſet, in locum editiorem ex terra factum cum principum comitatu, ſono tubæ omnes belli Duces conuocabant, & longa oratione, ſuadendo, vt ſtrenue pugnarent, & de victoria nihil hæſitarent. Nam conſuli omnis autoritas, hac excepta, a Senatu decernebatur, ad pacem confirmandam, hanc ſibi Senatus ſeruabat, in cuius virtute ſe omnino confidebat, in qua patriæ ſalus, ciuium, ac cæterarum rerum, quas charas habebat, & optime quidem, conſiſtebat. Quum enim de locis & militum, & ducum, multa dicta ſint, quærit curioſus miles, quis vere ſit Duci in exercitu locus decernendus. Illum quidem eſſe exiſtimo, quem philepomœnes iudicabat. Qui quidem cenſebat, haud decere ſtrenuum Ducem ante aciem ire. Sed modo iuxta primos, modo prope vltimos, modo per medium equitare, & vbi aliquis error eſſet, prouidere. Quod quidem præceptum maxime propter tormenta his temporibus ſeruari debet, quia tota belli ſumma, virtus, & robur, ac victoria in Duce conſiſtit, quo amiſſo, cætera labefactari, certum eſt. Quod etiam Scipionem ſeruaſſe legimus, quum illi reſpondiſſet, matet eum, non militem, ſed Imperatorem genuiſſet, quod hodie maiori ſtudio, maiori imminente periculo, excolendum eſt, quia ſtrenuus Imperator ab ignauo, & ſegni milite occidi poſſet, quod maximi dedecoris eſſe arbitror. Erit igitur prudentiſsimi Ducis haud munus militis, ſed Imperatoris obire, quia non æquo Marte bella geruntur, quibus vires ingenium, ac omnis induſtria deeſſe uidetur. Neq; enim a veteribus ſunt repetenda exempla. Ego memini ſtrenuos copiarum Duces, & militiæ peritiſsimos complures in huiuſcemodi mortis genus incidiſſe. Nam ſi Alexander Macedonum Rex, & Cæſar his prælijs adeſſent, aut ipſa Dæmonum arma, quæ Vulcania recte appellari poſſunt, ſuis temporibus fuiſſent, neque ille indos fortaſſe vidiſſet, & vltimas terrarum partes penetraſſet, nec iſte Gallos, Theſſaloſque ac Hiſpanos, ſed tormentis cito confecti fuiſſent, quia plerunque militis munus obibant, atque primi pugnam inibant, idemque eſt de alijs iudicium. Sed fortaſſe propter eorum clara, & erudita ingenia, hiſce tormentis aliqua ab illis inuenta adhibita fuiſſent, quod neque illis, neque militibus obfuiſſent, quod quidem perdifficile erat. Ego autem huius (ni fallor) ſum opinionis, quod propter nobilitatem

ingenij id aſſecuti fuiſſent. Sed hoc aliorum iudicio relinquo, quia in hoc malo cum multis errare, quam cum paucis, & fortaſſe nullo ſentire. Res enim ardua eſt, atque perdifficilis. Quam ego expertus ſum, & aliquod illi adiumentum attuli, vt aliquando patebit, nactus tempus hoc magis idoneum. Verum ad inſtituta redeamus, quum igitur dies pugnę aderit, Dux perſpiciat, qua aciei forma hoſtis vti velit, ad eamque, ſuam aciem idoneam ad profligandam hoſtilem inſtruat, quod quidem magni refert, velut (vt quidam aiunt) ſiquis multitudine militum fretus ad ſimilitudinem Theatri aciem ad circumueniendum inſtruxerit, eius cornua pedetentim flectendo. Contra autem hos hoſtes non eadem aciei forma vtendum eſſe dicunt, ſed tuam aciem tries in partes diuidere debes, & duabus vtranque hoſtium alam aggrediaris, tertiam vero ſemicirculo oppones, quæ firma maneat, neque progrediatur. Si autem hoſtes in ipſa ſemicirculi formis firmi manebunt, qui in eius medio erunt, ni hi efficere poterunt, quia omnis decertandi ratio ſibi ablata (vt aiunt) eſſe videtur. Si autem mouebuntur, illi maxime, qui ſunt in ima ſemicirculi parte, recta quidem linea pedem inferre volentes, alter alterum ſtipando, ordinem turbabunt. Itaque turbato eorum ordine illa tertia militum parte adoriri poteris. Atqui ſi firmi manebunt omni genere telorum in eos vtendum eſſe volunt. Recte quidem aiunt (more vetuſto) quo non vtimur circa certandi rationem, quia ordo illius ſemicirculi nunc etiam optimus eſſe poteſt, neque turbari, quia in eius medio tormenta locari poſſunt, ideo pars illa tertia inutilis redderetur, niſi & ſibi tormenta eſſent, quorum pilę procul emittuntur. Sed ne huiuſcemodi multitudine te hoſtis circumueniat, aliqua militum manus ſubſidio tibi parata ſit, vel locus opem ferat, qui tibi ante certamen captandus eſt. Quæ autem ſpatia, & quanta pedites occupare debeant, Vegetius docet trium pedum latitudine inter ſingulorum militum humeros, ſeptem vero longitudine, trium a fronte, & totidem a tergo, alium militis perſona occupat. Sed mihi videtur hoc tempore propter parua tormenta maiori ſpatio opus eſſe, & vt res requirit, forficis ac ſerræ forma mihi placet, quia in earum medio commodius tormenta locantur; & clauduntur, ſcorpionis propter chellas ad hoſtes circumueniendos aptas, lateraque illa efficientes, quæ reliquum aciei corpus paruis tormentis tueri poſſunt. Quum autem dubitatur, quam exercitus partem hoſtis irrumpere velit, & aggredi, docuit Alexander, qui quum hoſtium multitudine vereretur, & ſuorum virtuti fideret, aciem in omnem partem ſpectantem inſtruxit, vt circumuenti vndique pugnare poſſent. Quanquam temere in acie verſari, & manu cum hoſte confligere, quiddam immane, & belluarum ſimile eſſe videtur, tamen quum tempus eſt, ac neceſsitas poſtulat, manu decertandum eſt, morſque ſeruituti ac turpitudini anteponenda. Sed ante ipſam pugnam milites cibum capere, vt his diſſerit Vlyſſes Achilli apud Homerum, neceſſe eſt,

Neque ſic fortiſſimus exiſtens diuine Achille,
Ieiunos pronoceas ad ilium filios Achiuorum
Troianis pugnaturos, quoniam non paruo tempore erit
Prælium, quando primum verſabuntur turmæ
Virorum, in autem Deus ſperauit robur ambobus.
Sed ſaturare iube velocibus in nauibus Achiuos
Cibo & vino. Hoc enim robur eſt, & fortitudo.
Non enim vis toto die vſque ad ſolem deſcendentem
Eſuriens cibo poterit contra pugnare.
Siquidem enim animo promptus ſit pugnare
Sed clam membra grauantur, & preueniunt
Sitis & fames. Leduntur autem genua eunti
Qui cum autem vir vino ſaturatus & cibo:
Viris inimicis diurnus pugnabit,
Audens ei animus in mentibus, neque genua
Prius defatigantur, quam omnes diſcedere pugna:
Sed age populum quidem dimitte, & cœnam iube

Parare. Sed ante cibum nullo modo pugnandum eſt, quia vires deſerunt corpus.

Hoc enim omnes fere militiæ periti ſummo ſtudio excoluerunt, nec vllo modo negligendum eſſe puto, quia huius rei negligentia pleroſque exercitus profligatos fuiſſe, legimus. Nam media confecti, diutius pugnare non potuere.

De tempore in publico Marte ſeruando. Cap. III.

TEMPVS pugnæ, vt diem, & horam ſtatuere, dementis eſſe cenſeo, quia ſemper occaſio expectanda eſſe videtur, vt omnis abſit temeritas. Multa quidem tibi intercedere poſſunt, multaque fauere, atque eadem hoſtibus. Iccirco Duci magna prudentia, magnoque conſilio, ac rerum cognitione opus eſſe video. Hoc enim tempus omnino fatale, & in Dei maieſtate eſſe conſpicitur. Quocirca maiores noſtri haud fruſtra ante prælium ſacrificia, & libamina ſuperis conſtituebant, ac eos præcabantur, quod & noſtri efficere ritu noſtro deberent, ſolennibus conſtitutis, per ſacerdotes Deum precari, vt parta victoria, rerum ſint potiuri. Oportet enim Imperatorem imprimis Deum colere, eius præcepta ſeruare, nec maledictis laceſſere, & eadem militibus iubere, & quum omni labe peccati exercitum purgatum habuerit, ſciat hunc ſibi fatalem pugnæ diem adeſſe, modo bellum iuſtum ſit, & citra iniuriam, quia Deus eſt iuſtitiæ cuſtos, & malorum vindex. Igitur bella magna ratione ſuſcipienda ſunt, propter magna pericula, quæ imminere ſolent, vt Imperij amiſsio, cędes ciuium, Vrbium direptiones, Virginum ac ingenuorum violationes, ſtupra, adulteria, & quicquid mali in Deum ac mortalium genus fieri ſolet. Quibus pro viribus abſtinendum eſſe arbitror, caueatque quiſque Regum ne imperandi cupiditas, & ambitio rationi dominetur, ſed omnino (vt dictum eſt) obtemperet, quia non ſolum de vnius ſalute, ſed multorum agitur. Verum enimuero aliqua certaminis certiſsima tempora ſtatui poſſunt, quibus belli periti Duces vſi fuere, vt Scipio in Hiſpania aduerſus Aſdrubalem pœnorum Ducem. Quem quum comperiſſet, exercitu ieiuno mane proceſsiſſe, viſque ad horam ſeptimam in aciem ſuos continuit, quibus præcepit, vt quieſcerent, cibumque caperent. Cumque hoſtes inedia, ſiti, mora, ſub armis fatigati, caſtra repetere cœpiſſent, ſtatim copias eduxit, initoque prælio victor exiuit. Hoc eſt optimum tempus conſerendi, quo quidem Duci nullum melius atque commodius eſſe poteſt. Quo profecto multos vſos fuiſſe legi. Metellus Pius quoque aduerſus Herculem in Hiſpania hoc etiam vſus fuit. Nam quum ille protinus, oriente ſole, aciem inſtructam vallo admouiſſet, tunc feruidiſsimo tempore anni ſuos milites in caſtris continuit in horam diei ſextam, atque hoſtes æſtu ita fatigatos, facile integris recentibuſque viribus victor euaſit. Poſthumius quoque in Sicilia Conſul, quum eius caſtra a punicis trium milium paſſuum ſpatio diſtarent, Carthaginenſium dictatores ſæpe ante ipſa munimenta Romanorum aciem dirigerent, exigua manu, leuibus prælijs aſsidue pro vallo reſiſtebat, quam conſuetudinem contemnente pœno, reliquis omnibus intra vallum præparatis (more ſolito) cum paucis incurſum aduerſariorum ſuſtinuit, ac ſolito diutius detinuit. Quibus poſt ſextam horam fatigatis, & ſe recipientibus, & cum inedia laborarent, per recentes ſuos & integros, hoſtem hiſce incommodis affectum fugauit. Huc quoque accedit illud præclarum Hyphicratis, Ducis Athenienſium, qui, quo tempore hoſtes cibum caperent, explorauerat, ſuos milites maturius veſci iuſsit, ac in aciem eduxit, hoſtemque inuaſit, ita eum detinuit, vt illi, nec confligendi nec abeundi facultatem daret. Deinde, iam inclinato die, ſuos reduxit, ſed ſemper in armis retinuit. At fatigati hoſtes, non ſtatione magis, quam inedia ſtatim ad curanda corpora, cibumque capiendum feſtinarunt. Hyphicrates vero paratos milites rurſus eduxit, & incompoſiti hoſtis caſtra aggreſſus ſuperauit. Hæc enim ſunt tempora prudenti Imperatori ſeruanda ad prælium, & incruentam victoriam adipiſcendam. Sed quæritur, an aliqua temporis ratio ad ineundum prælium ſit habenda, illuſtrium ac inuictiſsimorum Imperatorum monumenta docebunt. Siquidem Pompeius ciuili bello, relicta Vrbe, in Græciam cum maiori ſenatorum parte proficiſcens, multis verbis milites ad id bellum aduerſus Cæſarem ſuſcipiendum, in patriam præter Deorum, & hominum iura arma molientem hortatus fuit. Qui quidem perſpecto mare importuoſo, tempeſtatibus, ac hyeme, Cæſaremque haud copias moturum ratus, ſed potius in Vrbe conſulatum confirmaturum eſſe, claſsium præfectis edicit, vt omni ſtudio mare tueantur, ac omneis copias circa Macedoniam, atque Theſſaliam, futuræ quidem ſortis ignarus, diſtribuit, ſeque ita otio ſedere arbitrabatur, nihilque ſibi aduerſi euenire. At Iulius Cæſar, clarum ſyderum decus, certiſsima veræ virtutis imago, neque ſe, neque milites otio torpeſcere conſtituit, ſed fortunæ beneficio vti, nulla quidem hyemis habita ratione, Brunduſium, vt Pompeium falleret, quam celerime potuit, profectus eſt, ratus, inſperato prælio, vt facilius hoſtes ſuperare poſſet. Itaque ſe totum fortunæ temeritati credidit. Quæ profecto plurimum ſibi fauere videbatur. Cuius hercule animus quodam Martio furore, & bellica gloria, victoriæ percupidus æſtuabat. Sciebat enim Martis filius parentem ſibi ſemper adeſſe. Qui quidem nullo apparatu, aut commeatu fretus, nondum coactis in vnum Brunduſij copijs, ita milites, qui aderant, alloquitur. Neque, o, viri (inquit) hyemis intemperies, qui mecum ad inſignes res agendas acceſsiſtis, neque aliorum tarditas, aut apparatus indigentia a proſequendo bello deterruit, ante

omnia nobis celeritate opus eſt, vt primos e nobis, primi ipſi curſu contendentes inuicem præuenire poſsimus. Igitur læti (ait) eamus in hoſtes, dum hyemem, Sub tectis inertes, ſegneſque agunt, nihil belli ſuſpicantes, Veneri ac Baccho indulgentes, ſedent. Eamus Commilitones, quoad hibernis nos ſtatiua habere, aut circa pompas, conſulareſque ceremonias vacare exiſtimant, noſque ſubito videant. Nihil enim in bello, inſperato opere, melius. Promptitudo autem prima eſt, eorum opinionem, quæ euentura ſunt, celeritate præripere. Itaque eos cito perſequentes, quæ apud nos hic ſunt, in tuto collocabimus. Ego nihil potius nunc optare poſſem, aut in quo, dum Pompeius me Romæ ad Conſulatus curam inſidere putet, quam & in conſpectu ſuo me videat. Quod quidem magna, & præter hoſtium opinionem, celeritate factum fuit, & quidem magno fortunæ beneficio, quia hoc tempore valde periculoſum eſt nauigare, & multi naufragia paſsi ſunt. Igitur huiuſcemodi temporibus plerunque vtendum eſt, quibus hoſtes ocioſi, nihil mali arbitrates, ſub tectis ſedent. Sed quæritur, quid magis præſtet, celeritate, an tarditate vti? modo illa, modo iſta vtendum eſſe cenſeo, vt ieſe occaſio obtulerit. Sed vbi in hunc ſermonem incidi Cæſaris & Pompei, mihi quærendum videtur, vter iſtorum iuſtius imperare debuiſſet, & qua ratione alter alteri imperare. Hoc enim facile conſtabit, ſi rei. p. Species conſideremus, quas Ariſtoteles Ethices libro octauo tres eſſe contendit, ac totidem earum tranſgreſsiones, Regnum, optimorum poteſtatem, deinde eam, quæ a cenſibus fieri ſolet. Harum profecto optima eſt, regnum, cenſu poteſtas vero deterior. At Regni tranſgreſsio Tyrannis eſſe videtur. Vtriuſque enim vnus eſt princeps, ſed inter ſe plurimum differunt. Nam Tyrannus quidem ſuum, Rex autem eorum, qui ab ipſo reguntur, commodum conſiderat. Non enim Rex eſſe poteſt, niſi ex ſeſe ſufficiens ſit, & bonis omnibus antecellat, & nullius rei indigeat. Non ergo ſuas ipſe, ſed eorum qui reguntur, vtilitates conſiderat. Qui autem non eſt talis, potius quadam ſorte princeps eſſe videtur, quam Rex. Atqui Tyrannis Regno contraria exiſtimatur. Quia Tyrannus proprium commodum ſequitur. Cenſupoteſtas autem multitudinis eſſe ſolet. Societas enim patris & filij, Regni effigiem præ ſe ferre videtur. Nati namque patri ſunt curæ. Viri autem, & Vxoris ſocietas ſimilis optimatum poteſtati eſſe videtur, quia vir pro dignitate præſidet. Fratrum autem ſimilis eſt cenſupoteſtati, quia præter ætatem pares exiſtunt, Sicut poteſtas popularis equalis eſt. Cæſaris poteſtas minime Regia fuit, quia proprium commodum quæſiuit, multiſque incommodis ciues affecit. Ergo Tyrannus. Itaque haud legitime imperare poterat, ac ſenatum perſequi, eoque Vrbem ſpoliare debebat, ac multorum bona proſcribere, atque ſuis ſatellitibus diſtribuere, & ſacrum Ærarium effringere, ſuiſque militibus, ciuium ſanguine ſaginatis, dare. At Pompei cauſa iuſtior eſſe videtur, quia pro libertate patriæ, pro ciuium ſalute, pro ſenatus dignitate pugnauit. Verum enimuero plurimum in hoc errauit, quia Vrbem, & Italiam reliquit, Græciamque belli ſedem capere. Satius enim erat pro patria pugnando, in eaque vitam profundere quam tam miſere, fatum ſubire. Nam diſceſſus ille ab Vrbe quum quandam fugæ ſignificationem haberet, multorum animi fracti fuere, & multæ Vrbes deſciuere, deditionemque Tyranno fecerunt, ac populi ad eum defecerunt. Cæterum illi, bellicis in rebus neminem Romanorum, meo iudicio, conferendum eſſe arbitror. Quippe qui doctrina, ingenio, omnium fere rerum peritia, maxime militari ſolertia, conſilio, prudentia, ac animi fortitudine plurimum floruit, nec ſecundis rebus efferri, nec aduerſis frangi videbatur. In hoc enim natura omneis vires experta fuit, ſyderaq; eum in hanc lucem fatalem virum edidere.

Quid eloquentia poſsit, & de ratione excitandi milites ad prælium. Cap. IIII.

QVANTVM quidem ratio dicendi Imperatori prodeſſe videtur, multis in rebus exploratum habemus. Hæc enim ſæpe perterritos militum animos a metu reuacat, ac tot pugnandi diſcrimina ineuntibus laudem vita potiorem eſſe egregie oſtentat, vt in Alexandro Macedonum Rege hic latiſsime patet. Nam ſiquis animi magnitudinem & infatigabile corporis robur, ac vehementiſsimum ad magnas res gerendas ſpiritum cognoſcere optat, ipſius quaſi præter humanas vires egregium facinus audentis intueatur. Quo profecto miles diſcere optime poterit, nulli labori virtutis, gloria que amore ſuccumbendum eſſe. Is namque haud contentus orbis terrarum Imperio, extremo id Oceano ad Solis ortum ſpectante claudere ſtatuit. Cumque multarum rerum potitus eſſet, & in Sadracarum malloꝛũque Indię regionem profectus eſſet, Macedones ac alios Gręcos, qui omni bellorum diſcrimine iam ſe defunctos, & longo bello fatigatos eſſe putarant. Vbi integrum bellum cum fortiſsimis Indiæ gentibus ſupereſſe cognouerunt, improuiſo metu territi, ſedicioſis vocibus Regem increpare cœperunt. Gangem amnem

(inquiunt) & quæ vltra eſſent, coactos tranſilire non tantum fuiſſe, ſed bellum initaſſe, indomitis gentibus ſe obiectos, vt ſanguine ſuo oceanum ei aperirent, trahi extra ſydera, & ſolem, cogique adire, quæ mortalium oculis natura ſubduxerat. Iudem nouis armis nouos hoſtes exiſtere, quos, vt omnes fundant, quod præmium ipſos manere, caliginem, ac tenebras, atque perpetua nocte profundo incubante mari, immanium fretum belluarum gregibus repletum, immobiles vndas, in quibus natura emoriens defecerit. Itaque Alexandri milites longo bello defatigati conquerebantur. Quibus auditis, Rex, non ſua, ſed militum ſollicitudine anxius, concione aduocata, imprimis hos imbelles, quos timent, eſſe docet. Deinde præter has gentes nihil obſtare, quo minus terrarum ſpatia emenſi, ſimul ad mundi finem, ac laborem peruenirent, illis metuentibus Gangem ceſſiſſe, & multitudinem nationum, quæ vltra omnem eſſent, eoque iter flexiſſe, vbi par gloria, & minus periculi eſſet. Iam ſe oceanum proſpicere oſtendit, iam ad ipſos auram magis perflare, ne ſibi inuiderent, quominus illam laudem adipiſceretur, quam Hercules, & liber pater, Regique ſuo paruo impendio, famæ immortalitatem eſſe daturos. Qua quidem oratione moti milites intrepide paruere, omnemque belli laborem quamlibentiſsime ſubiere. Nam Alexander eloquentia plurimum valebat, quia eius munere ſeditioſum exercitum crebro ſedauit, & ad ſuam voluntatem & arbitrium redegit. Quę quidem Imperatori ſummopere prodeſt, vt quadam facundia milites ad pugnam excitare ſciat, & afflictis rebus milites ipſos ſolari, ac meliora ſperare, monere. Nam (dicitur) plus valere eloquentiam in foro, quam gladium in bello. Ego autem eam in ipſo bello vtiliorem eſſe arbitror, quam in foro, quia in illo de communi ſalute agitur, in hoc autem de paucorum commodis, cui plerunque pernicioſiſsima eſſe videtur, eo quod, veritas ſæpe adumbrari ſolet. Atqui ſapientiæ iunctam mirum in modum prodeſſe, vt vir ille eloquens Romanam plebem a patribus diſcendentem, iuxtaque Anienis fluminis Ripam armatam conſedentem (quo quidem tempore non ſolum deformis, & miſerrimus erat Romanę rei.p. ſtatus, ſed peſtifera ſeditione diuiſus, ſedauit, ac reuocatam ſenatui ſubiecit. Cui quidem niſi ipſa eloquentia opem tuliſſet, Spes tanti Imperij in ipſo ortu corruiſſet. Hac enim multa bella reſtincta, & ad ſummam pacem redacta, ac turbulenta Imperia ſedata fuere. Multæ quoque Vrbes conditæ, vt Roma a Gallis deuaſtata, furij Camilli oratione reædificata, leges, etiam latæ, amicitiæ, ſocietates conſtitutæ. Sed quid plura? Nonne viri eloquentes, homines paſsim per agros vagantes, tectiſque ſiluestribus abditos, ac victu ferino vitam ſuppeditantes vnum in locum compulere, atque ex feris mites manſuetoſque reddidere? Quo quidem tempore (teſte Cicerone) nulla diuinæ religionis & humani officij ratio colebatur, ſed dominatrix animi cupiditas ad ſe explendam corporis viribus, pernicioſiſsimis ſatellitibus vtebatur, eloquentiæ munere ad meliora, ſanctioraque redacta fuit. Nonne cæcus ille Appius deformem Pyrrhi Regis pacem dicendi viribus diremit? Nonne M. Antonius Cinnianos, Marianoſque mucrones ciuilis perfundendi Sanguinis cupiditate furentes inhibuit ſua eloquentia? Nonne Cicero eadem L. Catilinæ temeritate furentis, ſcelus Anhelantis, peſtem patriæ nefarie molientis, Vrbi ferrum & flammam minitantis audaciam fregit? Ipſumque, eædem ſenatus, interitum Vrbis, non obſcure, ſed palam molientem ex ipſa Vrbe egredi iuſsit, vt a quo legibus non poterant, mœnibus tuti eſſe poſſent. Plus enim eloquentia in hunc ſceleſtiſsimum virum valuit, quam ipſa arma. Hunc enim Cicero ſua eloquentia, qui apud Leccam Italiæ partes diſtribuit, quos Romæ relinqueret, impius delegit, quoſque ſecum educeret, & Vrbis partes ad incendia deſcripſit, Deorum immortalium templa, Vrbis tecta, omnium ciuium vitam, Italiam denique totam ad exitium, & vaſtitatem vocauit, omnino ſuperauit. Vrbiq; ſalutē conſuluit, eamque eiſdem auſpicijs a Romulo ([illegible]) tanti Imperij ſtatore conditam cunctis incolumem reddidit. Meritò igitur ſupplicationes, qui maximus honor Ducibus bellis rebus geſtis decernitur, in toga meruit. Quam ob rem Imperatoribus, ac Ducibus eloquentiam propter crebras conciones ad milites ſummopere neceſſariam eſſe arbitramur, ſi eius fructum peſpicere velimus, quia & in pace, & in bello omnibus prodeſt, maxime rem.p. gerentibus, vt de Pericle dicitur, cuius vox popularis fuit, & propter ſuam eloquentiam Athenarum Vrbem egit, & ſuo arbitrio verſauit. Hac de re ipſum Ciceronem Q. Catulus publici conſilij autor & princeps frequentiſsimo ſenatu parentem patrię nominauit, atque omnibus audientibus ciuicam ſibi coronam deberi attulit. Ac illi togato ſenatus ſingulari ſupplicationis genere Deorum immortalium templa patefecit. Hanc diſcite Duces, ſi militum animos ad vota habere optatis, maxime, ad pugnam paratos, & vt belli rationes proferre ſciatis. Hęc enim defendere amicos, fundare legibus Vrbes, regere conſilijs ſenatum optime docet. Hęc inſuper vitam, tutam, honeſtam, iucundam illuſtrem reddit, eoſque, qui eam ſunt adepti, laus, honor, autoritas confluit. Cuius quidem gratia Cęſar dictator an Ciceronem omnium triumphorum lauream adeptum fuiſſe maiorem. Igitur Duci eloquentiam in caſtris neceſſariam eſſe ducimus, quum ad ſedandos militum animos, tum excitando ad bellum, atque omneis eorum diſcenſiones ſedandas, & gratiam ineundam, tum denique ad hoſtem conciliandum plurimum valere.

Quo militum numero ſit decertandum;

Cap. V.

SIQVIDEM apud Philoſophos legimus virtutem vna iunctam ea fortiorem eſſe, quę diuerſas in corporis partes vagari ſolet. Quocirca indagandum eſſe videtur, quid magis proſit, an parua manu cum hoſte pugnare, an militum multitudine, quod re ipſa ſatis conſtabit. Nam nimias copias habere (vt de multis legimus) magis illis impedimento fuiſſe, quam victorię, ac magis ipſa multitudine, quam hoſtium virtute profligari. Nam Gręci (Iuſtini teſtimonio) parua manu ſemper magnas copias fudere, vt ſępe Perſarum, ac aliorum Regum, atque diuerſarum nationum, & gentium, & in Italia, & Dalmatia ducenta milia Gothorum (vt eorum Rex in illa concione ad milites attulit) a ſeptem milibus Gręcorum, Duce Beliſario, profligata fuere. Nam ipſam multitudinem multis in rebus obeſſe compertum eſt, vt in itineribus tardior ad opem ferendam, & auxilium ſuis exiſtit, Maxime longiore agmine facile a paucis ſuperari poteſt, ſi delecta erit militum manus. In locis quoque aſperis & fluminum traiectu propter impedimentorum moras ſępe ab hoſte decipitur. Itidem in commeatibus Annoniſque quam ſæpiſsime laborat, & inedia conficitur, & quia in tanta hominum mole difficile eſt militarem diſciplinam, & Ducis præcepta ad vnguem ſeruare. Præterea magno labore tot animalibus, maxime, equis pabula colliguntur. Hiſce quoque rei frumentariæ penuria, ac cæterarum rerum caritas accedit, vt militi plerunque euenire ſolet. Qua re milites & Vrbes laborantes ſæpe deditionem fecere, & miſeræ ſeruitutis onus ſubire coactæ ſunt. Quam ob rem veteres Duces, milicię periti, has difficultates perſpicientea, non tam numeroſos, quam eruditos exercitus habere voluerunt. Hac re Philippus Macedonum Rex adductus, quum validum peritumque exercitum haberet, Athenienſes autem imperitum, apud cheroniam commiſſa pugna, eos ſuperauit. At aduerſus hoſtium multitudinem hoc conſilio vtendum eſt, & opera danda, vt in aliquem anguſtiorem locum de induſtria deducatur, quia ibi magna manus conſerta, maximo ſibi ipſi impedimento eſſe videtur, quia in illis anguſtijs haud omnes certare valent. Nam M. Curius, quia animaduertebat phalangem Pyrrhi Regis, explicitę reſiſti non poſſe, operam dedit, vt in anguſtijs pugnaret, vbi conſerta ſibi ipſi eſſet impedimento. Itidem hoc perſpecto, trecenti Lacedęmonij contra magnam Perſarum manum Termopylas occuparunt. Quarum quidem anguſtię, non amplius quam parem numerum militum eminus pugnaturum admittere poterant, eaque ratione, quo ad congreſſus facultatem equali Barbarorum numero, virtute autem pręſtantiores, magnam eorum partem occiderunt, nec quidem ſuperati fuiſſent, niſi per proditorem Ephyaltem Trachinium, a quo hoſtis a tergo circunductus, eos oppreſsit. Sed aduerſus equitum multitudinem ita conſulendum eſſe arbitror. Et Cleomenis Lacedęmonij conſilio vtendum eſſe is aduerſus Hyppiam Athenienſem, qui equitatu prgualebat, planiciem in qua dimicaturus erat, arboribus proſtratis impediuit, & equiti inuiam fecit. Xantippus vero Lacedęmonius ſola loci mutatione, & ordinis, punici belli fortunam mutauit. Tanta quoque Xerxis claſſium moles a Themiſtocle in anguſtijs ſalaminis profligata fuit, quia tanta multitudine minime vti potuit. Atqui multitudini Cleandridę Lacedęmonij conſilium prodeſſe fortaſſe poterit, qui aduerſus Licaonas denſam inſtruxit aciem, vt longe minoris exercitus ſpeciem pręberet. Securioribus inde hoſtibus, in ipſo certamine ordines a lateribus deduxit, & circumactos eos fudit. Verum periculum imminet in magna planicie, & aperto campo cum hoſte, parua manu, cum magna confligere, ne ab ea circumueniatur, vt Artoxerxes aduerſus Gręcos, qui perfidem ingreſsi, quum Rex eos multitudinę ſuperaret, latius quam hoſtes acie inſtructa, in fronte equites, in cornibus leuem armaturam collocauit, ac ex induſtria lentius procedere, media acie paruas hoſtium copias cinxit, & cecidit. Annibal vero, qui peritum militem habebat, ad Cannas reductis cornibus, productaque media acie, Romanos, qui militum numero ſuperabant, media acie primo impetu protraxit, conſertoque pręlio, paulatim inuicem ſinuantibus, procedentibuſque ad pręceptum cornibus auide inſequentem hoſtem in mediam aciem ſuam recepit, & vtraque parte compreſſum profligauit, & occidit, qui veterano peritoque milite vſus eſt. Dux igitur ante pugnam ſuos ad ordinem aſsueſcat, vt eum in pręlio ac ſigna ſeruare ſciant, & quum opus eſt, aciem, ſiue ordinem mutare, ac in contrariam deducere valeat. Quo Xantippus aduerſus Romanos vſus fuit. Qui leuem armaturam in prima acie collocauit, in ſubſidio exercitus robur, auxiliaribuſque pręcepit, vt emiſsis telis hoſti cederent, & quum ſe intra ſuorum ordines recepiſſent, commixtim in latera diſcurrerent, & rurſus a cornibus erumperent, exceptum iam hoſtem a robuſtioribus, & ipſi circumirent. Quo quidem ordine Sertorius in Hiſpania aduerſus Pompeium vſus fuit. Poteſt etiam multitudo a paucis hoc modo decipi, vt a Mario geſtum fuit, Quippe qui, quum in animo haberet poſtera die aduerſus Cymbros pugnare, Mar-

cellum parua equitum, ac peditum manu, nocte poſt hoſtium terga miſit, & ad implendam multitudinis ſpeciem, Agaſones, lixaſque armatos ſimul ire iuſsit, iumentorumque magnam partem in ſtratorum cum centuculis, vt per hoc facies equitatus obiiceretur, pręcepitque vt quum animaduertiſſent prælium iniri, in terga hoſtium deſcenderent. Qui quidem apparatus tantum terroris intulit, quod hoſtes in fugam verſi ſunt. Optimum igitur in hac re Cæſaris conſilium capiendum eſſe exiſtimo, qui quidem propter magnam hoſtium multitudinem, ac eximiam virtutis opinionem prælio ſuperſedere ſtatuit. Sed quotidie equeſtribus prælijs, quid hoſtis virtute poſsit, & ſui auderent, ipſum hoſtem inuadebat. Vbi Romanos illis non eſſe inferiores intellexit, loco pro caſtris ad aciem inſtruendam natura opportuno inuento, quod is collis, vbi caſtra poſita erant, paululum ex planicie editus, latitudineque tantum patebat, quantum loci acies inſtructa occupare poterat, atque ex vtraque lateris parte deiectus habebat, in fronte leniter caſtigatus paulatim ad planiciem redibat, ab vtroque eius latere collis tranſuerſam foſſam longitudine fere paſſuum quadringentorum obduxit, & ad extremas foſſas caſtella conſtituit, decertandi occaſionem expectauit. Tutum enim ſuum militem reddidit, hoſtiumque virtutem quibuſdam leuioribus prælijs expertus fuit. Quod conſilium nec eum feſellit. Eſt igitur optimum eiuſmodi hoſtium vires explorare, ac experiri antequam confligatur, maxime, parua manu cum magna certatura. In Africa quoque ipſe Cæſar aduerſus multitudinem parua manu certaturus hoc artificio vſus fuit. Qui quum ſubito aduerſariorum equitatus ſe extendere, & multitudinem promere, colleſque complecti videret, ſuumque equitatum extenuari, ſimulque ad circumeundum aduentare ſe cœperunt. Cœſaris autem equites eorum multitudinem moleſte ſuſtinebant. Interea quum mediæ acies concurrere conarentur, ſubito ex condenſis turmis Numidę leuis armaturæ cum equitibus procurrunt, ac inter legionarios pedites iacula coniiciunt. Hic quum Cæſariani impetum in eos feciſſent, ad illorum equites refugiebant, interim pedites reſiſtebant, dum equites rurſus renouato curſu peditibus ſuis ſuccurrerent, Cęſar nouo ſibi pugnæ genere oblato, quum animaduerteret, ordines ſępe in procurrendo turbari, pedites, dum equites longius a ſignis perſequuntur, nudato latere, a proximis Numidis, iaculis vulnerabantur. Equites autem hoſtium pilum militis curſu facile vitabant. Per ordines edicit, ne quis miles a ſignis quatuor pedes longius procederet. Itaque ſtatim omnibus legionarijs ab hoſtium equitatu circumuentis, Cæſariſque copijs in orbem compulſis, intra cancellos omnes coniecti pugnare cogebantur. Sed Cæſar interim cognito hoſtium conſilio, aciem in longitudinem quam maximam porrigi iubet, ac alternis conuerſis cohortibus, vt vna poſt alteram ante ſigna tenderet. Ita coronam hoſtium dextro, leuoque cornu mediam diuidit, vnamque partem ab altera excluſam, equites interne adortus cum peditatu, telis coniectis, in fugam vertit. Hoc ipſum altera pars equitum, peditumque Cœſaris facit. Itaque profligatis hoſtibus, ac fuſis ad ſua præſidia cum victoria ſeſe cum ſuis recepit. Quo perſpectum eſt, ſępe in prœlio ordinem turbari, & mutari ſumma Ducis prudentia oportere. Quo quidem modo ſępe multitudinem a paucis vinci videmus. Eſt enim virtus militum ſpectanda, ac Ducis ingenium, vt hic Cœſaris, non autem multitudo hominum, quorum maior pars imbellis eſſe videtur, quia virtus in paucorum pectoribus verſatur. Non enim viribus (vt ait Cicero) aut velocitatibus, aut corporum celeritate res magnę geruntur, ſed conſilio, autoritate, & ſententia. Quibus facile victoria parari poteſt, hiſque pauci vigent, quia pauci boni ſunt ac ſtudioſi, vt inquit ſatyricus.

Rari quippe boni, numero vix ſunt totidem, quot
Thebarum portę, aut diuitis hoſtia Nili.

De ratione diuerſarum gentium in exercitu. Cap. VI.

NVNC autem quęrendum eſſe videtur, quid magis prœſtet, gentem vnam, hoc eſt, homines vnius generis quam diuerſi colluuionem habere. Gręci enim parua ſuę gentis manu ſuis Imperatoribus pręclaras res geſſere, & fere ſemper victores extitere. Iidem Romani militum delectum in Vrbe habebant, ac ſuis Ducibus bella gerebant, auxiliantibus quandoque latinis, qui eadem lingua, iiſdem armis, ac eodem ordine vtebantur, rerum potiti ſunt. Nam omnis diuerſitas (teſte Ariſtotele) diſsidium efficere videtur. Iccirco qui aliorum auſpicijs bella gerunt, & mercenario milite, maxime Duce, his rara victoria eſſe poteſt, vt, de nonnullis, quibus tumultuario milite bella geruntur, apertum eſt. Multum quidem prodeſt, vnius generis homines (ſi fieri poteſt) habere. Multitudo quoque diuerſa in hoc, quia non facile inter ſe conſpirare poteſt, Imperatoriſque mandatis facile obtemperare videtur. In hoc autem obeſſe, certum eſt, quia ſiquando tumultus, aut militum ſeditio in exercitu exoritur, Tunc neq; quemquam mulcere, neque ſedare, neque vlli rationem imponere licet. Hoc Carthaginenſium exercitus accidiſſe perſpectum eſt, qui ex varijs, diuerſiſque hominum generibus copias conſcribebant. Nam gens Ducis ſermonis, vel linguę ignara, quodam impetu ferri ſolet. Vbi ad iram ſemel ventum

eſt, more ferarum magis ac magis crudeſcere, adeo quod nullus erat ſæuitię modus. His incommodis Carthaginenſium exercitus laborabat. In quo Galli, Hiſpani, Lygures, Balleares, Græci, & Afri erant, fugitiuorum, & transfugarum ingens numerus. Quam ob rem neque omneis congregare vno tempore cuiquam licebat, neque alius ad eam rem modus inueniri poterat. Præterea ſingulorum linguam impoſsibile erat, vel perdifficile noſſe, aut ſingulis interpretes adhibere ſtultum erat, neque enim tempus poſcere videbatur, imminente prælio. Quare Hanno Carthaginenſiũ Dux hoc eueſtigio expertus, fruſtra laborauit, quia alij ducum mandata minime intelligebant, alij aliter referebant, quam dicerentur. Qua de re omnia, ira, impetu, tumultu, ac ſeditione plena erant. Tandem raptis, ira, armis, contempto Hannone ac cæteris Ducibus, Carthaginem verſus profecti, bellũ inferunt, Vrbẽ obſident, qua ſeditione multa bella inter hos milites & Carthaginienſes geſta ſunt, ac bellum Africum ortum fuit. Meis quoque temporibus ex hac gentiũ colluuione in exercitu Caroli Q. Imperatoris ſeditio ſæpe exorta fuit, maxime inter Italos milites, & Hiſpanos, vt ad arma deuenirent, & niſi per Duces ſedati fuiſſent, multi occubuiſſent. Eſt enim quaſi inſitum a natura, vt inter diuerſarum linguarum homines, quaſdam inimicitias eſſe. Iccirco in eiuſmodi rebus prudens ſit Imperator, ne ſeditio inter tot hominum genera exoriatur, maxime inter Duces, veluti propter commeatus, & ſtatiua, vt plerunque fieri ſolet. Verum in hoc Annibal præcipuam laudem meretur. Qui quidem bellicis in rebus ſumma prudentia vſus fuit circa eiuſcemodi diuerſa hominum genera. Qui quidem, quum in hoſtium terra per annos tredecim, iam procul a domo varia fortuna bellum gereret, exercitum, non ſuo ciuili, ſed mixto ex omnium gentium colluuione, quibus non lex, non mos, non communis lingua, alius habitus, alia veſtis, alia arma, alij ritus, alia ſacra, alij prope Dij eſſent, atque religio, ita vno vinculo copulauerit, vt nulla, nec inter ipſos, nec aduerſus Ducem ſeditio extiterit, cum & pecunia ſæpe in ſtipendium, & commeatus in agro deeſſet. Quarum rerum inopia primo punico bello multa inter Duces & milites infanda commiſſa fuere, quæ & multis alijs eueniſſe legimus. Huc accedit, quod poſt Aſdrubalis fratris exercitum, in quo omnis victoriæ ſpes repoſita fuerat, deletum cum ipſo fratre, in angulum brutium cedendo, cui quidem hoc mirabile non videatur? nullum in caſtris militum motum factum eſſe. Id quoque ne alendi quidem exercitus, niſi ex brutio agro ſpes militibus eſſet, qui vt omnis coleretur, exiguus tamen tanto alendo exercitui erat, cum magnam iuuentutis partem abſtractam ab agrorum cultu, bellum occupauerat. Et mos vitio etiam genti inſitus per latrocinia militiam exercendi, nec domo, quod magnum incommodum afferebatur, quicquam mittebatur. Quibus oſtendebatur, magnam ducendi exercitus duci peritiam, ac prudentiam ineſſe. Igitur ſiue gens vna, ſiue diuerſa erit recte cum hoſte agitur, ſi Ducem ipſa prudentia & liberalitas comitetur.

De ratione deducendorum hoſtium in inſidias. Cap. VII.

QVANQVAM virtute, ingenio, induſtria, ac viribus hoſtes ſuperandi ſunt, maxime prudentia, & militari peritia Ducis, ne turpis cum dolo victoria cenſeatur, tamen vbi hæc deeſſe perſpiciuntur, dolis plerique vti voluere, vt inſidijs, proditionibus & huiuſcemodi rebus, illo fortaſſe poetæ dicto freti.

Dolus an virtus, quis in hoſte requirit?

Verum victoria illa, quæ virtute paratur, maiorem gloriam, honorem ac famam Duci afferre videtur. Sed vbi deeſt virtus, imbecillitas dolos in hoſtes molitur, & inſidias parat. Quæ poſtquam ad vſum (veluti quid laude aliqua dignum) venerunt, De his aliquid differendum putaui. Quæ autem ipſius doli vis, quantaque ſit, ac ratio diuerſa, difficile eſt cognitu, quia tot eſſe video, quot hominum ingenia, nec certa ars ac diſciplina tradi poteſt. Nam neque Siſyphus, neque Autolicus, neque Vlyſſes, neque Protheus in diuerſa animalia a poetis transformatus, ideſt, diuerſos dolos, horum inuentores eadem tradidere. Iccirco eos vitare perdifficile eſt, niſi magna prudentia Ducis, qui cuncta quam diligentiſsime explorat, multos enim ac fere innumeros dolos afferre poſſem, quos, longum eſſet narrare, ſed aliquot ad excitanda ingenia proferemus, maxime hunc ſamnitium in Romanos, quibus plurimum infenſi erant, qui quidem, quum Romana caſtra apud Galatiam eſſe accepiſſent, eo milites decem paſtorum habitu indutos mittunt, non procul a Romanis præſidijs pecora paſcere iubent. Vbi in prædatores inciderint, vt omnibus ſermo idem conſtet, legiones ſamnitium in Apulia eſſe, luceriam omnibus copijs circumſedere, nec procul abeſſe, quem capiant, iam & his rumor ante de induſtria ad Romanos vulgatus venerat, ſed fidem captiui auxere, eo maxime, quod ſermo inter omneis congruebat. Non enim dubium erat, quin lucerinis Romanus opem ferret, bonis ac fidelibus ſocijs, ſimul ne omnis Apulia ad præſentem terrorem deficeret. Siquidem duæ ad luceriam viæ ferebant, altera propter ſuperi maris oram patens ac aperta, altera per furcas Caudinas breuior, ſed loci natura ita eſt. Duo quidem ſaltus alti, ſiluoſique ſunt montibus circa ſe perpe-

tuis inter ſe iuncti. Iacet inter eos campus ſatis patens, in medio clauſus, herbidus atque aquoſus, per quem medium iter eſt, ſed antequam ad eum venias, primæ anguſtiæ intrandæ ſunt, &, aut eadem, qua te inſinuaueris, via retro eſt repetenda, aut ſi ire porro pergas, per alium ſaltum altiorem impeditioremque euadendum. In eum campum alia via per cauam rupem, Romani remiſſo agmine, quum ad alias anguſtias protinus pergerent, arborum, ſaxorumque ingentium deiectu ſeptas obiacente mole inuenere. Itaque hoſtilis fraus apparuit, ſed magis Romani Ducis ignauia, & minus militiæ perita, quia antequam eo ingrederetur, exploratores, more militari, per omnes anfractus mittere debebat, quum iam ſciret hoſtem in armis eſſe. Tandem in ſummo ſaltu hoſtium præſidium conſpicitur, inde retro citati, qua venerant, viam repetere pergunt, eam quoque armis clauſam inuenere. Inde ſine vllius Imperio gradum ſiſtunt, ſtupor omnium animos, velut quidam torpor in ſolitus membra tenet, alij alios intuentes, diu immobiles ſilent. Poſtremo Romanus exercitus (vt latius apud Liuium narratur) ſub iugum magna ignomina miſſus fuit. Cauſa profecto imprudentiſsimi Imperatoris, militiæ ignari. Qui per omnem regionem exploratores habere debebat, ſcireque, maius periculum in itineribus eſſe, quam in prælio. Qui quidem error non ſibi, ſed ſuo ſenatui attribuendus eſſe videtur, qui tam ignauo Imperatori belli ſummam decreuit. Neſcio profecto quis tam mente captus, eas anguſtias, non præmiſsis exploratoribus, ingreſſus fuiſſet. Nam Dux, regionum loca, non ſolum annotata habeat, ſed etiam picta, vt non ſolum mentis conſilio, verum etiam oculorum fide cuncta perdiſcat, quia facile ſcire poterit, quibus copijs dimicare poterit, & qua aciei ſpecie vti, atque ratione latera tergaque ſuis ſubſidijs firmare, & quos milites in fronte (ſi periculum iminet) collocare. Preterea Dux viros itinerum peritos eligat, vt paucorum prudentia multitudini ſaluti eſſe poſsit. Sit inſuper itinerum conſilium omnibus, duntaxat Imperatori, occultum, idque maxime hoſtis ignoret, vt tutius fiat. Agmine profecturus, fideliſsimos cum probatiſsimis equitibus præmittat. Qui quidem loca, per quæ iter faciendum eſt, in progreſſu, & a tergo, dextra, leuaque diligenter luſtrent, ne hoſtes aliquas inſidias moliantur. Tutius enim noctibus, quam diebus exploratores agunt. Primi igitur equites iter arripiant, deinde pedites, impedimenta vero in medio, vt expediti, pars equitum, ac peditum ſubſequantur, (ſiqua ſuſpitio eſt) collocentur, ſi nulla, a tergo cum omnibus tormentis, militum cuſtodia. Nam ambulantibus interdum a fronte, ſed frequenter a tergo hoſtes ſuperueniunt. A lateribus quoque pari armatorum manu impedimenta claudenda ſunt, quia alio in loco inſidiæ tranſuerſo incurſu frequenter impellunt. Quare, ſi Romanus Conſul harum rerum peritus fuiſſent, tanta ignominia haud ſub iugum cum vniuerſo exercitu miſſus fuiſſet. Sed quæritur, quidnam in tali re faciendum eſſet, quum in cardine exiſteret. Mea quidem ſententia, potius quam tantum dedecoris pati, omnia extrema prius tentare, acta teſtudine viam ferro, & igni facere, denique pro patria, honoreque morti. Nam fortuna fortaſſe liberum additum ſibi præſtitiſſet. Alios enim legimus in eiuſcemodi anguſtijs clauſos, qui prudentia, igni, & ferro viam fecerunt. Quanto ſatius mors illis cum gloria fuiſſet, quum in poſteros etiam dimanaſſet, quam tantam ſibi, & patriæ perpetuis temporibus ignominiam afferre. Quocirca potius ſibi pro patrio honore, ac ſuo cum vniuerſo milite moriendum erat. Quia, vt ait Hector apud Homerum,

Vnum augurium optimum pugnare pro patria.

Siquidem poſthumius memoriæ eos prodere debebat, qui pro patria maluere mori, quam cum dedecore viuere, vt fuit L. Brutus, qui in liberandam patriam eſt interfectus. Nonne duo Decij ad voluntariam mortem curſum equorum incitarunt? Nonne M. Regulus, vt datam hoſti fidem ſeruaret, ad ſupplicium eſt profectus? Nonne duo Scipiones iter pœnis ſuis corporibus obſtruxere? Nonne L. Paulus morte ſua L. Collegæ in Cannenſi ignominia temeritatem luit? Atque multi alij fuere, qui patriam, honoremque morti prætulere. Mors enim pro ſalute patriæ æquo animo ferenda eſt, Xenophontis exemplo. Qui quum ſolenne ſacrificium perageret, ex duobus filijs, maiorem natu Scyllum nomine apud Mantineam in prælio cecidiſſe cognouit, nec ideo inſtitutum Deorum cultum omittendum putauit, ſed tantummodo coronam deponere contentus fuit. Deinde percunctatus, quo nam modo occidiſſet, vt audiuit, ſtrenue pugnantem interijſſe, capiti repoſuit. Non enim plorandi ſunt, qui ſic intereunt, & quos clara virtus ad Æthera euexit vt de Traſybulo Lacedæmonio apud Auſonium ita legimus,

Excipis aduerſo quod pectore vulnera ſeptem,
Arma ſuperueheris, quod Traſybule tua,
Non dolor hic patris Pitani, ſed gloria maior,
Rarum tam pulchro funere poſſe frui.
Quem poſtquam mœſto ſocij poſuere ſepulchro,
Talia magnanimus edidit ore pater.
Flete alios, natus lachrymis non indiget vllis,
Et meus, & talis, & Lacedæmonius.

Itaqne Poſthumius non ſolum ignominiam merebatur, ſed ſupplicio erat afficiendus, vt homo imbellis, & effeminatæ virtutis. Iccirco diligenter eſt animo complectendum ac diligentiſsime indagandum, antequam alicui belli ſumma ſit decernenda, quia de communi omnium ſalute agitur. Dux igitur militiæ peritus eligatur haud quidem literarum ignarus, vt, & ſuis, & multorum luminibus rem cernere poſsit, nec ætas requiratur in illo, ſed prudentia, autoritas, belli vſus, ac militaris peritia. Nam iuuenis erat Alexander, iuuenis Scipio, ac alij multi, qui res magnas geſſere, ſenex Fabius Max. ac alij, Cæſar & alij complures media ætate, & omnes optimi Duces extitere. Nam ingenium, præclaraque virtus nullam ętatem ſpectare videmus. Sed tantum abeſt, quod ſenioribus eſt prudentia maior, quæ longo tempore (teſtimonio omnium philoſophorum) acquiritur. Quam ob rem non recte ille ſenſit, qui Imperatorem, neque iuuenem, neque ſenem eligendum eſſe voluit, quorum alter difficile credit, alter autem imbecillus ad res gerendas. Iccirco neutrum ad eas idoneum eſſe affirmat, quod omnino (vt re exploratum fuit) falſum eſſe videtur. Nam iuniores Duces in caſtris conſilia ſuorum ſequebantur, illiſque fidem adhibebant, vt Alexander, Scipio ac alij multi. Seniores conſilio & prudentia valent, quibus militię magis, quam viribus opus eſt, hiſque res magnę geruntur. Sed ſiquis vtriſque vigebit, omnino vultor, ac ſummopere exercitui frugi erit. Explodenda eſt igitur in hac re illius opinio, veluti falſa, quia in omni ętate ſtrenui Duces reperti ſunt, & ſemper in bello victores, vt eorum pręclara monimenta latiſsime patent. Nam hominem illum vulgarem fuiſſe puto, quia omnem ętatem ſumma virtute florere, ignorabat; & ſumma ſegnitie, ignauiaque eandem laborare, vt hęc ipſius Poſthumij Conſulis, quęcunque fuerit, qui maluit turpe viuere, quam honeſte pro patria mori. Ac de his, dictum ſit, deinceps quod magis pręſtet, ferro, an fame perire, diſſerendum eſſe arbitror.

De ratione moriendi, quid, fame, uel ferro praſtet.
Cap. VIII.

HAc eo anguſtias poſthumio ingreſſo, quid ſatius fuiſſet, quæritur, ferro, an fame perire? Siquidem ſapientiſsimi viri mortem his eſſe terribilem voluere, quibus cum vita omnia extingui videbantur, non autem his, quorum laus haud emori poteſt, quod ita eſſe exiſtimo. Quanquam mors ipſa omnibus eſt vltimum terribilium, quod nemini vitari poteſt, tamen his minus, qui virtutibus viuunt, quarum quidem amore omnia extrema pati minime recuſant. Quippe qui, non ſolum ab alijs mortem ſibi inferri expectant, ne ſeruitutem ſubirent, aut aliud ignominiæ genus, ſed ſibi ipſis eam conſciuere. Sciebant enim ex vita iſta tanquam ex hoſpitio, non autem domo diſcedere, quia natura illis commorandi diuerſorium dedit, non autem habitandi. Quod, præclarum Caij Attilij facinus oſtendit. Qui namque cum ſamnitibus pugnaret, vires ita æquauit. Prælium enim varium & anceps videbatur, triſtius tamen euentu Romanis, & quia vinci inſueti erant, & quia magis digredientes, quam in ipſo certamine ſenſerunt, quantum in ſua parte plus vulnerum cædis fuiſſet. Itaque ijs terror in caſtris exortus, qui ſi pugnantes cœpiſſet, inſignis accepta clades foret, tum quoque nox ſollicita fuit, iam inuaſurum caſtra ſamnitem credentibus, aut prima luce cum victoribus conſerendas manus minus cladis. Cæterum non plus animorum ad hoſtes erat. Vbi primum illuxit, ſine certamine abire cupiunt, ſed via vna, & ea ipſa præter hoſtes erat, quam ingreſsi, præbere ſpeciem recta tendentium ad caſtra oppugnanda. Conſul autem milites arma capere iubet ſeque extra vallum ſequi, legatis, tribunis, ac ſociorum pręfectis imperat. Omnes quidem affirmant, ſe omnia facturos, ſed militum animos iacere, quia tota nocte inter vulnera & mœrentium gemitus vigilatum eſt. Si enim ante lucem ad caſtra ventum foret, tantum pauoris fuiſſet, vt ſigna relicturi fuerint, nunc pudore a fuga contineri, alioquin pro victis eſſe. Quę vbi Conſul accepit, neque tertius, ſed milites circuire, alloqui haud deſiſtebat, vt ad quoſq; venerat, cunctantes arma capere, increpare, quid ceſſarent, hoſtemque in caſtra ventutum tergiuerſarentur, niſi ipſi extra caſtra exiſſent, & pro tentorijs ſuis pugnaturos, ſi pro vallo nollent armatis ac dimicantibus dubiam victoriam eſſe, qui nudus atque inermis hoſtem maneat, eique, aut mortem, aut ſeruitutem patiendam. Hęc iurganti Conſuli reſpondebant, ſe heſterna pugna confectos, nec virium quicquam, nec ſanguinis ſupereſſe, hoſtium maiorem multitudinem apparere, quam pridie fuerit, interea agmen appropinquabat, & tam breuiori interuallo certiora intuentes, vallum ſecum ſamnites portare affirmant, nec dubium eſſe, quin caſtra vallaturi ſint. At ſtrenuus Conſul indignum facinus eſſe, vociferari tantam contumeliam, ac ignominiam ab ignauiſsimo hoſte accipi, etiam ne circumſedebimur (inquit) in caſtris, vt fame potius per ignominiam, quam ferro, ſi neceſſe eſt, per virtutem moriamur. Dij bene verterent, ac facerent, quod ſi dignum omnes ducerent, Conſulem M. Attilium, vel ſolum, ſi nemo alius ſequatur, iturum aduerſus hoſtes, caſurumque inter ſam-

nitium ſigna potius, quam circumuallari caſtra Romana videat. At omnes Duces Conſulis dicta approbauere, tum pudore victus miles ſegniter arma capit, ſegniter caſtris egreditur, nec ſpe victoriæ, nec animo pugna committitur, Romanus miles profligatur, & ad caſtra ſpe ſalutis tendebat. Atqui ſtrenuus Conſul equo prouectus ad portam caſtrorum, ac ſtatione equitum ibi oppoſita, edicto, vt quicunque ad vallum tenderet, ſiue Romanus, ſiue Samnis eſſet, pro hoſte haberetur, hæc ipſa minitans, ſuis profuſe in caſtra tendentibus obſtitit. Vir quidem omni laude dignus, atque Imperatoria maieſtate, tot militum fractis animis, ſolus frangi non poterat. Quo pergis (inquit) miles. & hic arma, & viros inuenies. Nec profecto vtuo Conſul, niſi victor in caſtra intrabis, proinde elige cum ciue, an cum hoſte pugnare malis. Hæc dicente Imperatore equites infeſtis cuſpidibus circumfunduntur, ac pedites in pugnam redire iubent, acri pugna commiſſa, prudentia, animo, robore Imperatoris Samnites vincuntur, multi interfecti, captiui, nudi ſub iugum mittuntur. Ecce quantum melius fuit pugnare, & ſi opus fuiſſet, ferro mori, quam inedia in caſtris confici. Quare nemo rebus in aduerſis deſperare debet, & nihil per virtutem intentatum relinquere, ac vtranque ſemper fortunam experiri, & nunquam animo frangi, vt ſuperiori loco poſthumius Conſul cum vniuerſo exercitu ſub iugum miſſus, armis ac cæteris rebus hoſti relictis. Quare nullus deſperet, vt hic Imperator, qui labentem militum fortunam, vt vir magnanimus, erexit, & victos vincere docuit. Itidem eadem animi magnitudine Cæſar aduerſus Pompeium vſus fuit, qui quum milites ſuos a Pompeio ſuperatos animaduertiſſet, hiſce verbis conſolatus fuit, vt meliora ſperarent, & ne ea, quæ accidiſſent grauiter ferrent, neue his rebus terrerentur, multiſque ſecundis prælijs, vnum aduerſum, idque mediocre opponerent, habendam fortunæ gratiam, quod Italiam ſine aliquo vulnere accepiſſent, quod duas Hiſpanias, citeriorem, vlterioremque bellicoſiſsimorum hominum potentiſsimis ac exercitatiſsimis Ducibus pacauiſſent, quod finitimas frumentariaſque prouincias in poteſtatem redegiſſent. Denique recordari debere, qua facilitate inter medias hoſtium claſſes, opletis non ſolum portubus, ſed etiam littoribus, omnes incolumes eſſent tranſportati. Nam ſi non omnia ſecunda fortunæ cedunt, induſtria eſt ſubleuanda, quod eſſent acceptum detrimenti, exercitus potius, quam ſuæ culpæ debere tribui, locum ſecurum ad dimicandum dediſſe, potitum ſe eſſe, ait, hoſtiū caſtris expuliſſe ac ſuperaſſe pugnantes, ſed ſiue ipſorum perturbatio, ſiue aliquis error, ſiue etiam fortuna, paratam iam, præſentemque victoriam interpellaſſent, dandam omnibus operam, vt acceptum incommodum virtute ſarciretur, quod ſi factum eſſet, detrimentum in bonum verterent. Itaque militum animi ad meliora præſtantioraque excitantur, diſcuntque fortunæ non eſſe ſuccumbendum, ſed pro gloria, fama, honore, ſalute, ac cæteris vitæ commodis omnia extrema tentanda eſſe, quia plerunque ex iacente fortuna ad excitatam perueniri ſolet, vt ſuperioribus Imperatoribus accidit. Itaque Imperatoris animus nulla re aduerſa frangi debet, ſed ſemper meliora ſperare, vt quidem vir ſapiens, qui nullo modo fortunæ fluctibus ſuccumbit.

FINIS QVARTI LIBRI.

AD EMANVELEM PHILIBERTVM SERENISSIMVM ET INVICTISSIMVM SABAVDIAE DVCEM ETC.

DOMINICI CYLLENII, GRAECI DE DISCIPLINA MILITARI, LIBER QVINTVS.

De Vrbium propugnatione. Cap. I.

QVIBVS de rebus etiam bella ſuſcipi mortalium generi ſolent, O. P. Iam mihi circa Vrbium propugnationem ac oppugnationem diſſerendum eſſe videtur. Nam, aut iniuria, aut rebus repetitis, & non redditis, aut quadam homines imperandi cupiditate adducti, aliena inuadunt, bellaque ſuſcipiunt. Hæc enim gloriæ cupiditas omnino cauenda eſt. Quia libertatem eripit, pro qua magnanimis viris omnis debet eſſe contentio. Hæc enim animi elatio, quæ in periculis & laboribus cernitur, ſi iuſtitia vacare videtur, pugnatque non pro communi ſalute, ſed ſuis commodis incitir, non modo id virtutis non eſſe, ſed potius immanitatis, omnem humanitatem repellentis. Quocirca nemo, qui fortitudinis gloriam eſt conſecutus, inſidijs & malitia laudem adeptus eſt. Nihil enim honeſtum eſſe poteſt, quod iuſtitia vacat. Verum animus paratus ad periculum, ſi ſua cupiditate, non autem communi vtilitate impellitur, audaciæ potius nomen habeat, quam fortitudinis. Sed hoc odioſum eſſe videtur, quod in hac animi magnitudine facillime pertinacia, & nimia principatus cupiditas innaſcitur (vt eſt apud Platonem) omnem morem Lacedæmoniorum inflammatum eſſe cupiditate vincendi, ſicut quiſque animi magnitudine, maxime, excellit, ita maxime vult omnium princeps eſſe. Difficile eſt enim cum præſtare omnibus concupieris, ſeruare æquitatem, quæ eſt iuſtitiæ maxime propria. Facillime enim ad res iniuſtas impellitur, vt quiſque eſt altiſsimo animo, atque gloriæ cupido. Qui quidem locus Lubricus eſſe videtur. Itaque plerique hiſce rebus adducti, neque naturæ, neque legum, neque Dei vlla habita ratione, alienas Vrbes, & loca inuadunt, & armis eas occupare nituntur, quod eſt contra fortitudinem & æquitatem. Sed principes hoc parui faciunt, quia ſibi omnia armis vendicare videntur. Icciręo ciuitatem, imminente bello, contra hoſtium vires, multis muniri omnino oportere, militiæ peritis apertum eſſe video. Primum quidem, vt commeatu abundet, militum robur adſit, mœnia tuto cum graui aggere intus propter tormenta fabricata, ac cæteris operibus ad belli molem neceſſarijs. Quum enim hęc omnia Vrbem ſatis tutam reddere videantur, hominum animis magis opus eſſe arbitror, vt fide, amore ac beneuolentia populorum, quibus quidem rebus, maxime, tuta quælibet ciuitas reddi ſolet, vt hiſce verbis Ageſilai Spartanorum Regis perſpici poteſt, qui hoſpiti ſuo Athenienſi muros excelſos Vrbis Athenarum oſtentanti, ac mirum in modum extollenti, ita reſpondit. Si enim mulieribus iſtos comparaſtis, recte quidem, ſi viris turpiter. Muros enim (inquit) bene munitos mulieribus eſſe aptiores, quam viris, qui potius in virtute, quam in munitione præſidium collocant. Igitur ciuitatis ſalus magis viris, quam munitionibus conſiſtit. Verum enimuero temporibus noſtris, ſi eſſet Ageſilaus, vtrunque omnino probaret, & fidem omnibus neceſſariam, & munitiones propter nimium tormentorum impetum. Quorum terrore fides, & beneuolentia haud ſatis eſſe videtur. Vtroque omnino hoc tempore opus eſſe video. Tunc optime ſentiebat Ageſilaus, quia certamen tantum circa virtutem verſabatur. Quo qui magis præſtare cæteris videbatur, eo magis honorabatur. At inter cęteras Vrbis munitiones, hanc optimam eſſe cenſeo, nummos parare, quia ſunt bellorum nerui. Nam ſicut corpus ſine neruis minime ſtare poteſt, ſic ciuitas ſine pecunia ſatis tuto muniri. Hac enim bella inferuntur, ac propulſantur, diuque hoſtes fatigantur, atque animi franguntur, corrumpunturque, multique ſocij, & amici parantur. Cuius quidem caritate, multi

principes, & Duces exercitus, & Imperia amiſerunt, circa pręſidium quoque, ciues in hoc cauti eſſe debent, vt tale in Vrbem inducant, ne numero, ac viribus ſuperentur, quia periculum imminet, ne, inuenta ſeditione, diripiantur, ac hoſtibus ciuitas tradatur, vt Epirotis accidit. Qui Gallos a Romanis Italia exactos, legum ac rei. p. ſuæ cuſtodes fecere, & eorum fidei pulcherrimam, atque feliciſsimam ciuitatem credidere. Quo quidem tempore Illyrij intrepidi per omnem prouinciam diſcurrentes, omnia vaſtabant ac diripiebant, quum forte in Epirum proficiſcerentur, exportandi commeatus gratia, Phenicem Epirotarum Vrbem venere. Tunc in ea Vrbe erant ipſi Galli circiter octingenti, qui mercede ab Epirotis conducti erant, vt Vrbem tutarentur. Cum his habito de proditione ſermone, haud reluctantibus Gallis, in terram deſcendunt, ſtatim omnium, Gallis iuuantibus, potiuntur, atque ciuitas, & ab ipſis Gallis cuſtodibus, & Illyrijs diripitur. Nec.n.quiſquam hoc admiretur, quod ij infidi fuerint, quia a ſuis proprijs laribus exacti, & a Carthaginenſibus recepti, quod bello a Romanis infeſtarentur, primo audita diſcenſione conductorum militum, qui ſibi deberi ſtipendia dicebant, depredari agrigentum, Vrbem eorum fidei commiſſam cęperunt. Dehinc rurſus in Erycinam Vrbem a Carthaginenſibus præſidij gratia inducti, obſidentibus eam Romanis, de prodenda hoſtibus ciuitate conſilium cœperunt, quod quum eis non ſucceſsiſſet, ad Romanos transfugerunt, a quibus in fidem recepti, rurſus Erycinæ Veneris templum depopulati ſunt. Romani autem eorum perfidia cognita, quum primum pacem cum Carthaginenſibus iniſſent, inermes nauibus impoſitos omni Italia expulerunt. Nam qui ſemel aliquod ſcelus molitur, facile in alia dilabi ſolet. Mamertini quoque ſub Agathocle in Sicilia militantes, Meſſanæ Vrbis ſplendorem, ac opulentiam admirati, oblatam ſibi quam primum patrandæ rei opportunitatem perſpicientes, per amicitiam intra mœnia recepti, violata fide, in Vrbem impetum faciunt. Ciues partim Vrbe eiiciunt, partim interficiunt. Vxores, liberoſque eorum, prout cuique in ipſo conflictu ſors tulit, poſtea fortunas, agroſque inter ſe partiuntur. Idem quoque Rheginis euenit. Quo eo tempore, quo Pyrrhus Rex in Italiam copias traiecit, eius aduentu deterriti, ſimul quod Carthaginenſes mari tunc Imitantes metuebant. Atqui populi Romani opem, præſidiumque poſtularunt. miſsi a Romanis ad eos milites, aliquandiu Vrbem tutati, fidem ciuitati ſeruauerunt, erant numero quatuor milia hominum, quibus Duces, Decius & Campanus præerant, ſed tandem infidorum Mamertinorum exemplo permoti, Rheginis fidem violare Romani auſi ſunt, tum rei opportunitate, tum Rheginorum opulentia pellecti, ciues alios ex Vrbe depellunt, alios cædunt, deinde vt Mamertini fecerunt, ciuitatem detinent. Denique capta Vrbe a Romanis, Romam tandem delati, virgis cęſsi, ac ſecuri percuſsi ſunt. Rheginis vero cuncta cum Vrbe, quæ ſuperfuerant, reſtituerunt. Prudentes igitur ſint ciues ad recipiendum alienum præſidium, ac alienum Ducem, atque transfugas, Gabiorum quoque exemplo adducti, qui huiuſcemodi a filio Tarquinij ſuperbi ſexto decepti fuere. Nam ipſe L. Tarquinius ſuperbus cum veluti poſito bello, templi fundamentis ex captiua pecunia faciendis, ac alijs Vrbanis rebus intentum ſe eſſe ſimularet. Sextus filius eius, qui erat minor natu ex tribus, Gabios ex induſtria transfugit, patris in ſe ſæuitiam intolerabilem conquerens, iam ab alienis in ſuos ſuperbiam vertiſſe, vt etiam liberorum eum frequentiæ tæderet, vt quam in curia ſolitudinem fecerit, domi quoque faciat, nequam ſtirpem, ne quem Hæredem Regni relinquat, ſe quidem inter tela, patriſque gladios elapſum, nihil vſquam ſibi tutum, niſi apud hoſtes L. Tarquinij crediddiſſe. Nam ne errarent, manere his bellum, quod poſitum ſimuletur, & per occaſionem eum incautum inuaſurum, quod ſi apud eos, locus ſupplicibus non ſit, ſe omne latium perreraturum, Volſcoſque ſe inde, & Equos, & Hernicos petiturum, donec ad eos perueniat, qui a patre crudelibus, & impijs ſupplicijs liberos tegere ſciat, forſitan etiam ardoris aliquid ad bellum, armaque ſe aduerſus ſuperbiſsimum Regem, ac ferociſsimum populum inuenturum. Quum ſi nihil mouerentur, ira infenſus porro inde abiturus videretur. Hæc L. Tarquinius. Quibus verbis Gabij adducti, belli ſummam ſibi decernunt, Ducem creant, paruaque inter Vrbem, & Gabios prælia geruntur, quibus plerunque Gabina res ſuperior fuit, tum certatim ſummi, infimique Gabinorum Sextum Tarquinium domo Deum ſibi miſſum Ducem credere. Apud milites vero ad obeunda pericula, & labores pariter prædam munifice largiendo tanta charitate eſſe, vt non pater Tarquinius potentior Romæ, quam filius Gabijs eſſet. Itaque vbi ſatis virium collectum ad omnes conatus videbat, tum ex ſuis vnum Sciſcitatum Romam ad patrem mittit, quidnam ſe facere vellet, quandoquidem omnia, vt vnus præ Gabijs poſſet, ei Dij dediſſent. Huic nuncio voce nihil reſponſum eſt. Rex vero deliberabundus in ædium hortum tranſit, ſequente filij nuncio, ibi inambulantem tacitum ſumma papauerum capita (dicitur) virga decuſsiſſe. Nuncius autem feſſus interrogando, reſponſumque expectando, vt re imperfecta, Gabios redijt, quę dixerit, quę viderit, refert. Seu ira, ſeu odio, ſeu ſuperbia ingenio inſita, nullam eum vocem emiſiſſe: Vbi quid pater vellet, Sexto, quidue pręciperet, tacitis ambagibus patuit, principes ciuitatis interemit. Quidam fugerunt, alij in exilium acti ſunt, abſentium bona, atque occiſorum diuiſa. Itaque res Gabina dolo, & Regis proditione amiſſa eſt, & in hoſtium manus deuenit. Quorum quidem monimenta ſint poſteritati perpetuo proditionis exemplo, & caueant. Siquidem transfugarum fides ſemper ſuſpecta eſſe.

debet, neque pręſidio omnino credere, niſi prius certa fide explorata, qui miles, quaſi ſibi inſitum ſit natura, prędę ſemper eſt auidus, maxime, vbi adeſt opulentia rerum, qua veluti inſita ſibi libidine ad latrocinia facile incitatur. Iccirco ciues tempore belli tantum pręſidij ſuſcipiant, ne eius viribus ſuperari poſsint, & omnia militiæ munera (ſi per eos fieri poteſt) obeant, & nocte præter cuſtodias mœnia circuire non deſiſtant, portarumque & caſtellorum cuſtodias ſæpe mutare ſtudeant, atque adſint, ſi tutum ab inſidijs, & dolis ciuitatem habere velint, ſciantque varium eſſe hominum ingenium, & ad opes libidinem, quæ Hercule rationi, & æquitati perdifficile obtemperare videtur. Hæc enim fidem fallere, Deum negligere, & omnia iura, & leges ſubuertere mortalium genus ſæpe cogere videtur, vt nulla æqui ratio habeatur.

De Vrbium oppugnatione. Cap. II.

QVANQVAM omnia bella ſunt periculoſa, Terra marique multa humanę vitæ incommoda afferre videntur, quia inter alia magnum ſaluti diſcrimen ſemper imminet, ea omitto, quæ indies homines patiuntur, vt famem, ſitim plerunque, aquarum penuriam, ac alia ad victum neceſſaria, tamen bellis, Quæ circa Vrbes geruntur, maxime in earum obſidione, quicquam mali conferri poſſe video, quum nulla detur exeundi facultas, vallo foſſaque ab hoſte cincta Vrbe, ad quam nullum alimentorum genus vehi poteſt. Quocirca obſidionem expectaturam ciuitatem multis rebus muniri oportet, ac omnibus quam diligentiſsime conſulere, vt diu bellum ſuſtinere poſsit. Primo quidem muros foſſa, & aggere intus cum alta foſſa, & aggere ſiue vallo quam munitiſsimos habeat, ac multam materiam, vt lanam, aliamue tormentorum pilis cedentem, ipſis muris oppoſitam, dum hoſtes inſtant quatere muros, quia (vt ſæpe exploratum eſt) optime illis reſiſtit. Deinde ſint ipſa mœnia omni genere armorum ac bellicorum inſtrumentorum munita (vt Dux optime nouit) & tormentis ita apte per ea diſpoſitis, vt commode pilæ emittantur in hoſtes, & ne ab eis impediri poſsint aliqua ratione, maxime loca illa iuis occupando tormentorum pilis, vt ſæpe fieri ſolet, ſchalis poſtea hærentibus, muri capiantur, maxime ſi aquis non fuerint ſępti, atque muniti. Quę quidem optime proſunt, ne cuniculi fiant, & per eos hoſtes in Vrbem penetrent. Atqui ſi aquę non alluerint muros, contra cuniculos, alios faciant, foſſamque profundam, cuniculi locum auribus terrę adhibitis, vel aliquo inſtrumento tinnienti miles percipere facile poterit. Deinde ſuſpectos ciuitas expellat, commeatibus abundet, minuſque vtiles, genus hominum imbelle itidem expellant, vt ſeniores, pueros, ac omnem fœminarum gregem. Dux igitur Vrbis omnia loca murorum intus & foris quam diligentiſsime exploret, vt ſiquis locus eſſet muniendus, ne qua hoſti via pateret, melius firmentur, atque cæteris conſulere debet, quę ad expugnationem ſpectant, quę eius iudicio relinquuntur. Non deſint calidi liquores, non pices, non calces, non ignes artificio confecti, ſuper milites muros conſcendentes, deijciendi, quod hodie raro accidit, propter tormentorum ictus. Actum enim eſſet (vt arbitror) de ciuitate, ſi hoc laboraret. Hoſtes igitur his ſeſe rationibus ad Vrbis obſidionem parent. Rei primum repetendę, de more, munus obeant, qua ab oppidanis negata, more militari, obſideant. Quę quidem obſidio talis eſſe debet. Nam veteres Duces Vrbem vndique vallo, & foſſa cingi iubebant, vt nemini liceret inde exire, neque eo quicquam inferre. His autem temporibus non ſic. Sed caſtella diuerſis locis ex terra fabricata, alio nomine minora caſtra appellantur, locant, vndique munita tormentis, & omni armorum genere ad ſimilitudinem Vrbis, adeo quod, neque exeundi, neque ingrediendi datur facultas, quod ſiquis tentauerit, in hoſtes omnino incidunt. Hoc enim maxime commodum locus pręſtat, vbi circa Vrbem plurimi colles, tumuli, montes ac valles, atque tota loca globoſa exiſtunt. Vt meis temporibus Senarum ciuitati (cuius talis eſt habitus) accidit, quę tandem commeatus caritate Florentię Duci deditionem fecit. Quum autem tempus oppugnandi Vrbem, adeſſe videtur, copijs in aciem deductis, tormenta locis idoneis ad quatiendos muros diſponant, quorum aliqua pars ſolo ęquata ſubeſſe debet acies peditum parata ſchalis murum conſcendere, qui plerunque ab oppidanis repelluntur, & nulla capiendi datur facultas. Quod ſępe tentate licet, hoc eſt vndique adoriri, muroſque quatere, quia plerunque tot defenſoribus vacat, vel feſsi diu non poſſunt prælium ſuſtinere. Sed hac vna ratione facile capi poterit, ſi tumulus, vel agger ita editior iuxta murum ædificetur, qui eius faſtigia ęquare videatur, deſuper diſpoſitis tormentis. At oppidani in hoc periculo hoc remedium adhibere poſſunt, vt contra, alium intus cum magna foſſa ędificent, quod ſi materia fortaſſe deeſſe videtur, domos demoliantur, eoque loci vehatur. Hac ratione meis temporibus Rhodus Ciuitas munitiſsima a Turcarum principe capta fuit, facta ſibi deditione, quadam honeſta conditione, ſaluis pręter munitiones, omnibus rebus. Sed alia re (vt mihi videtur) hoſtis, ne tumulum faciat, impediri poteſt, ſi oppidani ante hoſtium aduentum diuerſa minora caſtra munitiſsima locis idoneis circa murum, nec procul ab eo ędificauerint, illi hoſtes minime appropinquare poterunt, nec tumulum fabricare, nec prope admouere tormenta, de qua re

alibi

alibi dictum eſt. Itaque murus (meo iudicio) ab omni prelio & incurſione hoſtium tutus erit. Quia prius illa minora caſtra ſingulis locis expugnare oportebit, quam Vrbem. Si enim nec vlla arma, nec vlla tormenta proderunt, omnino Dux in obſidione perſiſtere debet, vt Alexander Rex Macedonum omnem fortunę aleam potius tentare ſtatuit, quam ab incepto deſiſtere. Qui quidem, quum quandam Indię munitiſsimam Vrbem obſidere pararet, quam octo & triginta milia peditum tuebantur, non ſitu ſolum, ſed, & opere munita erat. Nam qua ad orientem ſpectabat, Amne Torrenti cingebatur, præruptis vtrinque Rupibus, additum ad Vrbem impedit, ad occidentem, & ad Meridiem, velut de induſtria Rupes prealtas natura admolita eſt, infra quas cauernę, & longa vetuſtate voragines in altum cauatę iacent, quaque deſinunt, foſſa ingentis operis obiecta eſt, quinque & triginta ſtadia murus Vrbem complectitur. Cuius inferiora Saxo, ſuperiora crudo latere ſtructa erant. Quo quidem ſi recentiores ędificarent muros (puto) quod magis tormentorum ictibus reſiſterent, quia ea cruda materia non ita frangitur, ſed cedit, præcipue, quum imbribus madefacta fuerit. Lateribus quoque lapides ſunt, quos interpoſuere, vt duriori materiæ fragilis incumberet, ſimulque terram humore dilutam. Trabes quoque validæ interpoſitæ erant, quibus iniecta tabulata, muros & tegebant, & peruios faciebant. Hæc enim Vrbis munimenta Alexandrum contemplantem, conſilijque inopem, quia nec cauernas, niſi aggere implere poterat, nec machinas muris admouere; quidam ex muro ſagytta percuſsit, cum forte in ſuram telum incidit, ſpiculo euulſo, equum admoueri iuſsit. Quo quidem vectus, nec obligato vulnere, haud ſegnius deſtinata exequebatur. Sed quum Crus Saucium penderet, ſiccato cruore, frigens vulnus dolorem augeret, dixiſſe, fertur, ſe quidem Iouis filium dici, ſed ægri corporis vitia ſentire. Non tamen ante ſe in caſtra recepit, quam cuncta exploraſſet, & quæ fieri vellet, edixit. Poſtremo capta Vrbe omnes in arcem conceſſere, quam paulo poſt in deditionem accepit, & magna in omneis, & humanitate, & liberalitate vſus fuit. Nam, ſæpe pertinaci animo Imperatoris Vrbes capiuntur, ſed ingenio opus eſſe videtur, quo quam maxime, & pertinaci animo in quendam locum natura munitiſsimum nomine petram vſus fuit. Quam quidem Arimazeus Sogdianus cum triginta milibus armatorum tenebat, atque biennium commeatus ſatis erat. Hæc enim petra triginta ſtadia eminebat, circuitu vero centum & quinquaginta complectebatur, vndique abſciſſa, & abrupta, ſemita perangusta additur. In medio autem altitudinis ſpatio antrum habet. Cuius os abſciſſum eſt, & obſcurum, deinde paulatim ad vlteriora panditur. Vltima autem alios receſſus habent, fontes etiam per totum fere ſpatium manant, e quibus collatæ aquæ per prona montes, flumenque emittunt. At Alexander ſpectata loci difficultate inde abire ſtatuerat. Deinde quædam ſibi animi cupido inceſsit, fortunam tentare, Xopham Artabazi filium ad Barbaros miſit, qui ſuaderet, vt rupem dederent. Arimazeus autem loco fretus, ſuperbe multa reſpondit. Poſtremo an Alexander volare poſsit, interrogauit. Quę Regi nunciata, multum animum accendere, ducum concilio conuocato Barbari inſolentiam ipſoſque eludentis, indicaret, quod pennas non haberent. Trecentos (inquit) ſtrenuos iuuenes ex ſuis quiſque copijs ad me perducite, qui per colles, & pene inuias rupes domi pecora agere conſueuerant. At illi præſtantes, & leuitate corporum, & animorum ardore adducunt, quos intuens Rex; vobiſcum (inquit) O iuuenes, & mei equales inuictarum Vrbium ante munimenta ſuperaui, montium iuga perenni niue obruta emenſus ſum, Ciliciæ anguſtias intraui, Indiæ vim frigoris perpeſſus ſum, & mei documenta vobis dedi; & veſtra habeo, petra, quam videtis, vnum additum habet, quem Barbari obſident, cætera negligunt, nullæ vigiliæ ſunt, niſi quæ caſtra noſtra ſpectant, inuenietis viam, ſi prudenter additus rimati fueritis ad cacumen ferentes. Nihil enim tam alte natura conſtituit, quo virtus non poſsit eniti, experiendo, quæ cæteri deſperauerint. Alteram in poteſtate habemus, in cacumen euadite, quod, quum ceperitis, candidis velis ſignum mihi dabitis, ego copijs admotis hoſtem a vobis in nos conuertam, ei præmium erit, qui primus verticem occupauerit, decem talenta, vno minus, qui proximus ei venit, accipiet; eodemque ad decem homines portio ſeruabitur. Cæterum vos habeo; non tam liberalitatem meam intueri, quam voluntatem. Iuuenes his animis Regem audierunt, vt iam cepiſſe verticem viderentur. Dimiſsiſque ferreos cuneos, quos inter ſaxa defigerent; validoſque funes parabant. Rex autem ſecunda vigilia ingredi iubet. Illi vero alimentis in biduum ſumptis, gladijs, haſtiſque armati, ſubire cęperunt. Deinde vt in prærupta peruentum eſt, alij manibus eminentia ſaxa complexi, ſeſe leuauere, alij adiectis funium laqueis euaſere. Qui quum Cuneos inter ſaxa defigerent, gradum ſubinde, quis inſiſterent, diem inter metum, laboremque conſumpſerunt, per aſpera enixis duriora reſtabant, & petræ altitudo creſcere videbatur. Quę quidem facies miſerabilis erat. Cum hi, quos inſtabilis gradus fefellerat, ex præcipiti deuoluerentur. Mox eadem in ſe patientia alieni caſus oſtendebat exemplum. Tamen per has difficultates in montis verticem euntur. Omnes continuo labore defatigati, quidam membrorum parte mutilati, pariterque eos, & nox, & ſomnus oppreſsit. Strati paſsim corporibus in vijs, vſque ad lucem quieuere, tandem velut ex alto ſopore excitati, occultas ſubiectaſque valles rimantes, ignari in qua petrę parte tanta vis hoſtium condita eſſet, fumum ſpecus infra ſeipſos euolutum notauerunt; quo perſpectum eſt, ibi hoſtium latebras eſſe. Itaque haſtis impoſuere,

quod conuenerant, ſignum totoque ex numero duos & triginta in aſcenſu interiſſe agnoſcunt. Rex autem non magis loci potiundi cupiditate, quam eorum vice, quos ad tam manifeſtum periculum miſerat, tota die ſolitus montis cacumina intuens reſiſtit. Denique nocte, quum obſcuritas oculorum conſpectum ademiſſet, ad curandum corpus dimiſit. Poſtero autem die nondum ſatis clara luce, primus vela capti verticis ſignum conſpexit, ſed ne acies falleretur, cęli varietas dubitare cogebat, dubitatio ipſa exempta eſt, Cepham vocat, per quem Barbarorum animos tentauerat, ad eoſque remittit, qui moneret, nunc ſaltem ſalubrius conſilium inirent. Sin autem fiducia pergerent, a tergo oſtendi iuſſit, qui verticem cęperant. Cophas ad eos miſſus ſuadere petram tradere, gratiam apud Regem inituros. At ille Barbarus ſuperbius, ac ferocius, quam antea locutus, Cophę abire iuſſit, quem manu pręhenſum rogat, vt ſecum extra ſpecum prodeat, quo impetrato, iuuenes in cacumine oſtendit, eius ſuperbię illudens, pennas ait Alexandri milites habere, inquit, iamque totius exercitus clamor audiebatur. Quę res Barbaros ad deditionem traxit, Cophem reuocant, & cum eo triginta principes mittunt, qui petram tradant, & incolumes abire paciſcantur. Ille, quanquam verebatur, ne conſpecta iuuenum paucitate, eos Barbari deturbarent, tamen & fortunę ſuę confiſus, & Arimazi ſuperbię, nullam ſe conditionem deditionis accipere reſpondit. Arimazes autem deſperatis magis & perditis rebus cum propinquis, nobilibuſque gentis ſuę in caſtra deſcendit, quos omnes verberibus affectos, ſub ipſis petrę radicibus affigi iuſſit. Quod igitur viribus non peterat, ingenio ſuperauit. Locum enim natura difficiliorem ad capiendum facere minime poterat, ingenio ac animi pertinacia adeptus fuit. Hac animi pertinacia Annibal dum Saguntum Hiſpanię, munitiſſimam Vrbem obſideret, vſus fuit. Quumque enim omni ſtudio Vrbis obſidioni inhęreret, multitudinis animos nunc ira in hoſtes ſtimulando, nunc ſpe pręmiorum accendendo, more ſtrenui Ducis, ſeipſum prębet exemplum, tum in conficiendis, admouendiſque ad muros machinis, tum in adeundis locis, vbi magis diſcrimen imminere oſtendebatur omnia denique haud ſecus egit, quam ſi nihil inter ſe atque militem intereſſet. Hoc modo octo continuis menſibus, animo, corporeque fatigatus, tandem Vrbem vi cepit. Nec mirum, ſi magnas res geſſerit, eſſe videtur, cui plurimę virtutes inerant, primum audacię multum ad ſubeunda pericula, conſilij plurimum, nullo labore corpus fatigari, aut animus vinci poterat. Omnia enim incommoda libenter ſubibat. Neque (vt multi) molli ſtrato quieſcebat, multi eum crebro militari ſagulo (vt ait Liuius) opertum, humi inter cuſtodias tacentem ac militum ſtationes conſpexere. In bello equitum, peditumque primus erat, princeps prœlium inibat (quod nunc propter tormenta vitio darem) vltimus conſerto excedebat. Iccirco toties victor extitit, tot exercitus Romanorum fudit, & Vrbes cępit, ac euertit. Talis eſſe debet copiarum Imperator, ſi res aliquo honore dignas gerere cupit. Sed plerunque quum humana ratio ad capendas Vrbes deeſſe videatur, ad dolos verti ſolent, de quibus etiam aliquid differendum eſſe putaui.

De dolis ad capiendas Vrbes. *Cap. III.*

VBI Duci virtus deeſſe videtur, dolos, ac inſidias plerunque moliri ſolet, nullius habita ratione, modo voti compos efficiatur, vt complura exempla docent, ac veterum ducum monimenta declarant, vt Thymarcus Ætolus, qui Occiſo Carneade Ptolomęi Regis pręfecto, clamide interempti, & Galero Macedonico ornatus eſt habitu, quo errore ſamiorum portum, receptus, occupauit. Papyrius autem Conſul., apud Tarentum, Miloni, qui cum pręſidio Epirotarum Vrbem obtinebat, ſalutem ipſi, & popularibus, ſi per illum oppido potiretur, pollicitus fuit, quibus pręmijs ille corruptus, Tarentinis perſuaſit, vt legatum ad Conſulem mitterent, a quo plena promiſſa expectata referens, oppidanos ſecuros reddidit, itaque in cuſtoditam Vrbem Conſuli tradidit. Huc illud Lyſimachi Macedonum Regis accedit, qui quum Epheſios opprimeret, & illi auxilio haberent Mandronem Archipyratam, qui ſępe naues pręda oneratas Epheſo apellebat, eique corrupto ad proditionem Macedonum fortiſſimos iunxit. Quos ille reſtrictis manibus pro captiuis Epheſum introduxit. Qui poſtea in arce raptis armis Vrbem Lyſimacho tradidere. Pyrrhus vero ad hoſtium pręſidia illyriorum renouanda hoc vſus fuit. Nam quum ciuitatem, quę caput gentis erat in ſuam poteſtatem redigere vellet, eius deſperatione ſimulata, cęteras Vrbes petere cępit. Hoſtes autem hac fiducia adducti, velut ſatis munitę Vrbis ad aliarum tutelam dilapſi ſunt. Pyrrhus autem rurſus reuocatis ſuis eam defenſoribus vacuam cepit. Itidem Cornelius Ruſtinus Con. quum aliquanto tempore Crotonam fruſtra obſediſſet, aſſumpta Lucanorum manu in pręſidium ſimulauit ſe in cępto deſiſtere. Deinde captiuum magno pręmio Sollicitatum Crotonam miſit, qui tanquam ex cuſtodia fugiſſet, Romanos diſceſſiſſe, perſuaſit. Quod ciues arbitrati auxilia dimiſere, propugnatoribus deſtituti, ab hoſtibus inopinati, capti ſunt. Fabius Max. quoque Campanos hoc modo ad inopiam redegit, qui vaſtatis

eorum agris, nequid eis ad obſidionis fiduciam ſupereſſet, tempore ſementis receſſit, vt frumentum, quod reliquum haberent, in ſationes conferrent. Deinde reuerſus renatum proſtrauit ad famemque redactis potitus eſt. Hoc ipſo Antiochus aduerſus Athenienſes vſus eſt. Dyoniſius autem quum Rheginos aggredi vellet, qui copijs abundabant, pacem ſimulauit, ab eiſque petijt, vt exercitui ipſius commeatus ſubminiſtrarent. Quod quum obtinuiſſet, exhauſto oppidanorum frumento, Vrbem alimentis deſtitutam aggreſſus, ſuperauit. Marcellus autem quum Syraguſas oppugnaret, nec capere poſſet, quendam Syraguſanum ſoſiſtratum nomine ad proditionem ſollicitaſſet, ex eo cognouit, die feſto cuſtodes remiſſiores fore, quo Epicides præbiturus eſſet, vini, epularumque copiam. Igitur hilaritati inſidiatus, munimenta conſcendit, cæſiſque vigilibus Romano militi Vrbem aperuit. Annibal autem hoc dolo apud arcem, quæ a præſidio Romano, Duce Liuio, tenebatur, vſus fuit, Niconem, quæ ad proditionem ſollicitauerat, eiuſmodi dolo inſtruxit, vt ille venandi cauſa noctu procederet, quaſi id per hoſtem interdiu non liceret, ipſi egreſſo apros ſubminiſtrabant, quos ille tanquam captos Liuio afferret, idque quum ſæpius factum eſſet, & ideo minus obſeruaretur, quadam nocte Annibal venatorum habitu pœnos eius comitibus immiſcuit, qui quum onuſti venatione, quam ferebant, recepti eſſent a cuſtodibus, protinus eos adorti, occiderunt, tunc fracta porta admiſſus cum exercitu Annibal omneis Romanos interfecit, iiſce exceptis, qui in arcem præfugerant. At Cimon Dux Athenienſium in Caria cuidam ciuitati hoc modo inſidiatus fuit. Religioſum enim incolis Dianæ Templum, quod extra muros erat, noctu improuiſus incendit, effuſiſque oppidanis ad opem ferendam, vacuam defenſoribus Vrbem cępit. Archades vero, Meſſeniorum oppidum obſidentes, factis quibuſdam armis ad hoſtilium ſimilitudinem, eo tempore, quo alia præſidia ſucceſſura his explorauerunt, inſtructi eorum, qui expectabantur ornatu, quo errore admiſſi, vt ſocij, locum cum magna hoſtium ſtrage adepti ſunt. Atqui Thebani quum Sycioniorum portum nulla vt in ſuam poteſtatem redigere poſſent, ingentem nauim armatis militibus compleuere, merce ſuperpoſita, vt negociatorum ſpecie fallerent. Deinde alia parte murorum, quæ longiſſime remota erat, apparere paucos diſpoſuere, quibus cum e naue egreſſi inermes ſimulata rixa Sycionijs occurrerunt, ad dirimendum iurgium aduocatis, Thebanæ naues & portum & Vrbem defenſoribus vacuam occupauerunt. M. Cato quoque in Hiſpania quodam oppido ſe potiri poſſe, ſi inopinantes inuaderet. Itaque quatridui iter biduo per confragoſa deſertaque emenſus, nihil tale metuentes hoſtes, oppreſſit. Deinde victoribus ſuis tam facilis euentus cauſam requirentibus, dixit, tum illos victoriam adeptos, quum quatridui iter biduo aripuerint. Iidem Domitius caluinus quum licam ciuitatem obſideret, non ſitu tantum & operibus, verum etiam propugnatorum præſtantia tutam, muros omnibus copijs frequenter circuiri inſtituit, eaſdemque ad caſtra reducere. Qua quidem conſuetudine ita inductis oppidanis, vt id exercitationis gratia crederent Romanos facere. Hac re profecto nihil ab eo conatu cauentibus morem illum obambulandi in ſubitum direxit impetum, occupatiſque mœnibus illud expreſſit, quod ſeipſos & Vrbem dederent. Hoc enim his temporibus tormentorum cauſa haud fieri poſſe arbitror. Hoc etiam modo Duilius hoſtium murum occupauit. Annibal enim quum hymeram ciuitatem obſideret, hoc modo cœpit. Nam caſtra ſua de induſtria capi paſſus eſt, iuſſis pœnis recedere, tanquam hoſtis ſuperior eſſet, quo quidem euentu ciuibus ita deceptis, vt gaudio impulſi, relicta Vrbe ad punicum vallum procurrunt. At ille vacuam defenſoribus Vrbem cœpit. Phormion Dux Athenienſium, quum Calcidenſium agros depopulatus eſſet, legatis eorum ea requirentibus benigne reſpondit, nocteque, qua illos admiſſurus erat, literas ſibi ciuium ſuorum ſuperueniſſe, finxit, quarum gratia redeundum erat, ac paululum regreſſus, legatos dimiſit. His omnia tuta, & phormionem abijſſe nunciantibus. Calcidenſes vero ſpe & oblatæ humanitatis, & abducti exercitus, remiſſa Vrbis cuſtodia, quum confeſtim phormion rediiſſet, inexpectatam vim prohibere non potuere. Hoc quoque modo Ageſilaus Dux Lacedæmoniorum phocenſes ſuperauit. Sed hoc pulchrum eſſe videtur, non quidem rei autori, ſed cuius gratia actum fuit. Siquidem Regnante Dareo Rege Perſarum, falſo equi hinnitu, poſt Cambiſſem creato, interiecto tempore, quum Aſſyrij deſciuiſſent, Babiloniamque occupaſſent, ac Vrbis expugnatio perdifficilis eſſet, æſtuante Rege, vnus de Magorum interfectoribus zopirus nomine, domi ſe vulneribus lacerari toto corpore iubet, naſum, labia, ac aures ſibi præcidi, atque ita Regi inopinanti ſeſe offert, attonitum & quærentem Regem cauſas ac tam fœdę lacerationis autorem, tacitus, quo propoſito fecerit, edocet, formatoque in futurum conſilio transfugę titulo Babiloniam proficiſcitur. Ibi populo laniatum corpus oſtendit, Regis crudelitate queritur, a quo in Regni portione, non virtute, ſed auſpicio, non hominum iudicio, ſed ęqui hinnitu (vt dictum eſt) ſuperatus ſit, hortaturque ne mœnibus magis, quam armis confidant, ſeque commune bellum recentiore ira gerere patiantur. Viri enim nobilitas pariter, & virtus omnibus nota erat, nec de fide timebant. Cuius profecto corporis vulnera, veluti pignora, & iniuriæ notas habebant. Quare omnium ſuffragijs belli Dux eligitur, acceptaque parua manu, ſemel atque iterum cedentibus ex conſulto,

Perſis, ſecunda prælia fecit. Poſtremo vniuerſum ſibi creditum exercitum Regi prodidit, Vrbemque in ſuam poteſtatem redegit. Quo quiſque diſcere debet, fidem transfugarum ſemper ſuſpectam eſſe debere. Iidem quum in Vmbria Apuleius Conſul Nequinum oppidum, nunc Narniam, circumſediſſet, locus quidem arduus erat, ac vna in parte præceps, nec vi, nec munimento capi poterat. Itaque eam rem infectam. M. Fuluius Pæius, Titus Malius Torquatus, noui Conſules accepere. Quum igitur ad ipſum oppidum ſegni obſidione tempus tereretur, duo oppidani, quorum ædificia muro iuncta erant, ſpecu ad ſtationes Romanas facto, occulto itinere peruenerunt. Inde ad Conſulem deducti, præſidium armatum ſe intra mœnia accepturos confirmant. Quorum alter obſes retentus, duo exploratores per tuniculum miſsi, per quos re ſatis cognita, trecenti armati, transfuga Duce, in Vrbem ingreſsi, nocte portam, quæ proxime erat, cepere, qua refracta, Romanæ copiæ ſine certamine Vrbem inuaſere. Ita nequinum in populi Ro. ditionem venit. Caueant igitur ciuitatum principes, ne ædificia ſint, neque ſuper muros, neque iuxta ipſos, ſed lata Pomæria, ne ſuper milites diſcurrentes, domus tormentorum ictibus ruant, & etiam, vt locus ſit idoneus, latuſque, ac multorum ad tutanda mœnia capax militum, nec non pro animalibus paſcendis, ſed hoc magis prodeſſe videtur, vt acies intra Vrbem inſtrui poſsit, vt Marcellus in Annibalem, Nolam obſidentem, fecit. Qui Nolanis per præconem iuſsit, ne muros adirent, in quibus erat armorum ſolitudo. Annibal autem exercitum muris admouit, tum Marcellus portis patefactis cum fortiſsimis equitibus irrupit, rectaque concitus via hoſtibus conſeritur. Deinde per alteram portam ingenti curſu, & clamore peditatus emittitur. Poſt hæc quum Annibal acies partiretur, tertia porta recluditur, qua reliqui procurſantes, vndique pœnis inſperata ſtupentibus incumbunt, quos quum poſtremo irrumpentes pœni conſpexiſſent, cum confertis pugnare ignari Romanis incipiunt. Hic primum Annibal Romanis terga oſtendit, pœni autem terrore, vuulneribuſque confecti, in caſtra compulſi ſunt. Erant enim Romani in Panormitarum præſidio, Aſdrubale ad eorum obſidionem veniente, ex induſtria paucos in muris defenſores poſuere, quorum paucitate contempta, quum incautius muris ſuccederet Aſdrubal, facta eruptione ceciderunt. Suſpectum quoque præſidium ex Vrbe dimittendum, Diodorus ſatis docuit. Qui quidem quum Anphipolim tueretur, Thracumque duo millia ſuſpecta haberet, qui Vrbem direpturi videbantur, paucas hoſtium naues proximo littori appulſiſſe, mentitus eſt, eaſdemque diripi poſſe. Qua ſpe ſimulata Thraces emiſit. Deinde clauſis portis non recepit. Neque aliæ rationes deeſunt ad emittenda ſuſpecta præſidia, quæ Ducis iudicio relinquuntur. Huc quoque illud præclarum Pelopidæ Thebani in liberandam patriam ex Lacedæmoniorum manu facinus accedit. Qui quidem cum multis ciuibus Athenis exulabat, patriamque liberare ſtatuit, tempuſque nactus idoneum, cum duodecim, præmiſſo Chironi amico nuncio, & patriæ libertatis percupido, pro tempore accincti ſequebantur, venabula, caneſque ad venandum ſecum trahentes, ne quis obuiam factus, aliquid mali ſuſpicari poſſet, ſed vt viderentur ſolititeam regionem venandi cauſa ſæpe peruagari. Vbi vero nuncius ad Chironem peruenit, cæteroſque in via eſſe nunciauit, non tamen Chiron, & ſi præ oculis periculum eſſet, ex ſententia ceſsit, ſed vt vir optimus, & ſicut pollicitus fuerat, ita ſuæ fores amicis paruere. At Pelopidas & qui cum eo erant, agreſtibus paludamentis induti, quum iam ad Vrbem applicuiſſent, adhuc lucente die, diuiſim, alij per aliam ciuitatis partem ingreſsi ſunt. Erant tunc forte nebulæ ſubortæ quædam cum ingenti grandine ac nymbis, quibus plerique domum confugerant, quo facilior fuit latendi facultas. Nullus enim fuit eius rei conſcius, qui eis fores haud patefacerent, ac ipſos ad Chironis domum comitaretur, vbi vnicuique locus conſtitutus erat. Præterea nonnulli iam additi, eo in numero vſque ad octo & quadraginta. Erat item Philidas ſcriba cum Lacedæmonijs, qui rei plurimum profuit, qui Pelopidæ partibus fauebat, totiuſque rei conſcius, eodem die quum Thebani quædam feſta & ſolennes ludos celebrare conſueuiſſent, res quidem ad tantum facinus plurimum opportuna, ex induſtria philidas ea ipſa Archiæ Lacedæmoniorum præfecto denunciat, fecitque, vt voluptatibus maxime dediti ac temulentiæ faciliorem ad rem tranſigendam commoditatem præberent. Iamque ipſis ebrijs, quædam noua de Pelopida ac ſocijs afferuntur, quod ciuitatem clam ingreſsi eſſent. Quorum quidem ſermonem quum philidas præoccupaſſet, Archias præfectus interim quendam ad Chironem ad ſe accerſendum mittit, iam dies inclinabatur, Pelopidas & ſocij intus ſe continebant, armati quidem omnes, tempus idoneum expectantes. Quum vero nuncius ianuam pulſaſſet, ſeruuſque ad eius vocem accurriſſet, Chironemque a Polemarchis accerſiri diceret, Pelopidas ac ſocij perterriti, ne res illis patefacta eſſet, de interficiendis ſeipſis conſilium inierunt, omni prorſus ſpe vendicandæ libertatis ſublata, ſed ſatius viſum fuit, primum Chironem ad Archiam proficiſci, ſeque illis, quam maiori animo poſſet inuiolatum ac minime ſuſpectum præbere, Chiron vero & ſi vir grauis eſſet, atque ad omnia pericula audax, tamen vehementer eam inexpectatam aduocationem pertimuit, atque accerſito ex Thalamo filio adoleſcente, forma & corporis fortitudine cæteris eius ætatis præſtare, Pelopidæ

commiſit, ne aliqua proditionis ſuſpitio inuecta, tot ac tanti viri eius capite perderentur, vt ſi quem dolum, aut proditionem inuectere ſentiret, in illum, tanquam in hoſtem primo gladium verterent. Tum plurimis ad eam Charonis fidem lachrymæ obortæ, omnes eam profectionem permoleſte tulere, quaſi exploratum eſſet, veluti in apertam necem proficiſceretur, eum rogabant, ne filium ſibi adiungeret, atque e medio imminentis diſcriminis vellet ammouere (vt ille) & patriæ, & parenti, & omnibus amicis vltrices in poſterum manus gereret, modo ſeruatus atque ſurreptus a Tyrannorum manibus & faucibus. At ille negabat, putabat enim nullam honeſtiorem ſalutem eſſe, ea inuiolata morte, quæ vna cum patria ac amicis huiuſmodi moreretur, Deoſque præcatus, & omneis amplexus, fidenti animo abijt ad Arhiam præfectum, fronte, oratione diſſimulans alium ſe ſpartanis, quam eſſet. Quia egregium pro patria libertate facinus eſſe videtur, fere totam rem narrare placuit, & quo modo pauci tantam rem auſi fuerint, Vrbemque munitiſſimam capere, quæ magno Lacedæmoniorum præſidio tenebatur. Denique quum eo veniſſet, Archias & Philidas obuiam facti, agendum fare (inquiunt) Chiron, audiſti tu aliquos modo ciuitatem introiſſe, ac nonnullos illis conſpiraſſe, & inter hæc domicilia latitare? Stulta quidem hominis interrogatio, ſed ſtultus conſilium atque factum, poſſent fortaſſe ſe vino tueri. Nam prudentius res agi poterat, vt per domos exploratores mittere, ciuitatem diligentius cuſtodire, ac cætera militari more diligentius obire. Quocirca viro ſobrio Rempub. & exercitum decernendum eſſe reor. Cui Chiron ex induſtria admirans primum, quaſi nihil adhuc certi fama attuliſſet, quæris (inquit) a me Archia, quæ mihi admirationem pariunt, tanquam eorum, vel ipſe conſcius ſim, aut tu quidem interroges, non omnino intelligas, ſed aſpice, ne qua inanis fama te ſic ducat, tamen rem accuratius perſpiciam. Forte enim opus eſt eiuſmodi ſuſpitionem non negligere, hoc ipſum philidas laudabat. Archiam ex induſtria ad pocula iterum reduxit, ac plurimo mero hominem exhilarabat, donec eius animum libidine concitatum in mulieres acriter inflammaret, vt aliud commentum cito peragendum aſſequeretur. Chiron autem domum reuerſus Pelopidam de omnibus certiorem reddit. Poſtremo omnes inter ſe biparun, Pelopidas cum ſuis aduerſus Leonidam & Hypatem conuiuinos impetum fecerunt, quos facile interfecerunt. Chiron vero & Melon in Archiam & Philippum muliebribus paludamentis, arma celantes, & coronis frondentibus capite operti, quæ totam faciem inumbrabant. Qui autem pro foribus veſtibuli aſtabant cuſtodes, primum eis applaudebant, rati mulieres aduentaſſe, quas fortaſſe Duces diu expectabant. Itaque facile intromiſſi, exutis paludamentis, ſtrictis enſibus eos adhuc crapulantes interfecerunt. Itaque Vrbem ceperunt, ac libertate donatam, multa poſtea cum Lacedæmonijs bella geſſere. Nam rem totam fere ſcribere volui, quia multa præclara ad incitandos animos ad libertatem complectitur. Vbi igitur magnum periculum, ibi magna laus innaſcitur. Atqui Alcibiades Syraguſas hac ratione defenſoribus exuit. Qui quidem quum ciuitatem capere vellet, ex catinenſibus apud quos tunc exercitum continebat, quendam exploratæ ſolertiæ virum ſubmiſit. Syraguſanis is in publicum conſilium introductus, infeſtiſſimos eſſe catinenſes Athenienſibus ait, & ſi a Syraguſanis adiuuarentur, futurum, vt eos opprimerent; Qua re Syraguſani adducti, vniuerſis viribus Cataniam petituri, relicta Vrbe proceſſerunt; quam a tergo adortus Alcibiades, vacuam defenſoribus cepit. Ageſilaus Lacedæmonius feſto Die tegeatarum, quo omnis multitudo ad celebrandum Mineruæ Sacrum Vrbe egreſſa erat, iumenta Saccis frumentarijs, paleis refertis onuſta tegeam miſit, militibus ea agentibus, qui negociatorum ſpecie obſeruati, ſuis portas aperuere. Antiochus autem in Capadocia, oppidum, quod obſidebat, hoc modo cepit. Nam ex ipſo fœdo nomine, iumenta frumento onuſta egreſſa intercepit, occiſiſque Calonibus, eorum veſtitu milites ſuos, tanquam frumentum reportantes ſubmiſit. Quo errore cuſtodibus deceptis, caſtellum intrauere, & Antiochi milites admiſere. Tybrones enim obſidendo in Aſia quodam oppidum, vocauit ad colloquium oppidi præfectum ſub iuramento, rebus infectis, ipſum in oppidum tutum rediturum. Qui ad colloquium egreſſus. Cuſtodes autem oppidi ſub ſpe pacis ſine ordine manebant. Interea milites Tybronis oppidum inuadentes, vt ceperunt. Tybrones præfectum in oppidum redire iuſsit, ſtatimque eſt interfectus. Si autem nocte ciuitas capiatur, hoc Iphycratis optimum excolendum omnibus eſſe præceptum ſuadeo. Qui quum quandam hoſtium ciuitatem cepiſſet, magnaque hoſtium multitudo curſum in Plateam feciſſet, ipſe iuſsit, vt ciuitatis portæ aperirentur, liberam fugiendi poteſtatem fecit, vt minori periculo ciuitatem teneret. Nunc circa Vrbium prælia ſupereſſe videtur, Imperatores, maxime his temporibus eſſe admonendos ne militis officio fungi audeant, quia multi perierunt, aut in magno vitæ diſcrimine fuere. Qui quidem hoc Alexandri Regis Macedonum exemplo contenti, caueant. Quippe qui quum Subdracarum oppidum munitiſſimum capere inſtituiſſet (cui Demophoon vates periculum imminere dixit) hac ſuperſtitione capi noluit, vt eſt magnanimi animi, nihilque moratus, ſchalas muro admoueri iubet. Cæteris vero cunctantibus, ſolus euadit in murum. Anguſta enim mari corona erat, haud quidem pinnæ, ſicut alibi faſtigium eius diſtinxerant, ſed perpetua lorica obducta tranſitu ſæpſerat. At Rex iam magis hærebat, quam in margine ſtabat, Clypeo vndique incidentia tela propulſabat. Nam vbique eminus e turribus petebatur, nec milites ſubire poterant, quia ſuperne vt telorum obruebantur

Tandem telorum magnitudinem periculi pudor vincit. Qui quidem cunctatione ſua Regem dedi hoſtibus cernebant, ſed feſtinando auxilia morabantur. Nam dum pro ſe quiſque euadere certant, ſchalas onerauere, quis non ſufficientibus deuoluti, vnam ſpem Regis feſellerunt. Stabat enim Rex in tanti exercitus conſpectu, velut in ſolitudine deſtitutus. Iamque leuam, qua Clypeum ad ictus circumferebat, clamantibus amicis, laſſauerat, vt ad ipſos diſiliret, ſtabantque excepturi, quum ille rem incredibilem atque inauditam auſus eſſet, multoque magis ad famam temeritatis, quam gloriæ inſignem. Nam in Vrbem præcipiti ſaltu ſe immiſit, quum vix dimicantem ſeparare poſſet, & non multum eſſe moriturum. Qui antequam aſſurgeret, opprimi poterat, & viuus capi, ſed forte ita corpus vibrauerat, vt ſe pedibus exciperet. Itaque quum ſtaret, pugnam iniit, & ne circuiri poſſet, fortuna prouiderat. Nam vetuſta arbor haud procul muro ramos multa fronde veſtitos, velut Regem protegentes obiecerat, huius ſpacioſo ſtipiti corpus ne circuiri poſſet, applicuit, Clypeoque tela, quæ ex aduerſo gerebantur excipiebat. Nam quum comminus vnum procul tot manus peterent, tamen nemo propius accedere audebat, miſſilia ramis plura, quam Clypeo incidebant, ac figebantur. Siquidem pro Rege celebrati nominis fama pugnabat, deinde deſperatio magis ad honeſte moriendum incitamentum. Sed quum ſubinde hoſtis afflueret, iam Clypeo ingentem vim telorum exceperat, iam Galeam ſaxa perfregerant, iam continuo labore grauia genua ſucciderant. Itaque contemptim & incaute qui proxime ſteterant, incurrerunt, e quibus duos ita excepit gladio, vt ante ipſum exanimes procumberent. Nec cuiquam deinde propius eum inceſſendi animus fuit. Procul enim iacula, ſagyttaſque mittebant. Ille autem ad omnes ictus expoſitus, non ægre iam exceptum poplitibus corpus tuebatur, donec indus duorum cubitorum ſagyttam ita excuſſit, vt per Thoracem paululum ſuper latus dextrum infringeret. Quo quidem vulnere plurimum afflictus, magna ſanguinis vi emicante, arma moribundo ſimilis remiſit, adeoque reſolutus, vt ne ad vellendum telum dextra ſufficeret. Itaque ad ſpoliandum corpus, qui vulnerauerat, latus accurrit. Quem vt corpori ſuo manus iniicere ſenſit, vltimi dedecoris indignitate commotus, linquentem reuocauit animum, & medium hoſtis latus ſubiecto mucrone hauſit. Tria hoſtium corpora circa Regem iacebant, procul ſtupentibus cæteris. Ille autem, vt antequam vltimus ſpiritus deficeret, dimicans iam extingueretur, Clypeo ſe alleuare conatus eſt, poſteaquam ad connitendum nihil virium ſupererat, dextra impendentes ramos complexus aſſurgere tentabat. Sed nec ſic quidem potens corporis in genua procumbit, manu hoſtes prouocando, ſiquis congredi auderet. Tandem Peuceſtes Dux per aliam oppidi partem deturbatis propugnatoribus muri veſtigia perſequens, Regi ſuperuenit. Quo Alexander conſpecto, iam non vitæ ſuæ, ſed mortis ſolatium ſuperueniſſe ratus, Clypeo fatigatum corpus excepit. Inde Timæus alius Dux ſubiit, & paulopoſt Leonatus, Ariſtonus quoque ſuperuenit, omnes quidem ſtrenui Duces. Indi vero quum Regem intra mœnia eſſe comperiſſent, omiſſis cæteris illuc concurrerunt, protegenteſque vrgebant, ex quibus Timæus multis aduerſo corpore acceptis vulneribus egregia edita pugna, cecidit, peuceſtes quoque tribus confoſſus iaculis, non ſe tamen ſcuto, ſed Regem tuetur. Leonatus autem dum videt Barbaros ruentes ſummouet, ceruice grauiter icta ſemianimis ante Regis pedes procubuit. Iam Peuceſtes vulneribus fatigatus Clypeum ſummiſerat. Vltima ſpes in Ariſtono hærebat. Hic & grauiter Saucius tantam hoſtium vim vltra ſuſtinere non poterat. Interea ad Macedones Regem cecidiſſe fama perlata eſt. Alios profecto terruiſſet, quod illos incitauit. Nam periculi omnes immemores dolabris perfregere murum, & qua additum moliti erant, in Vrbem irrupere, Indoſque plures fugientes, quam congredi auſos ceciderunt, nulli ſexus, nullique ætati parcebatur, quiſque occurrerat, ab ipſo vulneratum Regem credebant. Rex autem ad medendum in tabernaculum relatus eſt. Magnum quidem facinus, & præter humanas vires Alexander auſus, magnum quidem periculum ſubiit, quod neque Regis, neque Imperatoris erat, in cuius virtute & vita omnium ſalus conſiſtit. Parum enim abfuit, quin hac totam gloriam amiſiſſet. Hoc ſubire caueat quiſque Dux, & Imperator, quum in eius ſalute omnium vita verſatur, cuius interitu omnia intereunt. Indi autem omnes ad vnum interfecti fuere, qui ſi Regem ſeruaſſent, ac honoraſſent, libertatem, pro qua pugnabant, & Vrbem tenuiſſent, atque ſuos. At Vrbium defenſoribus hoc vnum præceptum optimum pertinaci animo pugnare volentibus ineſſe video, quo Alexandrini aduerſus Cæſarem, eorum Vrbem obſidentem, vſi fuere. Ii namque veteranas cohortes vacuas in celeberrimis ciuitatis locis habebant, vt quacunque regione pugnaretur, integris viribus ad ferendum auxilium opponi poſſent omnibus viis atque angiportis, vndique triplici vallo loca obduxerant. Quod Cæſar plurimum laudauit. Hoc quidem modo non vnam Vrbem, ſed veluti plures capi oportebat. Quo fit etiam, vt equites ad pugnam minus vtiles reddantur. Ac de præliis ad Vrbes, deinceps de pugna caſtrorum dicendum eſſe videtur, quum Vrbium fere ſimilia ſint.

De pugna caſtrorum. Cap. IIII.

SICVT in condendis Vrbibus locum ſitumue natura munitum, ac cæteris neceſſarijs refertum quærere debemus, vt ab hoſtium armis & inſidijs tutus eſſe poſsit, eadem in locandis caſtris, quum illarum ſimilia ſint, ſeruare omni ſtudio debemus, vt tuti ſint milites ab hoſtium impetu & incurſionibus, qui ſæpe caſtra adoriuntur, vt capiant, atque diripiant, ſi poſſunt, vt hic accidit. Nam quum Galba a Cæſare præpoſitus relictus quiete in caſtris ſederet, de belloque nihil timendum exiſtimabat. Hoſtes autem ex improuiſo omnibus partibus ſigno dato, decurrere, lapides, geſſaque in vallum conijcere. Romani autem integris viribus fortiter repugnare, neque vllum telum fruſtra ex ſuperiori loco mittere, & quæque pars caſtrorum nudata defenſoribus premi videbatur, eo currere, & auxilium ferre. Quum iam amplius horis ſex continue pugnaretur, & non ſolum vires, ſed etiam tela deficerent, hoſteſque acres inſtarent, languidioribus Romanis vallum ſcindere, foſſaſque quum complere cœpiſſent, fortunaque ad extremum caſum delata eſſet, P. Sextius Bibaculus primipili Centurio, & G. Voluſenus tribunus militum, vir magni conſilij & virtutis ad Galbam accurrunt, ac vnam ſalutis ſpem eſſe, docent, non quidem fugere, aut deditionem facere, vt imbelles Duces, ſi eruptione facta extremum auxilium experirentur. Itaque conuocatis Centurionibus, milites celeriter certiores facti, prælium paulisper refecti, intermitterent, ac tantummodo tela miſſa interciperent, atque vt ſtrenui milites omnem ſalutis ſpem in armis ponerent. Iccirco eruptione facta ex caſtris, ita eos, commutata fortuna, qui in ſpem potiundorum caſtrorum venerant, vndique circumuentos interficiunt. Quocirca omnibus hoſtium copijs fuſis, armiſque exutis, ſe in caſtra recipiunt. Itaque miles de victoria nunquam deſperare debet, ſed extremam fortunam tentare ſemper conetur, quia ad vtranque aleam modo ſecundo ſtatu, modo aduerſo ſpectare ſolet. Tu autem quo ſe flectere velit, omnino expecta. Cæſar autem quum Pompei caſtra ſibi propinqua eſſe, cerneret, ex loci natura conſilium capit. Nam circa Pompei caſtra erant multi editi colles, & aſperi, ibi caſtella communiuit, inde vt loci, cuius natura ferebat, ex caſtello in caſtellum perducta munitione, Pompeium circumuallare inſtituit, hoc expectando, quod rei frumentariæ anguſtia vtebatur, quodque Pompeius equitum multitudine valebat, quo minore periculo vndique frumentum, commeatumque exercitui ſuppeditari poſſet, vt ſimul pabulatione vti Pompeium prohiberet, eiuſque equitatum ad rem gerendam minus vtilem redderet. Poſtremo vt autoritate, qua ille apud cæteras nationes niti videbatur, minueret, quum fama per orbem terrarum percrebuiſſet, illum a Cæſare obſideri, neque auderet prælio dimicare. Quocirca relinquebatur, vt extremam belli rationem ſequens, quam plurimos colles occuparet, & quam plurimas regiones præſidijs teneret. Cæſaris autem copias quammaxime poſſet, diſtineret, quod euenit. Caſtellis enim xxiiii. effectis, xv. milia paſſuum circuitu amplexus, hoc ſpatio populabatur, multaque erant intra eum locum manufacta. Quibus interim iumenta paſcerentur, atque vt Cæſariani perpetuas munitiones videbant perductas ex caſtellis in caſtella proxima, ne quo loco Pompeiani irrumperent, & Cæſarianos poſt tergum adorirentur, omnino timebant. Ita illi in minore ſpatio perpetuas munitiones efficiebant, ne quo loco Cæſariani intrare, atque ipſos a tergo poſſent adoriri. In occupandis vero præſidijs magna vi vterque vtebatur. Cæſar vt quam anguſtiſſime contineret. Pompeius vero, vt plurimos colles quam maxime circuitu occuparet, ob eamque cauſam crebro prælia gerebantur. Pompeio periculum imminebat, ne obſideretur, Cæſari multitudine militum ad ea loca cuſtodienda, quia parua manus ita diſperſa non erat difficile profligari, loci natura propter equitum incurſiones adiuuabatur. Sed tantum Ducem belli decipere, Pompeio perdifficile videbatur. Quippe qui alias aduerſus Pompeium & Afranium ſilentio copias caſtris educere volentes, certior a nonnullis de hac re factus, hac prudentia vſus fuit. Signum dari iubet, vaſa (more militari) conclamari. Hoſtes autem, exaudito clamore, veriti, ne noctu impediti, ſub onere confligere cogerentur, aut ne a Cæſaris equitatu in anguſtijs tenerentur, copias in caſtris continuere. Si autem Imperator ſatis in Caſtris fiduciæ in præſentibus copijs minime haberet, hoc Titi Quintij Conſulis imitari poterit, qui quum Volſci eius caſtra aggreſſuri forent, cohortem tutam ad caſtrorum cuſtodiam in ſtatione detinuit, reliquum vero exercitum ad quieſcendum dimiſit, ac Æneatoribus præcepit, vt vallum equis inſidentes circuirent, atque cauerent. Qua quidem facie ac ſimulatione quum & propulſaſſet, & per totam noctem hoſtes detinuiſſet, quum illuxiſſet, Vigilia feſſos, facta eruptione, facile ſuperauit. Iudem chares Athenienſis, quum in caſtris paruam manum haberet, auxiliaque expectaret, verebatur, ne interea hac parua manu contemptus, eius hoſtes caſtra oppugnarent, hoc excogitauit. Nam complures ex eis, quos habebat, per aduerſam partem nocte miſſos, iuſsit, qua præcipue hoſtibus conſpicui forent, in caſtra redire, & accedentium nouarum virium ſpeciem præbere. Itaque ſimulatis auxilijs tutatus eſt, donec expectati venirent. Id quoque Iphycrans Athenienſis haud inutile eſſe videtur, qui quum campeſtribus locis caſtra haberet, & ex collibus Thraces exploraſ-

ſet, per quos quidem vnus erat deſcenſus, nocte ad diripienda caſtra venturos, clam exercitum duxit, & in vtroque viæ latere, per quod Thraces tranſituri erant, diſtributum collocauit, hoſtemque in caſtra decurrentem, in quibus multi ignes per paucorum curam inſtituti. Ibi ſpeciem multitudinis manentis ſeruabat, quos denique a lateribus adortus, oppreſsit. Hoc quoque modo ſi hoſtis in caſtris fame laborauerit, decipi poteſt. Nam Tyberius Gracchus in Hiſpania certior factus, hoſtem inopia laborare, caſtra omnibus rebus ad victum inſtructa parauit, poſtea deſeruit, quæ hoſtem adeptum, & ſine aliqua temperantia repletum, grauemque, copijs reductis, ſine negotio oppreſsit. Hoc ipſo Cyrus Rex Perſarum in Thomiris Sytharum Reginæ filium vſus fuit, qui ſub acta Aſia, & vniuerſo Oriente in ſuam poteſtatem redacto, Scythis bellum inferre ſtatuit. Quorum Regina eo tempore Thomiris erat, quæ haud hoſtium aduentu territa, quum eos prohibere poſſet Araxis fluminis vado, tranſire permiſit, ſibique feliciorem pugnam inter Regni ſui terminos rata, hoſtibuſque fluminis obiectu, fugam difficiliorem. Itaque Cyrus Rex cum copijs amnem traiecit, cunque aliquantiſper in Scythiam proceſsiſſet, caſtra locauit. Poſtera autem die cum ſimulato metu, & quaſi refugiens caſtra deſeruiſſet, vini copia, & ea, quæ epulis erant neceſſaria reliquit. Quod quum Reginæ nunciatum eſſet, filium adoleſcentulum ad eum inſequendum cum tertia parte copiarum miſit. Quumque ad Cyri caſtra peruentum eſſet, ignarus rei militaris adoleſcens, veluti ad epulas, non ad prælium veniſſet, omiſsis hoſtibus, Barbaros vino inſuetos onerare patitur. Scythæ enim facilius ebrietate, quam prælio vincuntur. Quibus cognitis Cyrus, nocte reuerſus, ſecuros oppreſsit, & omneis cum filio Reginæ interfecit. A qua poſtea cum vniuerſo exercitu cæſus fuit, par pari reddidit. Atqui clam relinquendorum caſtrorum hæc Darei ratio fuit, qui quum parum proſpere bellum cum Scythis gereret, cupiens fugere, & caſtra deſerere, hoc vſus fuit. Qui quidem nocte in caſtris viros languore confectos reliquit, & eos quidem, quorum amiſsio minimi facienda erat, & omneis Aſinos alligatos, vt vocem ederent, infirmos autem homines hoc titulo, vt ipſe cum flore copiarum, & militum delectu hoſtem adoriretur, vel fugeret. Interea ij caſtra tutarentur. Deinde accenſis ignibus (vt fit) quam celerrime ad Iſtrum contendit. Aſini autem quod multitudine deſtituti eſſent, eo magis rudere. Quos audientes Scythæ, credere omnino Perſas ſuis caſtris permanere. Verum vbi illuxit, ij, qui relicti erant, cognito ſe proditos eſſe a Rege manus ſe oſtendere ad hoſtes, & quæ contingerant, referre, quibus Scythæ auditis Perſas inſequuntur.

FINIS QVINTI LIBRI.

AD EMANVELEM PHILIBERTVM SERENISSIMVM ET INVICTISSIMVM SABAVDIAE DVCEM ETC.

DOMINICI CYLLENII, GRAECI DE DISCIPLINA MILITARI. LIBER SEXTVS.

De hoſtium deſperatione. Cap. I.

IAM ſæpe naturæ ratione exigere, quæ eſt quædam lex diuina, & humana, exploratum habemus, O. P. cuiquam haud licere ſui commodi cauſa, alterum incommodo efficere. Hoc enim ſanctiſſimæ leges ſpectare ac velle videntur. Nam qui ſecundum naturam viuere voluerit, nunquam id aget, vt alienum appetat, vtque id, quod alteri detraxerit, ſibi aſſumere videatur. Siquidem magis eſt ſecundum naturam pro omnibus gentibus (ſi effici poſsit) conſeruandis, ac tuuandis, maximos labores, moleſtiaſque ſuſcipere, Herculem illum (vt eſt apud Ciceronem) imitantes, quem hominum fama, beneficiorum memor, in cœleſtium concilio collocauit. Quo quidem fit, hominem naturæ obtemperantem homini haud nocere poſſe. Deinde qui alium violare molitur, vt ipſe aliquid commodi conſequatur, vt nihil contra naturam ſe facere exiſtimat, aut magis mortem fugiendam eſſe, cenſet, ac cætera mala, quam cuiquam iniuriam inferre, & ſuum cuique incommodum potius ferendum eſſe, quam de alterius commodis ſubtrahendum. Quocirca non magis eſt contra ipſam naturam morbus, aut egeſtas, aut quid eiuſmodi, quam detractio, & appetitio alieni, maxime, quum id extorqueri videatur, & magna ſibi cupiditas & appetitio rerum alienarum inceſsit. In quod quidem vitium M. Regulum Conſ. incidiſſe video, qui neque naturæ rationem habuit, nec ſibi, nec ſuis recte conſuluit. Atqui miſera ambitione inuolutus, quadamque mentis caligine obſitus, atque odij tenebris obductus, poſt multas victorias terra marique Carthaginenſes grauiter oppreſſos cerneret, ac non multo interiecto tempore Vrbem in eius poteſtatem venturam ſperaret, tamen veritus, ne nouus Conſul, qui propediem in Africam profecturus crederetur, reſque a ſe egregie geſtas ſibi tandem aſcriberet, de fœdere cum Carthaginenſibus agere cœpit, qui eam rem læto animo accepere. Quam ob rem legati, principes ciuitatis ad conſulem mittuntur, qui cum eo de pace agant, ii quum ad eum perueniſſent, tantum abſuit, ne fœdus cum Romanis iniſſent, vt ne audire quidem reſponſum Conſulis æquo animo potuerint. Nam M. Attilius omnium fere rerum potitus, quicquid Carthaginenſibus offerret, id loco beneficij ac muneris accepturos eſſe. Carthaginenſibus vero retrorſum videbatur, nihil ſibi etiam ad extremum victis a conſule grauius, nihil acerbius reſponderi potuiſſe. Quocirca legati non ſolum, re infecta, diſcordes diſceſſerunt, verum etiam Conſulis reſponſum, vt nimis graue, ſuperbumque mirum immodum deteſtati ſunt. Sed quum ea ad Senatũ retuliſſent, & ſi Carthaginenſes rebus ſuis iampridem prorſus deſperauerant, tamen tantam auditis conſulis petitionibus indignationem ſimul, atque audaciam animo conceperunt, vt potius extrema omnia ſubire, mortemque ipſam prius experiri decreuerunt, quam aliquid, aut nomini ſuo ignominioſum, aut rebus a ſe antea præclare geſtis indignum perpeti, & recte quidem, quia pro libertate omnia extrema ſubeunda eſſe videntur. Sed videamus quem exitum Conſulis ſuperbia habuerit. Nam ea tempeſtate quidam Carthaginem redierant ex ijs, qui principio ad conducendos milites mercenarios in Græciam miſsi fuerant, Xantippumque Lacedæmonium, virum militiæ peritiſsimum Carthaginem conduxere. Quippe qui audito Carthaginenſium conflictu, & quemadmodum, quoue loco, aut tempore accidiſſet cognito, ad amicos conuerſus, minime (inquit) hanc a Romanis cladem Carthaginenſes accepiſſent, niſi ſuorum Ducum imperitia rei militaris eueniſſet. Ea voce ſtatim per vniuerſam vrbem ac principes ſparſa,

ipſi vocare virum, ac eius ſententiam experiri decreuerunt. Quum igitur Xantippus ad eos veniſſet, dictorum rationem ante eorum oculos aperte poſuit, cladis cauſam oſtendit, ſi ſibi audire vellent, vt relictis montibus, deinceps per loca equa craſſari, illicque caſtra locare, ac acies ſtruere, ſe eos docturum. Quo pacto & res eorum in tuto eſſe, & hoſtes facile ſuperari poſsint. Hiſce Xantippi verbis Pœnorum Duces permoti, confeſtim totius rei bellicæ ſummam ſibi decernunt. Erat iam ob hanc Xantippi vocem per omnem exercitum coortus rumor, & quidem in omnium ore, ſpe, atque lætitia plenus ſermo. At Xantippus copias eduxit, eaſque optime diſpoſuit, ſed tanta inter ipſum, atque Carthaginenſes ſuperiores Duces differentia apparuit, vt mox omnis multitudo clamore indicauerit, nihil ſe magis, quam prælium cupere. Adeo quidem ſe nihil mali, Duce Xantippo, pati poſſe exiſtimabant. Erat enim in Carthaginenſium exercitu pluſquam duodecim milia peditum, equitum quatuor milia, Elephanti prope centum. M. Regulus Conſul cognito hoſtium aduentu, quanquam Carthaginenſes iter per loca æqua, & caſtra in planicie poſita præter conſuetudinem tenebant, tamen dimicandi cupidus, hoſtibus obuiam proceſsit, ſuaque caſtra non amplius mille ducentorum paſſuum interuallo longe ab hoſtium caſtris collocauit. Poſtridie vero eius diei pœnorum Duces, quid agendum eſſet inter ſe conſulebant. Sed omnis multitudo in Xantippum conuerſa nomine eum appellare, ſeſe ad maxima quęque pericula ineunda promptam paratamque oſtendere, vt in prælium quam celerrime copias educeret, hortari. Xantippus autem accepta a Pęnorum Ducibus poteſtate, pugnandi copiam hoſtibus liberam facit. Ordo aciei Xantippi quam hoc modo inſtruxit. Elephantos ſingulos quoſque per ordinem ante omnem exercitum in fronte diſpoſuit. Poſt hos aliquo interuallo pœnorum legionem collocat. Dextro ac leuo cornu mercenarium militem diſtribuit. Expeditiſſimum quemquem militem inter alas equitum ab vtroque cornu pugnare iubet. Romani vero paratos iam inſtructoſque ad pugnam hoſtes conſpicati, nullam prelio moram Conſul fecit. Aduerſus Elephantos expeditiſsimum quemque ex toto exercitu delectum militem oppoſuit. Poſt hos multiplici ſubſidio aciem firmat, equitatum in vtroque cornu diſtribuit, ſigna militaria non in fronte, ſed intra aciem continuit. Fit tota acies in fronte anguſtior, ac multiplici ſubſidio firmatur, ne perrumpi medium agmen ab Elephantis poſſet. Verum vt ad violentiam Elephantorum optime id a Romanis prouiſum, ſed ad circuitionis periculum inutiliter, quia quum longe multitudine equorum Carthaginenſes præſtarent, ipſa aciei coarctatio hoſtibus facile circumueniendi facultatem præbitura erat, quod in exercitu maximum diſcrimen eſſe videtur. Itaque inſtructis vtrinque aciebus, vterque prælij initium ab altero expectabat, quod Xantippus fecit. Nam belluas in hoſtes concitari, equitatumque ab vtroque cornu infeſtiſsime ruere. Romani quoque (more patrio) tubas canere, & in conſertiſsimos hoſtes acerrime concurrere iubent. Sed Romani equites multitudine hoſtilium equitum perterriti, confeſtim ab vtroque cornu fugam arripiunt. Pedites autem in leuo cornu politi, declinato belluarum impetu, & ſimul milite mercenario contempto, in dextro Carthaginenſium cornu infeſtiſsime ruunt, conuerſoſque in fugam vſque in caſtra perſequuntur. Ii, qui iuxta Elephantos conſtiterant, fœda belluarum ſtrage cateruatim conculcantur. Anceps aliquandiu ob reſiſtentium fortitudinem prælium fuit. Sed poſteaquam extremæ Romanorum legiones ab equitibus vndique circumuentę, coactæ ſunt pœnis reſiſtere. Si vero, quos in media acie belluis oppoſitos diximus impetu ferarum in firmiſſimam hoſtium cateruam acti, fuſi ab illis, oppreſſique fuere. Tunc omni ex parte laborantes Romani, partim fœda immanium pecudum ſtrage conculcati, atque oppreſsi fuere, alij eodem in loco, quo initio conſtituti fuerant, ab equitibus occiſi. Pauci ad extremum nullam amplius rebus ſuis ſpem relictam cernentes pedum celeritate ſalutem quæſiuere. Sed ij quoque, quoniam in his locis vbique Planicies erat, alij ab Elephantis, equitibuſque profligati, alij numero quingenti cum Imperatore fugientes, mox in hoſtium poteſtatem venere. In Pœnorum exercitu octingenti mercenarij milites, qui aduerſus leuum Romanorum cornu conſtiterant, interfecti ſunt. Ex Romanis vero duntaxat duo milia, quos perſecutos ad caſtra hoſtes (vt pauloante diximus) ſalui cum militaribus ſignis & armis euaſere. Reliqui omnes trucidati, præter Conſulem ac alios paucos, qui vna ſecum fugere. Pœni autem ſpoliatis hoſtium cadaueribus cum Conſule captiuo ac cæteris in Vrbem læti, & ouantes victores redeunt. Sic ſuperbo Conſuli merito euenit, qui tam ſuperbe, arroganterque Carthaginenſium legatis reſpondit, vt dictum eſt, qui omneis pacis conditiones contempſit, nunc eorum catenis vinctus in eam ducitur Vrbem, quam cum honore ſubiectam habere poterat, aut ſaltem tributariam. Placuit enim rem paulo altius diſſerere contra eos, qui inſidijs Xantippi captum (aiunt) M. Regulum. Si enim collatis ſignis pugnatum eſt, quo modo inſidijs capi poterat? Erant enim vtrinque acies ad ineundum prælium inſtructæ, ſignum Ducis expectantes. Non ergo inſidijs, ſed virtute Xantippi & ſua ſuperbia, & male inſtructa exercitus fronte, victus, & captus fuit. Sed hoc verum omnino eſſe videtur, quod virtuti inuidia vnquam defuit. Quod enim pro captiuis commutandis legatus Romam, data fide redeundi, profectus eſt, Quum ante diſceſſum quod eſſet facturus optime nouiſſet, qui patribus non commutandis perſuaſit, & ad ſupplicium reuerti voluit. Satius enim ſibi fuiſſe arbitror, haud hoc legationis munus obiiſſe, quam tam turpe mortis genus ſubire. Maluit enim

infamia in Vrbe tam turpiter mori, quam in ſua honeſte viuere & mori. Quod ſuperbiæ magis ac imbecillitati tribuendum eſſe arbitror, quam virtuti. Nam qui ſuæ vitæ certam rationem, & finem imponere neſcit, ab aliĳs quandoque audacia coercetur, finiſque ſtatuitur, vt huic M. Regulo. Qui hoſtes æquis conditionibus ſuſcipere noluit, quod erat, & prudentis, & humani Ducis. periculoſum eſt enim homines in deſperationem deducere, quia idem eſſe videtur perinde: ac ſiquis vtranque fortunam vellet experiri, vt hic M. Regulus, qui ſecundis rebus elatus, legatos vix audire voluit. Sed melius Luctatius, qui victor conditionem fœderis nequaquam eſt aſpernatus, quod fuit magnanimi Ducis. Conſcius enim fuit difficultatum, quibus populus Romanus ex diuturno bello premebatur. Nam pacem iuſtis conditionibus nemini negandam eſſe arbitror, cuius quidem cauſa bella geri ſolent. Quare ſi ſine bello ea parari poteſt, quid tot hominum cędes, Vrbium direptiones, labores, pericula, ac cætera mala quærantur? Quod non niſi dementis Ducis eſſe puto. pulchrum eſt enim beatiſsimo pacis ſtatu cum ſuis frui. Idem Ætolis ex ſuperbo reſponſo ad legatos Romanos merito euenit, quod huiuſmodi fuit. Nam Acharnanes diffiſi Epirotarum viribus aduerſus Ætolos, Romanorum auxilium implorantes, a ſenatu obtinuerunt, vt legati Ætolis mitterentur, qui eis denunciarent, vt pręſidia ab Vrbibus Acharnaniæ deducerent, liberoſque eſſe paterentur. Sed Ætoli legationem Romanorum valde ſuperbe audiere. Pœnos illis, Galloſque, a quibus tot bellis vexati, toties occiſi, & profligati ſunt, exprobantes, dicenteſque prius illis portas aduerſus pœnos aperiendas, quas punici belli metu clauſerint, quam in Græciam arma transferenda. Deinde meminiſſe iubent, quibus minentur, aduerſus Gallos Vrbem ſuam tueri non potuiſſe, captamque non ferro defendiſſe, ſed auro redemiſſe. Quam gentem aliquanto maiore manu Græciam ingreſſam, non ſolum externis viribus, ſed ne domeſticis quidem tectis adiutos vniuerſam deleuiſſe, ſedemque eorum ſepulchris præbuiſſe, quam illi viribus Imperioque ſuo præpoſuerant, contra Italiam trepidis ex recenti Vrbis ſuę incendio Romanis ferme vniuerſam a Gallis occupatam. Igitur prius illis Gallos Italia pellendos, quam Ætolis minentur, priuſque ſua defendenda, quam aliena defendi appetenda. Quos autem homines Romanos eſſe, nempe paſtores, qui latrocinio iuſtis dominis ademptum ſolum teneant. Qui denique Vrbem ſuam parricidio condiderint, murorumque fundamenta fraterno ſanguine aſperſerint. Qui quidem Vxores, quum propter originis dehoneſtamenta, nec inuenirent, vi publica rapuerint. Ætolos autem Græciæ principes ſemper fuiſſe, & ſicut dignitate, ita & virtute cęteris pręſtitiſſe. Solos denique eſſe, qui Macedonas Imperio Terrarum Florentes ſemper contempſerint, qui Philippum Regem non timuerint, Qui Alexandri Magni poſt Perſas indoſque deuictos, quum omnes nomine eius horrerent, edicta ſpreuerint. Monere igitur ſe Romanos pręſenti fortuna contenti ſint, nec arma prouocent, quibus & Gallos Cęſſos, & Macedonas contemptos viderint. Hoc ſuperbo reſponſo dimiſſa Romanorum legatione, reſponſum quoque ſe daturos ſuper Tyberim armatos eſſe, dicebant, ne fortius locuti, quam feciſſe viderentur, fines Epiri Regni, & Acharnanię depopulantur, Quod quidem poſtea ſibi plurimum obfuit. Quo etiam reſponſi genere Mythridates in Romanos legatos vſus fuit. Quippe qui tales Reges habuere, quorum etiam nominibus erubeſcant, aut paſtores ab originum, aut Aruſpices Sabinorum, aut exules Corynthiorum, aut ſeruuos Vernaſque Hetruſcorum, aut quod honoratiſsimum nomen fuit, inter hos ſuperbos, atque (vt ipſi aiunt) conditores ſuos Lupæ Vberibus altos, ſic omnem illum populum luporum animos habere inexplebiles ſanguinis & Imperĳ, diuitiarumque auidos, conuenarumque colluuiem eſſe ait, ſuumque ortum paternum a Cyro Rege Perſarum, maternum autem ab Alexandro Magno, & huiuſmodi probris Romanos, vt Ætoli, affecit. Sæpe victos eſſe ait, ac Pyrrhum Regem eos, quinque milibus Macedonum ſuperaſſe. Ipſe quoque pœnam luit, qui ſæpe profligatus, amiſſo Regno, filio eius dato, tandem (vt eſt deſperati hominis) veneno mortem ſibi conſciuit. Igitur ſuperbia abſit a principe, adſit benignitas & comitas in omneis, maxime in legatos, qui nullo modo, iure gentium, violari debent. Sunt enim ſemper benigne ſuſcipiendi, & plerunque muneribus cumulandi.

De honeſta petitione non neganda. *Cap. II.*

SIQVIDEM iam declaratum fuit, nulli bellum eſſe inferendum, niſi prius re repetita, quæ ſi iuſta fuerit ipſius repetitio, omnino non videbitur neganda, ſin autem ſecus, ferro decernendum erit, adeo quidē quod facile ex parua ſcyntilla (vt aiebat Alexander) magnum incendium oriri, vti Antigono Regi Macedonum euenit. Nam quum Pyrrhus Rex nauali prælio victus fuiſſet a pœnis, ab ipſo Antigono per legatos militum ſupplementum petit, ſibique ſignificat, niſi mittat, ſe in Regnum redire, ac rerum incrementa, quæ de Romanis voluerit, de ipſo quæſiturum. Quod vbi negatum legati retulerunt, diſsimulatis cauſis repentinam profectionem fingit, omnibus paratis ac inſtructis, in Regnum reuerſus, ſtatim Macedoniæ fines inuadit,

cui Antigonus cum copijs occurrit, prælio victus, fuga ſalutem quæſiuit. Itaque Pyrrhus Macedoniam in deditionem accepit, & veluti damna amiſſæ Siciliæ & Italiæ, acquiſito Macedoniæ Regno p. ſaſſet. Itaque Antigonus quia iuſtam rem petitam negauit, Regnum amiſit. Hoc quidem multis euenire ſolet, & plerunque hoc principes morbo laborant. Hinc omnia fere bella exoriri videntur. Difficile enim res quoquo modo poſsidentur, redduntur. Quod hominibus natura inſitum eſt, maxime principibus, qui omnia iura armis vendicare volunt, & non niſi victi hoc efficiunt.

De pace an aliqua ratione ſit uiolanda. Cap. III.

ANIMO fortaſſe quiſpiam hærebit, an aliqua ratione pacis ſanctiſsimum numen violari debeat. Qua de re mihi Romani ſenatus verba in Priuernates in mentem veniunt, vllum populum, aut hominem denique in ea conditione, cuius eum pœniteat, diutius, quam neceſſe ſit, manſurum, ibi pacem eſſe fidam, vbi voluntarij pacati ſunt. Neque eo loco, vbi ſeruitutem eſſe velint, fidem ſperandam eſſe. Igitur Ro. Conſules cum exercitu ſub iugum a claudio pontio Samnitium Imperatore miſsi, cum eo fœdus inierunt. Cuius poſtea eos pœnituerat, & ex tali ignominia ira accenſi, bellum, vt vlciſcerentur, deſiderabant, & pacem irritam facere, quod omnino iniquum erat. Nam ſi rei male geſtæ pœnitentia locum haberet, nihil ſancti, nihil æqui, nihil denique diuini ac humani coleretur, diuinumque fidei numen paſsim violaretur. Omnia quoque principum, atque Regum iura, necnon magiſtratuum decreta delerentur, niſi quid paci obſtiterit, & coacta fuerit. De libera loquor, & libero loco confecta. Secus enim irrita fieri poterit. Quam ob rem Poſthumius Conſul de ea Caudina pace hæc verba facit ad patres, C. eodem quidem vultu, quo ſub iugum miſſus erat. Non ſum ignarus (inquit) ignominiæ, non honoris cauſa me primum excitatum, iuſſumque dicere, non tanquam ſenatorem, ſed reum, tum infelicis belli, quam ignominioſæ pacis, ac multa alia dixit (vt ſunt apud Liuium) maxime eſſe irritam pacem factam cum Samnitibus iniuſſu ſenatus. Populique Ro. bellumque in Samnites eſſe gerendum ait. Denique traditi fœcialibus cum cæteris caudium deducendi. Romani autem Poſthumium laudibus ad cœlum ferebant, ipſumque cruciatibus & hoſtium iræ offerre, piacula pro populo dare, arma cuncti expectant, bellumque, progreſsi fœciales, vbi ad portam venere, veſtem detrahi pacis ſponſoribus iubent, manuſque poſt tergum vinciri, tum vbi in cœtum Samnitium, & ad Pontij Tribunal ventum eſt, A. Corn. Aruina ita verba facit. Quandoquidem ij homines Romani Po. iniuſſu atque quiritium fœdus ictum iri ſpoponderunt, atque ob eam rem noxam nocuerunt (ob quam) quo populus Romanus impio ſcelere ſit ſolutus; hos homines vobis dedo. Hæc dicente fœciali, poſthumius genu femur quanta vi maxime potuit perculit, & clara voce ait, ſe Samnitem ciuem eſſe; illum legatum fœcialem a ſe contra ius gentium violatum, eo iuſtius bellum geſturos. Hac fraude ex ira vſi ſunt. Subſequitur prudens Samnitium Ducis reſponſum. Nec ego iſtam deditionem accipiam, nec Samnites gratam habebunt, quin tu Sp. poſthumi, ſi Deos eſſe cenſes, aut omnia irrita facis, aut pacto ſtas. Samniti populo omnes, quos in poteſtate habuit, aut pro ijs pax debetur. Sed quid ego te appello? Qui te captum victori, cum qua potes fide reſtituis? Populum Romanum appello. Quem ſi ſponſionis ad Caudinas furcas factorum pœniteat, legiones intra ſaltum reſtituat, quo ſepti fuerunt. Quemque nemo deceperit, omnia pro infecto habeantur. Arma quoque recipiam, quæ pacto tradiderunt, ſua in caſtra redeant, quicquid pridie habuerunt, quam in colloquium ventum eſt, habeant, tum bellum & fortia conſilia placeant, tum ſponſio & pax repudietur, ea fortuna, ijs locis, quam ante pacis mentionem habuimus, bellum geramus, nec populus Romanus Conſulum Sponſionem, nec nos fidem populi Romani accuſemus. Nunquam ne quidem cauſa deficiet, quum victi pacto non ſtetis? Porſenæ Hetruriæ Regi obſides dediſtis, & eos furto ſubduxiſtis, auro ciuitatem a Gallis redemiſtis, inter accipiendum aurum cæſi ſunt, pacem nobiſcum pepegiſtis, vt legiones vobis captas reſtitueremus, eam pacem irritam facitis, & ſemper aliquam fraudi ſpeciem iuris imponitis. Non probat populus Romanus ignominioſa pace ſeruatas legiones. Pacem ſibi habeat. Victori enim captas legiones reſtituat. Hoc fide, hoc fœderibus, hoc fœcialibus cerimonijs dignum, vt quidem tu, quod per pactionem petiſti, tot ciues incolumes habeas, ego pacem, quam tibi hoſti remittendo pactus ſum, haud hoc habeamus? Tu A. Corneli, hoc vos fœciales iuris gentibus dicitis. Ego iſtos, quos dedi, ſimulatos, nec accipio, nec dedi, arbitror, nec moror, quominus in ciuitatem obligatam Sponſione commiſſa, iratis omnibus Dijs, quorum numen eluditur, redeant, bellumque geratur, quando Sp. poſthumius modo legatum fœcialem genu perculit, ita Dij credent poſthumium ciuem Samnitem, non autem ciuem Romanum eſſe, & a Samnite Romanum legatum violatum, eo vobis iuſtum in nos factum eſſe bellum. Hæc religionis ludibria non pudore in lucem proferre? Et vix pueris dignas ambages Senes ac Conſulares fallendæ fidei cauſa exquirere? I lictor deme Roma-

nis

nis vincula, nemo moratus ſit, quo minus vbi viſum fuerit, abeant. Et illi quidem forſitan & publica ſua liberata fide ab caudio Romana in caſtra inuiolati redierunt Samnitibus pro ſuperba pace infeſtiſsimum cernentibus renatum bellum, omnia, quæ deinde venerunt, non in animis ſolum, ſed oculis proprium eſſe, & ſero ac nequicquam laudare Senis Pontij vtraque conſilia, inter quæ ſe media lapſos victoriæ poſſeſsionem incerta pace mutaſſe, beneficijque ac maleficij occaſione amiſſa, cum eis pugnaturos, quos potuerint in perpetuum vel inimicos tollere, vel amicos facere, adeoque nullo dum certamine inclinatis viribus poſt Caudinam pacem animi mutauerant, vt clariorem inter Romanos deditio poſthumium, quam Pontium incruenta victoria inter Samnites faceret, & bellum geri poſſe, Romani pro certa victoria haberent, Samnites ſimul rebellaſſe, & viciſſe crederent Romanos. Ita Pontius de violata Romanorum fide conquerebatur. Verum enimuero pacem nullo modo violandam eſſe arbitror, hanc maxime inter Romanos & Samnites, quia iure belli captiui, & in hoſtium poteſtate erant, & vita donati, hoc pacis vinculo, relictis armis, more militari liberi abierunt. Quo quidem beneficio pace ſtare debebant, cuius ſi eos pœnituerit, & beneficij pœnitere debebat, & vt pontius attulit intra ſaltum redire. Sed quia pudore moti, ac ignominia, pacem irritam, quadam fraude, facere nitebantur. Hanc enim ignominiam & dedecus ante ipſam pacem animis complecti debebant, & potius mortem ſubire, quam tantam ignominiam pati. Nec vlla Conſulis excuſatio eſſe poteſt, qui loca more militari explorare debebat, antequam ſaltum ingrederetur. In hoc enim Pontius plurimum errauit, quia parentis præceptis non obtemperauit, aut omneis interficere, quod erat perpetui belli cauſa, aut liberos inuiolatoſque dimittere, quod maiorem laudem merebatur, & perpetuæ amicitiæ omnino cauſa fuiſſet, quia Romani hoc beneficio deuincti ac humanitate, ſummo amore ac beneuolentia perpetuaque amicitia Samnites proſecuti fuiſſent. Sed puto eos hiſce ſecundis rebus ita elatos eſſe, vt cætera paruiſacerent. Vnde multa bella, & hominum cædes, & Imperij amiſsio conſecuta ſunt, quia minus caute ab eis res geſta fuit. Nam Imperatoris animus magis ad humanitatem & gratiam flecti debet, quam crudelitatem & ſuperbiam, vt victoria contentus, omnibus indulgeat, quod eſt magnanimi principis res magnas & arduas gerere, & humanas contemnere. Quod ſi Samnis Imperator excoluiſſet, res Samnitium diutius ſtetiſſet, nec amiſſa fuiſſet.

De æquitate in hoſtes ſeruanda. Cap. IIII.

SIQVIDEM æquitatem haud minorem foris laudem ac domi mereri omnium mortalium oculis ſatis conſtare video, maxime ſi eo in loco culta fuerit, vbi maius rerum diſcrimen imminere videtur, vt hoc loco cumulate cognoſci poteſt. Acre enim bellum Athenienſibus aduerſus Lacedæmonios gerentibus conſilium ad eorum claſſem incendendam a Themiſtocle oblatum fuit. Quod quidem ſi fortuna ad effectum perduci pateretur, nihil maius, aut potentius Athenienſibus futurum, ſed id vulgari non oportere, poſtulauitque, vt aliquis ſibi, cui id tacite exponeret, ſibi a ſenatu datus eſt Ariſtides, vir eo tempore omnium facile iuſtiſsimus. Is vbi cognouit, claſſem illam Lacedæmoniorum, quæ tota apud citheum ſubducta erat, vellet incendere, vt ea conſumpta, maris poteſtas illis cederet. Ad ciues proceſsit, ac retulit, Themiſtoclem, vt vtile conſilium, ita minime iuſtum animo voluere, e veſtigio vniuerſa concio, quod æquum non videretur, nec quidem expedire proclamauit, ac protinus Themiſtoclem incæpto deſiſtere iuſsit. Eadem Romani in Pyrrhum Regem æquitate vſi fuere, quem veneno extinguere poterant, ſed miſsis legatis eum ſenatus monuit, vt aduerſus huius generis inſidias cautus ſe gereret, memor Vrbem a filio Martis conditam, armis bella, non veneniis gerere debere. Huc illa non Barbari animi æquitas accedit. Nam obſeſſa Neapoli a Totila Gothorum Rege, in qua erat præſidium Græcorum, ſæpe deditionem fieri rogabat, Vrbemque dedentibus, vel ſecum æquo iure cum alijs militibus manere poteſtatem facit, vel abeundi cum omnibus ſuis rebus quocunque vellent, hæc omnia iureiurando ſe ſeruaturum eſſe, pollicetur. Quo ab omnibus laudato, vt deditio æquior honeſtiorque fieret, triginta dierum inducias poſtularunt, ſi interea ſuppetiæ mitterentur. Ad hæc Rex, non triginta dierum modo, ſed ter triginta ſe daturum reſpondit. Quam æquitatem, ac humanitatem admirati obſeſsi, aperte perſpectum eſſe, nullam auxilij ſpem habere oportere dicebant. Deinde deditionem fecere. Et Rex cum exercitu quiete in Vrbem receptus eſt, neminem aliquo malo affecit, nulli moleſtus fuit, atque præter Barbarum ingenium multa in eos humanitate vſus fuit. Confectos inedia paulatim, ne deficerent, curari diligenter iuſsit, ac non ſolum Neapolitanis ciuibus, verum etiam militibus alimenta certo pondere tradi, quia in obſidione multa incommoda, maxime famem paſsi fuerant. Cononi Græcorum Duci cum ſuis militibus abire volenti nauigia præbuit. Quum illi vento contrario retenti eſſent, infra dictum diem nauigare non poſſent, liberam illis poteſtatem fecit, vt quum diutius ventus ſcæuiret, illique pedeſtri itinere abire ſtatuiſſent, equos & iumenta tribuit, atque com-

meatum, ſuoſque milites miſit, qui tuto deducerent. Hac ęquitate & humanitate in alienos Rex vtebatur, in ſuos vero tanta diſciplinæ militaris ſequitta, vt nullum crimen impune abire pateretur, raptori, violatorique pœna, mors erat, & bonorum proſcriptio, quę quidem vim paſſo tradebantur. Itaque & caſtra & ingreſſus eorum per amicas ciuitates & gentes omni ſcelere vacabant, tuta adeo erant omnia, vt nec pomum ex arbore quiſquam eorum carpere auderet. Hoc ipſo Belliſarius Dux Gręcorum in Italia vſus fuit. Qui in ducendo exercitu neminem violari, & iniuria affici patiebatur. Milites quidem ſui ne poma in arboribus pendentia contingere audebant. Itaque eius caſtra omni commeatus genere magis abundabant, quam vllum in Vrbe forum. Quod quiſque Dux ſi res pręclaras gerere cupit, omni ſtudio hęc animo excolenda ducat, vt mala militum ingenia coerceantur, militięque decus ſeruetur, quia & ipſa aliqua religione viget, ac vitę moribus adornatur. Eſt igitur equitas & iuſtitia ſummo ſtudio omnibus in rebus ſeruanda, in his maxime, vbi maius periculum imminet, vt eſt in rebus bellicis, quibus & ſalus vitę, ac cæterorum bonorum verſatur. De qua pręclare Heſiodus.

Iuſtitiæ ſacra iura domant genus omne malorum,
Illa quidem virgo eſt, ſuper Ioue nata parente,
Nomine clara ſuo, cætuque verenda Deorum.
Quam ſiquis violet, lacrymans ſua fata parentis.
It Iouis ante pedes, & lamentabile fundens,
Humanos quæritur mores, ac debita poſcit
Supplicia in populos, tu Iudex cauſa malorum,
Qui violas ſacra iura Deæ, iam dirige mentem.
Ius cole, in alterius te nulla pecunia vertat
Damna.   , paulatim corruit ille
Dijs inuiſus homo, cui mens intenta rapinis
Inuigilat, qui ius violat, ſtat pœna nocenti.

Extat illud pręclarum Cęſaris Auguſti iuſtitię in caſtris monimentum, in eo quidem bello, quo victis hoſtibus Germanici cognomen meruit, quum in finibus Galliarum caſtella poneret, pro eorum fructibus, qui erant in Vallo, precium ſolui iuſſit. Hęc iuſtitię fama omnium fidem conſtrinxit. Vbi Imperator animaduertebat, iuſtitiam non ſolum in ſuos, verum in hoſtes ſeruare, vt ſiquod damnum intulerit, vel in ciuitate, vel in agro precium ſoluere iuſſit. Quod omnes Duces ſeruare deberent. Quam ob rem M. Salinator, vir Conſularis a Paulo damnatus fuit, eo quod prędam militibus haud equaliter diſtribuerat. Quę quidem iuſtitia ſummopere in Ariſtide probatur. Qui poſt victoriam in Marathone quum cuſtodię relictus eſſet, vt captiuos, prędamque ſeruaret, quę magna erat, quicquam tangere auſus fuit. Nam quum argenti & auri vis paſſim, & omnis generis veſtimentorum & in tabernaculis innumerę pecunię, ac in nauigijs eſſent, quibus Gręci Barbaros nudauerant, nec ipſe contrectare quicquam voluit, nec vt ab alijs contingeretur, paſſus eſt, vt ipſa pręda cuique pro dignitate diſtribueretur. Hinc optimus iuſtitię cultor habitus fuit, quem omnes Duces ante mentis oculos ſemper habere deberent, diſcereque, prędam ęqua portione militibus pro dignitate diſtribuere, ſtipendiaque decernere, nec quicquam ſurripere, ſed victoria contentus, & militum fide, nil aliud autumare debet, quia hac omne Regnum & Imperium tutum reddi ſolet.

In obſidione perſiſtendum eſſe. Cap. V.

SATIS enim omnibus conſtat, melius eſſe non incipere, quam a reipſa incœpta deſiſtere, quia haud parum id dedecoris afferre videtur, vt hic Gabades Rex Perſarum, quum Amidam Meſopotamię Vrbem obſideret, qui omnibus Machinis admotis mœnia capere conabatur. Sed oppidani quibuſdam trabibus oppoſitis omnia irrita faciebant. Rex vero vbi murum inexpugnabilem eſſe ſenſit, fruſtraque ſe operam conſumere videt, ex vna tantum Vrbis parte, quę facilius expugnari poterat, tumulum quendam ſumma arte contra mœnia excitauit, eaque ſuperantem. Oppidani autem circa mœnia foſſam vſque ad eum fecerunt. Indeque clam terram extrahentes vacuum intus magna ex parte tumulum relinquerunt, externa autem forma eius propterea nihil immutata. Perſę igitur hunc multi ſecure ad verticem vſque aſcendentes, inde mœnia oppugnabant. Sed quum militum turba curſu certatim conſequeretur, tumulo protinus ruente, omnes periere. Sic Rhodij aduerſus Turcarum tumulum efficere debebant, ſi fieri poterat, ne ſaxa cuniculo intercceſsiſſent. Rex igitur tali caſu perterritus, Vrbem obſidione ſoluit, copijſque diſceſſum in poſterum diem edixit. Oppidani autem tanto metu ſoluti, procul iam a periculo, (vt eſt ſtultorum hominum) multis Perſas probris ac riſu e mœnibus inceſſe-

re, quin etiam meretrices magno dedecore ſublata veſte pudenda Regi prope aſtanti in contumeliam oſtenderunt. Quod Magi animaduertentes, Regem ad reuocandum exercitum adhortati ſunt, eo magi aſpectu moniti prædixere; vt breui Amidem arcana omnia & arma Regi eſſent patefacturi. Quam ob rem caſtris rurſus firmatis paucis poſt diebus quidam Perſa ingreſſum ad mœnia conſpexit, tantum breui tegmine opertum. Itaque noctis huc ſolus veniens tentato ingreſſu intra muros penetrauit. Vbi vero illuxit, rem omnem Regi nunciat, qui nocte inſequenti cum paucis, adhibitis ſchalis, venit. Cui quidem quædam ſecunda fortuna obtigit. Nam turrim prope Hipponomum quidam forte viri religioſi cuſtodiebant, Ii quoddam feſtum eo die celebrabant. Nocte autem ſequenti veluti feſſi, vino ſomnoque ſepulti hoſtem minime ſentire potuere. Perſæ igitur per Hipponomum intra mœnia ingreſſi, in Turrim aſcenderunt, ac dulci ſomno ſopitos offendentes, omnes interfiuunt. Quod vbi Rex nouit, ſchalas eu illigio muro prope hanc Turrim admouit; iamque illuxerat, & ciuitas ſic capta eſt, atque direpta; & multi interfecti, & ex ſua temeritate pœnam luit, quæ illa ignominia hoſtem deſcendentem ad iram prouocauit, quod ſtultorum hominum fuit. Itaque Ciuitatis princeps, vel Dux copiarum tempore belli nocte vigilare, & ipſos cuſtodes circuire, idque Homeri excolere, qui ait.

Non oportet per totam noctem dormire conſiliarium virum,
Cui populi ſunt commiſſi, & tot curæ ſunt.

Qui etiam docet, quo modo Dux dormire debet his verbis, vti quadam nocte ſuſpecta dormiebat Diomedes princeps Ætolorum. Quem ille Neſtor dormientem inuenit. Extra tentorium cum armis, circum autem ſocij. Dormiebant, ſub capitibus autem habebant ſcuta, lanceæ autem ipſis Erectæ in circulo fixæ erant.

Quare Alcibiades Athenienſis, ſua ciuitate à Lacedæmonijs obſeſſa, timens vigilum negligentiam, his, qui in ſtationibus erant, denunciauit, vt lumen obſeruarent, quod nocte oſtenſurus eſſet ex arce, & ad eius conſpectum ipſi quoque lumina attollerent, quod qui ceſſaſſet, pœnam paſſurum. Dum ſollicite Ducis ſignum expectat, ab omnibus peruigilatum, & ſuſpectæ noctis periculum euitatum eſt. Quocirca Iphicrates Dux Athenienſium militem dormientem hac pœna affecit. Nam quum præſidio Corinthum teneret, & ſub hoſtium aduentum ipſe vigilias circuiret, vigilem, quem dormientem inuenerat, cuſpide transfixit, quod factum quibuſdam tanquam ſæuum increpantibus, qualem inueni (inquit) talem reliqui. Itaque in rerum diſcrimine maxime vigilandum eſt, vt Annibal, qui quum ſub Aſdrubale Imperatore militaret, plerunque ſuper nudam humum ſagulo tectus ſomnum capiebat, nocteque ſæpe ſurgere ſolebat, caſtraque (vt decet optimum Ducem) circuire, quia in paucorum oculis omnium ſalus conſiſtit.

Quid Imperatori profligato magis præſtet, viuere, an mori. Cap. VI.

QVANTA profecto honoris, famæque ratio ſit habenda, aperte multorum clariſſima & immortalia illuſtrium virorum monimenta præ ſe ferunt. Quam quidem ſuæ ſaluti æquo animo prætulere. Cuius cauſa plerique magnos labores, magnaque pericula ſubiere. Hinc prælia geruntur, cædeſque hominum, locorumque direptiones fiunt. Satius eſt enim vitam cum honore amittere, quam ignominia viuere, Quod Paulus illa Cannenſi clade cumulate oſtendit. Qui amiſſo exercitu, offerente equum lentulo, tantæ cladi ſupereſſe noluit, ſed in eo ſaxo, cui ſe vulneratus acclinauerat, proſedit, donec ab hoſtibus oppreſſus, confoderetur. Quippe qui cum ſummo honore viuere poterat, quia non ſua culpa, ſed collegæ Terentij Varronis exercitus profligatus fuit. Maluit enim ſic mori, quam labentem patriam videre. Atqui non ſic Terentius, cui haud tanta animi magnitudo inerat, fuga ſalutem quæſiuit, qui vitam pluris, quam honorem fecit. Nec gratias illas a ſenatu ſibi redditas approbo, quod de re. p. non deſperaſſet, nec vitæ cupiditate, ſed rei. p. amore ſe ſuperfuiſſe reliquo ætatis ſuæ tempore approbaſſet, quod factum fuit. Sed hoc magnanimo ſenatui attribuo, qui aduerſis rebus nunquam frangi ſolebat. Verum vltimo ſupplicio ille afficiendus erat, non autem gratiæ ſibi agendæ. Magni enim Imperatores, quibus magnitudo animi inerat, mori maluere, quam aliquam ignominiam pati; ac miſeram ſubire ſeruitutem, vt de Annibale, & Mythridate ac alijs legimus, bene fecerint, nec ne; aliorum iudicio relinquo, quia hoc fides noſtra ac religio minime probat. Cuius optimus cultor (ſi tunc eſſet) Terentius Varro fuiſſet. Qui tamen pœnitentia adductus, poſt tantam cladem, barbam, & capillos ſubmiſit; & poſtea nunquam recumbens cibum cepit, honoreſque, quum ei deferrentur a populo Ro. renunciauit, dicens felicioribus magiſtratibus rei. p. opus eſſe. At illud Sempronij Tuditani & Octauij Tribunorum militum facinus ſummam laudem meretur, qui magis armis ſuccumbere optabant, quam ab hoſte in caſtris

obſideri. Qui omnibus fuſis ad cannas, quum in minoribus caſtris circumſederentur, commilitonibus ſuaſerunt, vt gladios ſtringerent, & per hoſtium pręſidia ſecum erumperent, id ſibi animi eſſe, etiam ſi nemini ad irrumpendum audacia fuiſſet, affirmantes de cunctantibus duodecim omnino equitibus, vel peditibus, qui comitati impetum ſuſtinuerant, incolumes camiſsium peruenere. Quare optime a ſenatu Romano decretum fuit, illi rem. p. non eſſe committendam, qui alias eam deſeruerit. Nam A. Fuluio Appio Claudio Conſule milites ex pugna Cannenſi in Sicilia ex Senatuſconſulto relegati, poſtularunt a Conſule M. Marcello, vt in prælium ducerentur. Ille autem Senatum Conſuluit. Senatus autem negauit ſibi placere hiſce rem. p. committi, quam deſeruiſſent. Et optime quidem. Quia rei. p. amore omne periculum ſubeundum eſſe arbitror, nec (quum opus eſt) saluti parcendum. Oportet enim non errare, quia in re militari pœnitentia (quam magna clades ſequitur) parum prodeſt, nec cito deleri poteſt, niſi fortaſſe aliquo egregio facinore reſarciatur, vt plerunque actum fuit. Nam vbi de ſalute patrię, & ciuium agitur, eſt magna cura adhibenda, nequid erroris committatur, quia honore amiſſo, difficile eſt in priſtinum redire.

De ratione hoſtilis fortitudinis minuendæ. Cap. VII.

QVVM homo duabus rebus maxime conſtare videatur, animo & corpore, omnemque eius vim in vtroque ſitam eſſe cernamus, alterum imperare, alterum vero ęquo iure parere. Quorum alterum cum Dijs, alterum cum belluis commune eſſe cernitur. Quocirca (teſte Saluſtio) ingenio magis, quam viribus gloriam comparamus, vt ſępe bellicis in rebus compertum eſt, conſilium magis, quam vires prodeſſe, vt eſt apud Homerum Agamenon de Neſtore loquens.

Vtinam enim Iuppiter pater, & Pallas, & Apollo,
Tales mihi decem conſultores eſſent Achiuorum,
Hoc cito caderet ciuitas Priami Regis
Manibus ſub noſtris, captamque deſtructamque.

Hinc Cicero, parua ſunt arma foris, niſi eſt conſilium domi, omnia enim bella magis conſilio, ſiue prudentia geſta ſunt, quam viribus, vt multorum exemplis conſtare poſſet. Iure enim laudatur Themiſtocles, & ſit eius nomen (vt Cicero narrat) quam Solonis illuſtrius, citeturque (inquit) Salamis, inſula illa, qua bello nauali inter Græcos & Perſas pugnatum fuit, clariſsimę teſtis victoriæ, quæ anteponatur conſilio Solonis, quo primum conſtituit Areopagitas, non minus præclarum hoc, quam illud, iudicandum eſt, quia illud ſemel profuit, hoc ſemper Athenis proderit. Hoc enim conſilio leges Athenienſium, hoc maiorum inſtituta ſeruantur. Igitur conſilium Solonis adiuuit Themiſtoclem, quia bellum illud geſtum fuit conſilio Senatus, qui a Solone conſtitutus fuit. Sed ſi Paulo altius rem indagre velimus, magis conſilio, quam viribus Themiſtocles (vt eſt apud Herodotum) hoſtem ſuperauit. Eadem de Lacedæmoniorum Ducibus dicere poſſumus. Quorum rebus geſtis, & ſi Imperium Lacedæmoniorum dilatatum exiſtimatur, tamen id magis ligurgi legibus geſtum fuiſſe arbitramur, quarum quidem cauſa, & paratiores, & fortiores copias habuere. Igitur ingenium (omnium ſententia) viribus præſtat, & eo gloria paratur. Tamen corpus exerceri debet, & ita affici, vt obedire conſilio ac rationi poſsit, in exequendis negocijs, & in labore tolerando. Quocirca magis expectenda eſſe videtur ratio decernendi, quam fortitudo decertandi. Quod omnibus rebus geſtis ab inuictis Imperatoribus ſatis perſpectum eſt. Quod ſertorius vir ſummo ingenio, militiæ peritiſsimus, hoc cumulate oſtendit. Nam quum ad ipſum multa Barbara turba trans Iberum Amnem confluxiſſet, quę feritate, ſuperbiaque cuncta turbarent, nec Ducis iuſſum expectaret, ſe ſua temeritate in hoſtes ferebantur. Primum admonitionibus, multiſque verbis eam inſtruere conatus eſt. At quum nihil proficeret in tanta gentis feritate, aduocata totius exercitus concione duos equos adduci iuſsit, alterum macie confectum, alterum fortem & nitidum, caudamque magnam habentem. Atqui vir magnus iuxta gracilem illum aſtabat. Iuxta nitidum vero vir paruus ac imbecillus. Dato autem ſigno, vir ille magnus & robuſtus, vt ei præceptum erat, cauda gracilis equi ambabus manibus capta, omnes ſetas euellere vno impetu conatus eſt. At vir paruus contra, nitidi equi caudam paulatim vellebat. Tandem vero vbi ille fruſtra ſimul totam caudam trahens, ſibi quidem moleſtias inanes, circunſtantibus autem riſum præbens, defeſſus eſt. Ille autem paruus paulatim euellendo ſetas, fortis equi caudam breui nudauit. Tunc ſertorius videte (inquit) commilitones, ingenium plus poſſe, quam vires. Multa enim quæ vno tempore ſuperari non poſſunt, paulatim ſuperantur. Omnia enim vincit ſtudioſa ſedulitas, nec eſt vlla magna potentia, quam non exuperet tempus fideli eorum auxilio, qui aptitudinem eligunt, intempeſtiue autem properantibus inimiciſsimum omnino eſſe videtur. Itaque docuit ſertorius, quomodo robuſtiſsimi hoſtis vires ingenio minui paulatim poſſunt, non vno impetu omnes ſimul euellere, vt de nitido equo dictum eſt.

De nocturno certamine. Cap. VIII.

QVVM omnium ſenſuum, oculorum poteſtas præſtantiſsima, ac nobiliſsima mortalium generi in vita data ſit, quia hæc plura rerum diſcrimina cognoſcere facit, a qua quidem ſiquis aberrauerit, nec eius medio recte vſus fuerit, facile dilabi ac in multos rerum anfractus incidere poterit. Quod nulla alia re magis, quam tenebris impeditur, quæ nocte præcipue fieri ſolent, inſidijs, ac latrocinijs fortaſſe apta, non autem virtuti, niſi quis aliquid nactus fuerit, cui nox magis, quam lux proderit, vt ſi cum multis parua manu ſit pugnaturus in inſidijs locata, vel quid eiuſmodi nactus fuerit. Sed ſi fortaſſe pugnam quis nocte imminere perſpexerit, caueat, ne luna a tergo militum luceat. quod quidem periculoſum eſt, vt in Sicilia perſpectum fuit. Nam Athenienſibus (Duce Demoſthene) cum Syraguſanis, auxiliantibus Lacedęmonijs (Duce Gylippo) nocte certantibus hoc accidit. Hoc quidem prælio forte in acie ita Athenienſes conſtiterunt, vt eis luna a tergo luceret. Itaque longos præ ſe iactantes vmbrarum tractus, armorum fulgorem, & numerum ſuorum ipſimet occultabant. At contra aduerſis Clypeorum vmbonibus lunæ radijs repercuſsi, & hoſtium maiorem videri numerum, & armorum claritatem luci diorem efficiebant. Tandem ſummo conatu irruentibus vndique hoſtibus, Athenienſes in fugam conuerſi ſunt, ac duo millia hac de cauſa cęſa. Et ſi Parthis nocte pugnare religioſum videbatur. Tamē cæteri ſe tali prælio abſtineant, quia multis de cauſis periculoſum eſſe arbitror, tum, quia miles ſomno occupatus, vires ſibi deſunt, ac inter ſeipſos milites conficiuntur, ſigna haud bene dignoſcuntur, nec Duces videntur, vt in die. Iccirco capta Vrbe nocte a Totila Rege Gothorum quorundam Barbarorum proditione, porta ſibi aperta, quam cuſtodiebant, exercitum in diem vſque ſubſiſtere iuſsit, & quum illuxiſſet, Vrbem inuaſit, diripuit, ac penitus deleuit. Videbat enim Rex nocte ciuitatem aggredi, aliquod ſibi periculum imminere. Nocte igitur quieſcat miles, niſi aliqua ſibi oblata occaſio fuerit, vt aliquod egregium facinus efficere poſsit, vt Georgius Rex Epirotarum nocte ſolitus erat, Turcas aggredi, ac ſemper victoriam adipiſci, quod hac de cauſa ab eo factum fuiſſe arbitror, quia in die collatis ſignis parua manu cum tanta Turcarum multitudine nequaquam certare poterat. Verum etiam ſæpe indie pugnans eos cecidit, & profligauit, a quibus vir fatalis nullo tempore victus fuit. Eſt igitur valde periculoſum noctu pugnare, vt Clearchus oſtendit. Qui quidem quum eſſet in Thracia, hoſtes nocte exercitum eius adorti ſunt. At ille iuſsit, ſi noctu tumultus fieret, nemo ſurgeret. Sed ille, qui ſe nocte moueret, vt hoſtis interficeretur. Cuius profecto iuſſu militibus oſtenſum eſt, terrores nocturnos ſpernendos eſſe. Sed tuta cuſtodia milites nocte ſe in caſtris contineant. Quo noctis etcore memini meis temporibus apud Ticinium a Cæſarianis militibus Franciſcum Regem Gallorum, ſuorum proditione, profligatum & captum eſſe. Igitur nocturnum Martem Duces cauete, aliquid mali ſemper molientem.

Dē ratione uitandi quadrigas & currus. Cap. IX.

QVANQVAM illa priſca ętas quadrigis, falcatiſque curribus in prętio vti ſolita erat ad perturbandum ordinem, & hoſtem terrendum, tamen quum etiam hiſce temporibus, ſed alia ratione noſtri Duces (ſi vellent) vti poſſent, & illis vetuſtioribus longe tutioribus. Quare hiſce adiumentum pręhere (ſi accederet) mihi viſum fuit. Quod multi belli Duces adhibuere, & quidem memorię prodidere. Nam Archelaus cum Sylla pugnaturus ſic copias inſtruxit. In fronte ad perturbandum hoſtem falcatas quadrigas locauit, in ſecunda acie phalangem Macedonicam. In tertia (more Romanorum) armatos auxiliares mixtis Italicę gentis fugitiuis, quorum pernicitate plurimum fidebat, leuem armaturam in vltimo ſtatuit, deinde in vtroque latere equitatum, cui ampliſsimus numerus erat, circumueniendi hoſtis cauſa poſuit. Sylla autem contra hoc amplę latitudinis foſſas in vtroque latere duxit, earumque capitibus caſtella communiuit, hac quidem ratione, ne ab hoſte circumueniretur, peditum numero, maxime equitatu ſuperante. Deinde triplicem peditum aciem ordinauit; relictis interuallis, per leuem armaturam & equitem, quem in nouiſsimo collocauit, vt quum opus eſſet, eum emitteret, poſt ſignarijs, qui in ſecunda acie erant, imperauit, vt denſos, innumeroſque palos firme in terram defigerent. Deinde ſublato clamore vniuerſorum, velites, & leuem armaturam tela ingerere iuſsit, ſed nunc tormenta citius omnia confunderent. Quibus peractis hoſtium quadrigę, aut ſudibus implicitę, aut clamore exterritæ, teliſque in ſuos conuerſæ ſunt, atque Macedonum phalangem turbauerunt, qua cedente, quum Sylla ſtaret, & Archelaus equitem oppoſuiſſet, Romani equites ſubito emiſsi, eum auerterunt, & victoriam conſecuti ſunt. Hoc etiam modo Cæſar Gallorum quadrigas excepit. Alexander autem facta militum ala, beſtias quadrigarum Darei ferire iuſsit.

Quæ iu ſuos conuerſæ, aciem turbauerunt. Secus enim his temporibus, quadrigis (ſiquis vellet) vtendum eſt, & armandæ ſunt, tormentis minoribus ſuperpoſitis, belluiſque tectis ac tutis omni armorum genere, materia cedente antepoſita propter minorum tormentorum vim, cui ſatis reſiſtere poterit.

De loci dignitate in bello, cui magis debetur. Cap. X.

IAM aperte videmus hominem nulla re magis, quam virtute & efferri, & laudem mereri, vti innumera fere mortalium exempla declarant, vt de Tullio Hoſtilio legimus. Cuius quidem incunabulis agreſte Tugurium fuit, adoleſcentia in pecore paſcendo verſata, ac validiori ætatę Romanum Imperium rexit, & auxit, illuſtrique maieſtatis faſtigio fulſit. Hæc Tarquinium priſcum exactum, ortum Corintho Romano Imperio potiri fecit. Hæc M. Catonis Porcij nomen Tuſculi ignobile, Romę nobiliſsimum reddidit. A quo quidem latinarum literarum monimenta ornata fuere, adiuta diſciplina militaris, atque aucta Senatus maieſtas. Eius enim munere Socrates ornatus, parente marmorario genitus, non ſolum hominum conſenſu, ſed Apollinis oraculo ſapientiſsimus iudicatus, ad clariſsimum glorię lumen exceſsit. Hæc Euripidem, Demoſthenem, Tullium Arpinatem humili genere natos ad id maieſtatis faſtigium euexit, vt de his omnium pene doctorum literę loquerentur. Quocirca merito omnis dignitas, Decus, honorque virtuti debetur, in qua (vt dictum eſt) vera nobilitas conſiſtit. Iccirco Hiphricates Dux Athenienſium, quum bellum aduerſus Lacedęmonios pararet, multi petebant, vt ſibi dignitas decerneretur, quidam Tribunitiam, quidam autem pręfecturam, & alij aliam. Hiphicrates vero tempore magis opportuno ſe daturum pollicetur. Itaque quum id adeſſet, iuſsit, vt quædam acies ab alijs ſeparata caſtra locaret, & terrores panicos excitaret, qui vt hoſtes in ſuos impetum facerent. Quum igitur maxima omnium eſſet perturbatio, hac re timidi perterriti fugerunt. At qui ſtrenui, pedem inferebant, nullo timore perterriti, & hoſtibus ad pugnam obuiam ibant. Hiphicrates ſubridendo, dixit ſe hoc iuſsiſſet, vt de illis periculum faceret, qui dignitatem poſtulabant, ſtrenuis dignitatem decreuit, timidis iuſsit, vt eos ſequerentur. Virtute igitur præditis dignitas eſt tribuenda, non autem ignauis (vt hic Hiphicrates fecit) qui voluit experiri, qui ea dignus cenſeri videbatur. Iidem Lacedæmonij propter ſuam virtutem primum locum in acie poſtulabant. Nam inter Lacedæmonios & Athenienſes de loco in acie contentio orta fuit, dum aduerſus Perſas apud platæas conſerendum eſſet. Athenienſes enim dignum eſſe cenſere, vt nihil extra ordinem decerneretur, ſed (de more) Lacedæmonijs dextrum cornu, ipſi leuum haberent. Lacedæmonij vero multis verbis de magnitudine rerum geſtarum diſſerere, quas ſuperioribus temporibus maiores ſui geſsiſſent. Id quum Athenienſes æquo animo ferre non poſſent, vir ille præclarus Ariſtides interpellauit, aſſurgens his verbis vſus fuit, quibus omnem contrauerſiam diremit. De nobilitate (inquit) ac fortitudine Spartanis reſpondere mihi per hoc tempus non licet, vobis autem Lacedæmonij, & reliqui Græci, qui nunc adeſtis, dicimus, quoniam locus nec virtutem præſtat, nec adimit, quam vos nobis partem in acie dederitis, eam inſtruere, & tueri conabimur, nec rebus antea fortiſsime geſtis dedecorari ſcimus. Huc enim venimus, non vt ſeditionibus cum ſocijs conflictemus, verum, vt eorum cauſa cum hoſte collatis ſignis decertemus. Nec vt parentes veſtros ſolum, ſed vt nos ipſos laudibus celebremus, & Græciæ hodie ſtrenue operam nauemus, in hoc certamen deſcendimus, in quo talem ciuitatem, Imperatorem, militem præſtituri ſumus, qualem Græco nomine dignum putare debemus. Digna ſane, & præclara omni laude ſententia, qua omnis Lacedæmoniorum ambitio ſublata fuit, ac omnium ſedata ſediuo. Tantum enim virtutis primum deberi locum (vt fas erat) autumabant. Sed tempus aliud exigebat, quam de dignitate in acie diſceptare. Prope enim hoſtis erat, & copias in aciem deduxerat, velut cito conſerturus.

De celeritate an proſit. Cap. XI.

QVANQVAM plerique celeritatem conſilij inimicam eſſe affirmant, tamen in bellicis rebus ſæpe profuiſſe, repertum eſt. Nam Athenienſes audito Perſarum aduentu auxilium a Lacedæmonijs tunc ſocijs poſtularunt. Quos vbi aliquot dies religione teneri intellexere, haud expectato auxilio, inſtructis decem milibus ciuium (Duce Milciade) & mille platenſibus aduerſus ſexcenta milia hoſtium (teſte Iuſtino) apud Marathonem in prælium egrediuntur. Milciades autem & Dux belli, & autor, haud expectandum eſſe auxilium cenſebat. Tantum enim fiducia eum cęperat, vt plus præſidij in celeritate, quam in ſocijs duceret. Igitur magna in pugnam currentibus alacritas animorum fuit, adeo quidem, vt quum mille paſſus inter duas

acies eſſent, ante ſagyttarum iactus citato curſu ad hoſtem venerunt. Nec eius audaciæ euentus defuit, quia tanta virtute pugnatum eſt, vt hinc viros, inde pecudes putares. Victi denique Perſæ in naues confugere. In hac pugna (aiunt) ducenta millia Perſarum cecidiſſe. Profuit quoque celeritas Claudio Neroni (vt dictum eſt) aduerſus Aſdrubalem. Qua quidem vtendum eſt, oblata occaſione. Secus enim plurimum obeſſet, quia conſilio obijci videtur. Hanc quoque fiduciam & ætatis celeritatem in Scipione fuiſſe, memoriæ proditum eſt. Nam amiſsis pro maiore parte in Hiſpania a Scipionibus duobus exercitibus ab acie punica oppreſsis, & quum omnes Prouinciæ, nationes, pœnorum amicitiam ſecutæ eſſent, vt nullus Romanorum Ducum eo fiduciæ ad rem corrigendam proficiſci auderet. Sed P. Scipio quatuor & viginti annos natus, ante legitimam ætatem ſe iturum pollicitus eſt. Cuius quidem fiducia ſpem ſalutis ac victoriæ populo Romano attulit. Quæ profecto quanta fuerit, in hoc ſatis oſtenditur. Siquidem in Africam delatus, Annibalis Speculatores in caſtris deprehenſos, & ad ſe perductos nullo ſupplicio affecit, nec de conſilijs ac viribus pœnorum percunctatus fuit, ſed circa omnes manipulos, & contubernia diligenter ducendos curauit. Deinde rogatos, an ſatis ea conſideraſſent, quæ ſpeculari iuſsi erant, prandio inuitauit, ac incolumes ad ſuos redire iuſsit. Quod quidem & fiduciæ, & humanitatis indicium fuit. Qui quum ab alijs ſupplicio fortaſſe affecti fuiſſent, vita donatos, liberos dimiſit. Idem poſt Cannenſem cladem eandem oſtendit fiduciam. Qui quum cæteris reliquijs Canuſii adeſſet, de hoc malo concilium aduocandum cenſebant, Scipio autem rem eſſe conſilij negat, iuuenis quidem Dux fatalis huiuſce belli audendum atque agendum, ait non autem in tanto malo conſultandum eſſe, quo magnam animi celeritatem, & fiduciam præ ſe ferebat. Extemplo ſecum armati irent, qui rem. p. ſaluam vellent. Deinde ire pergit, paucis ſequentibus in Metelli hoſpitium, & quum ibi iuuenum concilium inueniſſet, ſtricto ſuper conſultantium capita gladio, ex mei animi ſententia, inquit, iuro, vt ego rem. p. non deſeram, neque ciuem Romanum, in hæc verba L. Cæcili iures expoſtulo, ac cæteri qui adeſtis, qui non iurauerit, in ſe hunc gladium ſtrictum eſſe ſciat. Illi autem haud ſecus pauidi, quam ſi victorem Annibalem cernerent. Itaque omnes iurant, ij P. Sempronij Tuditani virtute ex clade ſeruati fuerant. Hic tandem ex tanta fiducia, celeritate, prudentia, ac cæteris virtutibus auctus, victor rem Romanam reſtituit.

De periculis uitandis & dolis in itinere & flumine tranſeundo. Cap. XII.

QVVM variis diuerſiſque dolis miles decipi ab hoſte poſsit, hos huiuſcemodi vitandos eſſe exiſtimaui, quibus etiam Dux prudens hoſtes aggredi poterit, vt in itineribus iam fatigatos. Qua re multi profligati fuere, ac multi prelium detrectarunt, vt de Paulo Æmilio legimus, qui eo die militem ex itinere fatigatum perſpiciens cum Perſeo Rege Macedonum cõfligere noluit, ſed pugnam in alium diſtulit. In flumine quoque tranſeundo periculum imminet, quia ſic multi profligati fuere, eos flumine diuidente, & in paludibus occupati, in montium iugis laborantes, per campos ſparſi, atque ſecuri in tentorijs dormientes, ita incauti, confecti ab hoſtibus fuere. Nam quum æquo Marte pugnatur, ars bellica magis adiuuat eruditos, ſed hoc maxime cauendum eſſe cenſeo, ne ab ala cornuque leuo (quod ſæpius accidit) vel dextero, quod raro, Tui a multitudine hoſtium ac vagantibus globis circumueniantur. Quod ſi acciderit, hoc remedium eſt adhibendum, vt alam, cornuque replices, & in Orbem reducas quatenus conuerſi tui ſociorum terga tueantur. Sed in angulo extremæ partis fortiſsimi collocentur, quia ibi maior impetus fieri conſueuit. Præterea aduerſus hoſtium Cuneum certis rationibus reſiſtitur. Hac enim aciei ſpecie facile hoſtium ordo perturbatur, quia a pluribus vnum in locum tela mittuntur, Sed contra hanc aciei ſpeciem forfex eſt inſtruenda, quia ipſum Cunei caput excipit, & facile circumuenire poteſt. Sed prudenter hoc eſt efficiendum, quia periculum imminet, quum pugna committitur, ne ordo commutetur. Iccirco Duci magna in hoc prudentia opus eſſe video, quod ante pugnam prouidendum eſt, ſi ſic hoſtis ſeſe ad conſerendum obtulerit. Oportet enim videre primum, quo hoſtis ordine aciem inſtruxerit, & vt opus erit, et obuiam ire. Secus enim confuſio oritur, atque tumultus, imparatis conturbatiſque facilius hoſtis incumbit. Quam ob rem ſuperioribus impedimentis remedia adhibenda eſſe duxi. Nam Hyphicrates Dux Athenienſium in Thraciam, quum propter locorum conditionem longum agmen deduceret, eique nunciatum eſſet, hoſtes cohortes aggreſſuros, in vtroque latere ſeccedere, & conſiſtere iuſsit, cæteros ſubfugere, & iter maturare, tranſeunte autem toto agmine leuiſsimos quoſque retinuit, & ita paſſim circa prædam occupatos hoſtes, iam etiam fatigatos, ipſe integris, & in aciem ſuis deductis aggreſſus, fudit, ac præda exuit. Q. Sertorius quoque in Hiſpania, quum a tergo inſtaret hoſtis, flumenque traiicere vellet, in eius ripa vallum ad cauæ Lunæ ſimilitudinem duxit, ac mate-

tiis oneratum incendit, ita excluſis hoſtibus flumen libere traiecit. Maximum enim diuiſis nec in aciem deductis milinbus diſcrimen ineſſe videtur, vt militibus Mythridatis Tygraniſque accidit. Nam lucullus in Armenia maiore apud Tygranocertam hoc vſus ſint, quum non amplius quindecim milia armatorum haberet, hoſtis vero innumerabilem multitudinem, eius aciem haud ordinatam inuaſit, protinuſque fudit, vt & ipſi Reges abiectis in ſignibus fugerent. Iisdem Claudius Tyberius Nero aduerſus pannonios, quum ſtatim oriente die Barbari in aciem ſtarent, ſuos continuit, hoſtemque nebula & imbribus paſſus eſt eo die ſorte crebris concuti, demum, vt feſſum ſtando animaduertit, dato ſigno, adortus, ſuperauit. Itaque prudentia omnibus in rebus valet, maxime in bellicis, quibus cariſſima quæque tranſigi videntur,

De continua pugna uitio danda. *Cap.* XIII.

NVLLA re magis miles ſtrenuus redditur, quam diuturna præliorum exercitatione. Icciirco in eoſdem hoſtes aſsidue pugnare, neceſſe eſt, vt ſtrenui reddantur. Quare Ageſilaum Regem ſui poſteri accuſabant, qui continuis ac frequentibus in Beotiam incurſionibus ac bellis Thebanos Lacedæmonijs reſiſtere docuerit. Quocirca Saucium Antalchidas eum intuens (inquit) pulchram tuæ doctrinæ mercedem a Thebanis recepiſti, Qui nolentes ipſos, neque ſcientes, pugnandi peritiam docuiſti. Hoc ipſum meis temporibus accidit. Nam crebris Gallorum & Hiſpanorum prælijs nonnulli Italiæ populi ſatis ſtrenui effecti ſunt, Sed quid ſit agendum his, quibus pertinaci animo nihil deditionis, nihilque fœderis, ſiue pacis cogitatur, viresque pares fortaſſe eſſe videntur, hæc mihi ratio placet, bellum quandoque relinquere, & incautos inuadere, maxime crebris incurſionibus ſtatutis temporibus, reliquis vero militem in ſtationibus retinere, quandam Duces occaſionem nacti, aggrediantur, agrum hoſtilem, diripiant & vaſtent. Hoc enim optimum ad deditionem eſſe puto, quia populi hanc agrorum deuaſtationem nec diu ferre poſſe exiſtimo, idque maxime efficere tempore meſsis & vindemiarum. Reliquis vero temporibus quietos dimittere. Itaque hiſce malis diu faſtiditi ciues, & longa inedia affecti, deditionem facere cogentur.

De quadam ratione pugnandi Gallorum aduerſus Romanos, & loco eligendo ad pugnam. *Cap.* XIIII.

SICVTI quidem Gallicam gentem pugnæ auidam, (ac Cæſaris teſtimonio) minime inſidioſam, ſed fidam accepimus atque liberalem, ita nonnullis vitijs in bello genti natura inſitis laborare. Quæ quidem hoc Romanorum bello ſatis perſpecta fuere. Nam Romani facta Gallis poteſtate pugnandi, prælium committitur, Gallos hac prudentia vicerunt. Siquidem ex ſuperioribus prælijs Gallorum gentem primo impetu accerrime pugnare animaduerterant, mox vero animis labefactari, atque confringi. Præterea eorum enſes vnam duntaxat plagam vehementem habere, ſed eſſe ad crebriores ictus prorſus inutiles, quum acies denſę eſſent. Atqui acceptas a triarijs haſtas tribuni anteſignanis tradidere, admonentes, vt Gallorum impetum. Tam diu deſtinerent, quoad ille primus ardor animi efferueſceret, tum dimiſsis haſtis, enſibus vterentur. Illi autem Tribunorum Imperio parentes ex induſtria in Gallos irruerunt, pectoraque eorum haſtis feriunt. Galli autem in eis pręcidendis omnem impetum effudere. Tum denique Romani abiectis haſtis pedem pedi conferentes, Gallorum conatum inutilem fecerunt. Iis profecto ſpatium auferentes ex diſtantia pugnandi, quod proprium eius gentis erat. Propterea quod obtuſi ſunt gladij ipſorum, nec, niſi ad demittendum ex induſtria ictus propter longitudinem vtiles. Romani vero breuioribus enſibus freti, nec cęſsim, vt illi, ſed punctim ora, pectoraque Gallorum crebris ictibus ferientes, magnam hoſtium partem interfecere. Quę quidem victoria magis tribunorum prudentia, quam armis parta fuit. Parum enim abfuit, quin imprudentia Conſulis P. Furij minus proſpere pugnatum fuiſſet, quia locum ad pugnam (vt decet Imperatorem) non aptum elegerat. Nam inſtructa acie iuxta Aduę Amnis ripam Romanis abſtulerat, quod illorum proprium eſſe videretur. Nihil enim loci eis relinquens ad referendos ex acie pedes. Quod ſiquid interpugnandum parum retrocedere coegiſſet, omnes in profluentem incidere oportebat ob inſitiam Conſulis. Nam loci commoditas ad pugnam plurimum adiuuat. Quod his ſatis perſpici poteſt. Nam Pompeius in Capadocia locum in caſtris editum optauit, vnde adiuuante prodiuio, militum impetum ipſo diſcurſu facile Mythridatem ſuperauit. Loci enim natura pugnanti apprime prodeſt, quia tela loco editiori emiſſa maiorem ictum faciunt. Nam & C. Cęſar aduerſus Pharnacem Mythridatis filium dimicaturus, in colle aciem inſtruxit,

quod ſibi expeditam victoriam fecit, quia pila ex edito in ſubiectos Barbaros emiſſa protinus eos auerterunt. Lucullus quoque aduerſus ipſum Mythridatem & Tygranem in Armenia maiore apud Tygranocertam dimicaturus, collis proximi planum verticem rapto cum copiarum parte adeptus in ſubiectos hoſtes decurrit, ac eorum equitatum a latere inuaſit, profligauitque ac victoriam eſt adeptus. Annibal quoque apud Muniſtionem aduerſus Marcellum pugnaturus, cauas & pręruptas vias a latere obiecit, ipſaque natura pro munimentis vſus, clariſſimum Ducem ac belli peritiſſimum vicit. Idem Annibal quoque apud cannas, quum amnem vulturnum compeiſſet, vltra reliquorum fluminum naturam ingentes auras mane perflare, quæ arenarum & pulueris vertices agerent, ſic aciem direxit, vt tota vis a tergo ſuis, Romanis vero in ora & oculos incideret. Quibus incommodis affecti Romani, ab Annibale illa memorabili pugna victi fuere. Quare ante pugnam prudens ſit Imperator ad locum eligendum, ſuperiorum Imperatorum exemplo adductus, quod facile victoriam comparabit. Quocirca oportet Imperatorem multarum rerum peritum eſſe, vt naturę regionis, habituſque locorum, ac ſyderum cognitionis, quę ventos (vt dictum eſt) efficiunt. Quibus recte perſpectis, ſibi conſtabit, qua loci parte militem inſtruere debeat, & quam cęli regionem, faciemq; ſpectare. Itaq; & certare noueri, & prælium differre, nactus tempus ad pugnam magis hoc idoneum. Quod accurate efficere debet, quia de ſalute, & ſumma rerum omnino aguur.

FINIS SEXTI LIBRI.

AD EMANVELEM PHILIBERTVM SERENISSIMVM ET INVICTISSIMVM SABAVDIAE DVCEM ETC.

DOMINICI CYLLENII, GRAECI DE DISCIPLINA MILITARI, LIBER SEPTIMVS.

De uitijs in bello Imperatori, maxime luxuria fugienda. Cap. I.

SIQVIDEM Ariſtoteli, ex ſententia Heracliti, placere videtur, O. P. voluptati difficilius eſſe repugnare, quam iræ, atque circa ipſam artem & virtutem ſemper verſari. Quo fit, vt homines ad vitia prócliuiores efficiantur, ad virtutis autem tardiores, vti Heſiodus his carminibus cecinit.

Quam facile innumeras vitiorum amplectimur artes,
Haud pro ul illa habitant, breuis eſt via, qua eundum ſit.
Eſt via virtutis contraria, ſudor anhelus,
Hanc ſequitur, qui ſe ſcopuloſis ardua cliuis
In longum prorupit iter, riget aſpera primo.
Ingreſſus leuis eſt, poſt quam alta cacumina tanges.

Sed ad ipſa vitia vitanda, ab initio genus vitæ conſtituendum eſſe arbitror, vt quid deceat, complecti animo debemus, & quid dedeceat vitare, ac imprimis conſtituere, qui, & quales eſſe velimus, & in quo genere vitæ. Quæ quidem deliberatio eſt omnium difficillima, quia ineunte adoleſcentia (vt inquit Cicero) cui maxima conſilij imbecillitas ineſſe videtur, tunc id ſibi quiſque genus ætatis degendæ conſtituere debet, quod maxime adamare ſibi viſum fuit. Sed plerique ad diuerſa ſtudia, ſiue vitiorum, ſiue virtutis, multis de cauſis trahi ſolent. Plerunque enim parentum præceptis imbuti, ad eorum conſuetudinem moremque deducuntur. Alij autem multitudinis iudicio feruntur, & quæ maiori parti pulcherrima videntur, ea maxime exoptare. Nonnulli tamen, ſiue felicitate quadam, ſiue bonitate naturæ, ſiue parentum diſciplina rectam vitæ ſecuti ſunt viam. Illud autem rarum eorum genus, qui, aut excellente ingenij magnitudine, aut præclara eruditione ac doctrina, aut vtraque re ornati, melius deliberauerunt, quem potiſsimum vitæ curſum ſequi vellent. In qua quidem deliberatione ad ſuam cuiuſque naturam conſilium omne eſt reuocandum. Quum autem ad hanc rationem natura maximam vim habeat, fortuna proximam, in deligendo genere vitæ, vtriuſque omnino ratio eſt habenda, ſed naturæ magis, quia multo firmior & conſtantior eſt, vt fortuna mortalis cum immortali natura nonnunquam pugnare videatur. Quam ob rem qui ad naturæ ſuæ non vitioſæ genus, conſilium vitæ omne contulerit, is conſtantiam teneat, videatque, ne in vitia dilabatur, quæ quum omnia mala ſint, luxuria omnium peſsima, maxime militi, cui multorum cura decernitur, & eius cauſa multa mala rei. p. euenire ſolent, maxime exercitui, vt ſæpe re ipſa perſpectum eſt. Nam huius blandi mali Capuana libido Annibalem armis inuictum ſuis illecebris complexa, vincendum Romanis viribus tribuit. Illa quidem vigilantiſsimum Ducem, exercitum acerrimum ampliſsimis dapibus, abundanti vino, vnguentorum fragrantia, Veneris vſu laſciuire ad ſomnum ac delitias euocauit, denique punica feritas fracta, atque confuſa fuit. Quid ergo hoc vitio fœdius? Quo virtus atteritur, victoria langueſcit, ſopita gloria in infamiam conuertitur, animi pariter & corporis vires expugnantur. Hæc enim Volſcienſium opulentam Vrbem, Hetruriæ caput, legibus, & moribus ornatam grauibus, & erubeſcendis cladibus inuaſit, ita, vt ſeruorum ſe inſolentiſsimæ dominationi ſubiceret. Qui primum admodum pauci ſenatorum ordinem intrare auſi, mox vniuerſam rem. p. occuparunt, teſtamenta ſuo arbitrio ſcribi iubebant, conuiuia, cœtus ingenuorum fieri vetabant, filias dominorum in matrimonium ducebant. Poſtremo lege ſanxerunt, vt in viduis pariter atque nuptis

ſtupra ſua impune fierent, ac nequa Virgo ingenuo nuberet, cuius caſtitatem, non ante ex ipſorum numero aliquis delibaſſet. Ita tota ciuitas occupata, corruptaque ab horum luxuria fuit. Xerxes quoque Regiarum opum oſtentatione eximia eo vſque luxuria gaudens, vt edicto præmium et proponeret, qui nouum voluptatis genus reperiſſet, qui dum nuncijs delicijs capi videtur, ampliſsimi Imperij ruina conſecuta eſt. Siquidem hoc domeſticum malum latius ſcribere conſtitui, non vt quiſquam id imitetur, ſed vt morbum fugiat, præcipue, qui bella gerit. Ex quo quidem quantum dedecoris, vituperij, cladis oriatur, hoc vno Verris exemplo contenti, finem huic turpitudini imponemus. Cui profecto (vt refert Cicero) a ſenatu claſsis decreta, totum ſe libidini dedit, claſsique Cleomenem, hominem peregrinum præfecit, vt ſibi eius Vxore abutendi locus, tempuſque commodius eſſet, ſcelus quidem mortalium auribus nunquam auditum, nec oculis viſum fuit. Nam tempore, quo cæteri Duces prouinciam obire, circuireque conſueuerunt, maxime, quum prædonum, vel Pyratarum metus imminere videtur, Romanus prætor (quod dicere pudet) haud Regia Hieronis domo contentus, qua cæteri prætores vti ſolebant, tabernacula Carbaſeis intenta velis in littore collocari iuſsit. Hic dies Æſtiuos ſexaginta prætor, P. Romani cuſtos, ac prouinciæ defenſor ſic vixit, vt muliebria conuiuia quotidie eſſent, vir accumberet nemo, præter ipſum, & prætextatum filium. Quippe qui, vt ſuum animum, ſiue appetitum libidine explere poſſet, rem ſingularem excogitauit. Naues, quibus legatus præfuerat, Cleomeni tradidit. Hoc eo fecit, vt ille non ſolum abeſſet a domo, tum cum nauigaret, ſed etiam libenter magno cum honore, beneficioque abeſſet, & eius Vxorem ſolutiore animo omnino haberet. Accepta autem claſſe Cleomenes e portu egreditur. Claſsis enim ſpecie præclara erat, ſed inops & infirma propter pugnatorum dimiſsionem & Remigum. Stabat enim ſoleatus Romani populi prætor cum pallio purpureo, Tunicaque Talari muliercula innixus in littore. Poſteaquam paululum claſsis prouecta eſt, Pachynnum quinta die apulſa eſt. Nautæ vero cuncti radices palmarum agreſtium, quarum in illis locis, ſicut in magna Siciliæ parte erat multitudo, colligebant, hiſceque miſeri alebantur. Cleomenes autem, qui alterum ſe Verrem, tum luxuria, nequitiaque, tum etiam Imperio putaret, ſimiliter totos dies, in littore tabernaculo poſito, perpotabat. Ecce autem repente, ebrio Cleomene, eſurientibus cæteris, Pyratarum naues nunciatur in portu Eliſſæ eſſe. Claſsis autem Romana erat in portu Pachynni. Viſa Cleomenes hoſtium claſſe in quadrireme centuripina malum erigi, vela fieri, anchoras præcidi Imperauit, etiam ſimul vt ſe cæteri ſequerentur, ſignum dari iuſsit. Hæc centuripina nauis erat incredibili celeritate velis, e conſpectu euolauerat cæterarum nauium. In hac fuga nonnullæ naues Romanorum capiuntur, & quidam præfectus occiditur. Interea Cleomenes iam ad Pelori littus peruenerat, iam ſeſe in terra e naui eiecerat, quadriremenque in ſalo fluctuantem relinquit. At reliqui nauium præfecti, cum in terra Imperator exiſſet, cum ipſi neque repugnare, neque mori effugere vllo modo poſſent, apulſis ad pelorum nauibus Cleomenem perſecuti ſunt. Tunc prædonum Dux Heracleo repente præter ſpem, non ſua virtute, ſed iſtius ignauia victor claſſem pulcherrimam pop. Romani littus apulſam & eiectam inflammari incendique iuſsit. Quo tempore prætor ille in conuiuio cum fœminis erat. Cleomenes autem recepta clade in publico eſſe non audebat, domi ſe includit, neque vxor aderat, quæ hominem in malis conſolari poſſet. At qui Pyraticus Myoparo Syraguſis vſque ad forum, & ad omnes Vrbis crepidines acceſsit. Quo quidem neque Carthagenienſium nobiliſsimæ claſſes, quum mari plurimum potuiſſent, multis bellis ſæpe conatæ, nunquam aſpirare potuerunt, neque inuicta pop. Romani gloria illa naualis vnquam tot punicis Atthenienſibuſque bellis penetrare potui, prędonum nauiculę peruagatę ſunt. Quo Athenienſium claſsis, ſola poſt hominum memoriam trecentis nauibus vi, ac multitudine inuaſit. Quę in eo ipſo portu, loci ipſius, portuſque natura, victa atque ſuperata eſt. In hoc enim portu Athenienſium nobilitatis Imperij, glorięque naufragium factum exiſtimatur. Eo Pyrata Romani Imperatoris libidine penetrauit. Vbi portu Pyratę non metu aliquo affecti, ſed ſatietate exierant, tum homines quęrere cęperunt tantę illius calamitatis cauſam, palamque diſputare, minime eſſe mirandum, ſi militibus, Remigibuſque dimiſsis, Reliquis egeſtate, & fame perditis, prętore tot dies cum mulierculis per potaret, tanta ignominia & calamitas eſſet accepta. Hęc autem iſtius vituperatio, infamiaque, eorum ſermone confirmatur, qui a ſuis ciuitatibus illis nauibus prępoſiti fuerant, dicebant quos ex ſua quiſque naui amiſſos ſciret eſſe. Scelus clarum erat, neque ſolum argumentis, ſed etiam certis teſtibus illius audacia, luxuriaque tenebatur. Hoc igitur vitio multas ciuitates euerſas, & imperia mutata, atque amiſſa legimus. Nam parum abfuit, quin & ipſa Roma nobilem ſtatum mutaſſet propter vnius Appij Claudij luxuriam, cuius cauſa triumuiratus magiſtratus omnino mutatus fuit. Cuius quidem libido in Virginij filiam virginem tanta fuit, nulla magiſtratus habita ratione, vt pater filiam velut hoſtiam mactare maluit, quam caſtitatis honorem amittere. Cuius libidinis ſcælus ſic apud Liuium legitur, quod dicere pudet, ſed vt monſtrum quoddam tale nunquam auditum & viſum (vt cæteri caueant) breuius quam potero, diſſeram. Nam Virginis pater, Lucius Virginius nomine honeſtum ordinem in Algido contra hoſtem ducebat, vir quidem domi militiæque optimus. Virginis igitur amore captus Appius. C. pecunia, multiſque muneribus eam corrum-

pere tentauit. Vbi omnia pudore ſepta vidit, ad crudele facinus animum conuertit. Mario Clau-
dio, homini omnium ſceleſtiſsimo negotium dedit, vt Virginem in ſeruitutem aſſereret. Quod
pater abeſſet, locum eſſe iniuriæ ratus. Virgini in forum uenienti miniſter iniqui ac perfidi De-
cemuiri manum iniecit, ſeruam ſuam natam appellans, ſequi ſe iubet, cunctantem vi abſtractu-
rum eſſe. Magnum, deforme in Vrbe, omnium principe, iniquitatis monſtrum, nunquam ta-
le viſum. Pauida puella ſtupente, ad nutricis clamorem, fidem quiritium implorantis concur-
ſus hominum magnus vndique fit, Virginij patris, ſponſique Icilij populare nomen celebratur,
turbam rei indignitas Virgini conciliat, iam ab eius vi tuta erat, quum ſceleris aſſertor, multitu-
dine comitata nihil opus eſſe (ait) ſe iure Craſſari, non vi, puellam in ius vocat, ad Appij iniqui
iudicis tribunal peruentum eſt. Notam perfido iudici puellam, petitor apud ipſum autorem ar-
gumenti peragit, puellam domi ſuæ natam, furtoque inde ſublatam, in Virginij domum ſup-
poſitam, ei eſſe, id ſe indicio afferre, ac probaturum contendit, puellæ aduocanti quum Virgi-
nium rei. p. cauſa abeſſe, dixiſſent, biduo affuturum, ſi ei nunciatum ſit, iniquum eſſe abſen-
tem de liberis dimicare, poſtulant, vt rem integram in patris aduentum differat, lege ab ipſo la-
ta vindicias det ſecundum libertatem, nec patiatur Virginem adultam, famæ prius, quam liber-
tatis periculum adire. Pater iniuriæ vindex tande accerſitur, & prima luce cum ciuitas in foro
expectatione erecta ſtaret, ſordidatus filiam ſecum obſoleta veſte, comitantibus aliquot Matro-
nis, ingenti aduocatione in forum adducit, ibi circuire homines cœpit, & non ſolum orare præ-
cariam opem, ſed pro debita petere, ſe pro eorum liberis, ac coniugibus quotidie in acie ſtare,
nec alium virum eſſe, cuius ſtrenue ac ferociter facta in bello plura memorari poſſent, quid pro-
deſſe, ſi incolumi Vrbe, quæ capta vltima liberis ſuis timeantur, omnino ſint patienda. Hæc
prope concionabundus, homines circuibat. His ſimilia ab Icilio ſponſo iactabantur, comita-
tus muliebris plus tacito fletu, quam vlla vox mouebat. Aduerſus quæ omnia impius iudex
obſtinato animo in tribunal omni ſcelerum labe refertum aſcendit, vltroque quærente pauca pe-
titore, quod ius ſibi pridie per ambitionem dictum non eſſet, vbi ille poſtulatum perageret, vt
Virginio reſpondendi locus daretur. Deinde poſt nonnulla Appij omnium hominum ſceleſtiſsi-
mi impia verba, quum M. Claudius, circunſtantibus Matronis, iret ad comprehendendam Virgi-
nem, lamentabilis eum mulierum comploratio excepiſſet, Virginius ut Appium manus inten-
tans (quo quidem nihil pulchrius ac glorioſius cenſeri poterat) quam huiuſcemodi ſceleſtiſsimum
hominem interficere, inquit, Appi non tibi filiam deſpondi, & ad nuptias, non autem ad ſtu-
prum educaui, placet, vt ritu ferarum promiſcue in concubitus ruere, paſſuri ne hoc iſti ſint ne-
ſcio, non ſpero illos paſſuros eſſe, qui arma habent. Cumque reppelleretur Virginis aſſertor a
Globo mulierum circunſtantium. Silentio facto per præconem, Decemuir alienato ad libidinem
animo negat, Heſterno tantum conuicio Icilij, violentiaque Virginij, cuius teſtem Romanum
populum habeat, ſed certis quoque indicijs compertum ſe habere, tota nocte cætus in Vrbe fa-
ctos ad mouendam ſeditionem. Itaque ſe haud inſcium eius dimicationis cum armatis deſcendiſ-
ſe, non vt quenquam quietum violaret, ſed vt turbantes ciuitatis otium pro Imperij maieſtate
coerceret, proinde quies erit, melius (inquit) lictor ſummoue turbam, & domino da viam ad
capiendum mancipium. Quum hæc iræ plenus intonuiſſet, ipſa multitudo ſe ſua ſponte dimo-
uit, quod impium fuit, non propulſare tantam iniuriam, nunquam audiuam, quam haud medio-
cri moleſtia affectus narrare videor, deſertaque præda iniuriæ puella ſtabat, quam populus
imbecillus atque incertus æquo animo tulit, velut ipſius iniuriæ particeps non propulſando ar-
mis tantam iniuriam ex libidine ſceleratiſsimi iudicis profectam. Summo enim dolore angi vi-
deor, vt id narrare, progrediar. Nam ſi pro tritico, auro, argentoue, aut alio populari com-
modo ſibi aliquid aduerſi eueniſſet, id armis (de more) propulſaſſent. Tum Virginius vbi au-
xilij nihil vidit, quæſo (inquit) Appi, primum ignoſce patrio dolori, ſiquid in clementius in te
ſum inuectus, deinde ſinas hic coram Virgine nutricem percunctari, quid hoc rei ſit, vt ſi falſo
pater dictus ſim, quieto hunc animo diſcedam, data venia, filiam ac nutricem ſeducit prope ad
cloacinæ tabernas, ibique a Lanio cultro accepto, hoc te vno, quo poſſum (ait) modo filia in
libertatem vendico, pectus deinde puellæ tranſfigit. Quod magno paternæ calamitatis ſpecta-
culo omnibus fuit. Quis patris dolor, Matris, ſponſi, nutricis ac cæterorum affinium, & ami-
corum fuerit, & puellæ ſubita mors ab eo illata, inter cuius amplexus educata fuit? Nullum
quidem huic poſſe conferri arbitror. Deinde Virginius ad iniquum iudicis tribunal reſpectans,
te inquit Appi, tuumque caput ſanguine hoc conſecro, clamore ad tam facinus orto, militibus
Appius comprehendi Virginium iubet. Ille vir magnanimus ferro quacunque ibat, viam face-
re, donec ad portam perexit. Interea Icilius & Numitor exangue corpus ſublatum populo
oſtendunt. Scelus Appij, puellæ infelicem fortunam, neceſsitatem patris deplorant, ſequentes Ma-
tronæ clamitant, eam ne liberorum conditionem procreandorum, earum pudicitiæ præmia eſſe?
Nam virorum & maxime Icilij vox tota tribunitiæ poteſtatis ac prouocationis ad populum ere-
ptæ indignationis erat. Siquidem multitudo concitatur, partim atrocitate ſceleris, partim ſpe
per occaſionem repetendæ libertatis, Appius autem nunc Icilium vocat, nunc retractantem ar-
ripi. Poſtremo quum apparitoribus locus non daretur, abeundi, Ipſe cum agmine patritiorum

iuuenum

iuuenum per turbam vadens in vincula Duci iubet. Iam circa Icilium non ſolum multitudo, ſed multitudinis acies erant, Lucius Valerius, Marcus Horatius, qui repulſo lictore, ſi iure agerent, vindicare ſe aiebant, ſi vim afferre conarentur, ibi quoque ſe haud impares fore. Hic atrox rixa oritur. At iniquus Appius fracto animo, vitę metuens, in domum foro propinquam neſcijs ſe aduerſarijs obuoluto capite recipit, metus in Vrbe magnus quidem fuit. Nunc ad Virginium virum magnanimum redeamus. Hunc enim agmine fere quadrigenti viri rei indignitate accenſi in caſtra vſque ſecuti ſunt. Qui ſtrictum telum tenens, conſpectus, ac cruore conſperſus tota in ſe caſtra conuertit. Qui tandem multorum agmine ſtipatus ad Vrbem tendit, & Auentinum collem inſedit, atque vt quiſque occurrerat, plebem ad repetendam libertatem creandoſque tribunos plebis adhortatur. Atqui decemuiri propter hoc ſcelus merito Imperium amiſerunt. Virginius diem ſceleſtiſsimo Appio dixit, qui paulopoſt in carcerem conijcitur, vbi mortem ſibi conſciuit, quia ſicut ſibi ſuæ libidinis conſcius fuit, ac iniquus iudex, mortis idem eſſet vindex, & iudex. Itaque Imperium ex decemuiris ad Conſules tranſlatum eſt. Puto enim Romanos omnium ſuorum ſcelerum pręter hoc pœnas luiſſe, quia & hodie ſummopere viget, vt omnibus eſt apertum. Hinc ciuitas ſępe a Barbaris diruta fuit, & quod peius eſt, ex tanta rerum magnitudine nomen tantum ſupereſſe videtur, ſed nondum finis, non diuina vino ſaturata eſt, quia ſiquid ſceleris eſt in orbe, reperitur in Vrbe. Quocirca diuinum Babilonis Vaticinium quandoque perficietur. Quoniam huic mortalium generi ingenia ad res innouandas ſemper inquieta & ſeditioſa fuere, vti multis priſcorum monimentis conſtare poteſt. Primum propter fœneratorum impotentiam, quum plebs armata in ſacrum montem ſeceſsit, tribunos peteret. Hanc ſeditionem decemuiratus, de quo locuti ſumus minus honeſte, libido ſecuta eſt. Quam hic Appius conflauit. Hanc quoque matrimoniorum indignitas comitata eſt vt cum patritijs plebei iungerentur, qui quidem tumultus in Ianiculo, Duce Carnuleio tribuno plebis, exarſit. Poſt hanc honorum cupido, vt plebei quo magiſtratus crearentur, ſeditionem quoque Gracchorum tribunitia poteſtas excitauit. Propter legem agrariam, primamque certaminis facem Tyberius Gracchus accendit. Hunc enim in ſeditione Gaius Cracchus frater ſecutus eſt, qui pari plebem tumultu in auitos agros arceſſeret, & recentem Attali Regis hęreditatem in populi alimenta polliceretur. Hanc ſecuta eſt Apulei Saturnini, Cracchorum leges aſſerentis, cui quidem Marius nobilitatis inimicus fauebat; Hanc denique Liuij Druſi. Taceo bella ciuilia, quę omni immanitate referta fuere, & totus fere orbis ſanguine reſperſus fuit. Iccirco ſępe direpta, ac diruta iacuit ciuitas illa, tanto orbis Imperio ex paruis incunabulis aucta, vt vix veſtigia ex tanta rerum magnitudine & Imperij maieſtate cernantur, quę etiam nobiliſsima literarum monimenta teſtantur. Igitur quiſque, qui rei. p. pręficitur, rationi viuere conetur, ſpreta omni libidine, cuius quidem cauſa ampliſsima Imperia ruerunt, ac nimia peccatorum indulgentia corruerunt. Res enim tanta me diutius pręter opinionem immoratum, ac longius progreſſum hucuſque tenuit, deinceps de crudelitate huic vicina dicendum videtur.

De crudelitate Imperatoris. *Cap. II.*

QVO humanitas & comitas in Imperatore laudem meretur, eo crudelitatis horridus habitus, truculenta ſpecies, violentus ſpiritus, vox terribilis cruentis, referta Imperij vituperationem & dedecus. Cuius profecto horrida imago, quum in multis latiſsime pateat, in phalari præ cæteris nobilitata fuit, qui non ex inſidijs interijt, non a paucis, ſed in ipſum vniuerſa Agrigentinorum multitudo impetum fecit. Hac re Macedones Demetrium Regem relinquere, vniuerſique ad Pyrrhum ſeſe contulere, Lacedæmonios quoque iniuſte ac crudeliter imperantes repente omnes ferme ſocij deſſeruere, atque Leutricæ calamitatis ſe otioſos ſpectatores præbuere. Quam ob rem nec vlla vis imperij tanta eſt, quæ premente crudelitatis metu poſſit eſſe diuturna, multorum Imperatorum teſtimonio. Cuius quidem teterrimum ſimulachrum, quamuis in multis eluceat, in Scylla latiſsime patet, in quo plurimum illius immaniſsimum monſtrum nobilitatum etiam fuit. Nam hoc cum Vrbe tota fere Italia ciuili cruore innundauit. Is namque quatuor legiones contrariæ factionis impiam fidem ſecutas in Campo Martio nequicquam fallacis dextræ miſericordiam implorantes obtruncari iuſsit. Quarum quidem lamentabiles queſtus trepidæ ciuitatis aures repleuerunt. Quod miror eas non pugnaſſe. Non enim viri fuere. Quinque milia prænestinorum ſpe ſalutis ſub fide per P. Cethegum data extra mœnia municipia, euocatos, cum abiectis armis humi corpora proſtrauiſſent, per agros protinus diſpergenda curauit, & ij quidem æffeminati homines fuere. Nam leuius illis erat mori in armis, aliqua in hoſtem vltione facta, quam tam miſere ſine honore occumbere, quum idem mortis genus eſſent paſſuri. Nihil enim ſibi deterius euenire poterat. Quænam illis ſpes erat, ſic mo-

ri, quæro, ſperabant fortaſſe eos Scyllam poſt necem reſuſcitaturum eſſe? Nempe vile hominum genus, timoris plenum. Quippe qui cum poeta id dicere poterant.

Moriamur & in media arma ruamus
Vna ſalus victis, nullam ſperare ſalutem.

Sic illis pulchrius erat mori, quam ſic extingui. Quid plura? quatuor milia & ſeptingentos diræ proſcriptionis edicto iugulatos in publicas tabulas retulit, ne tantæ rei memoria dilueretur. Sed eo crudelitatis deuenit, vt aduerſus mulieres gladium diſtringeret, quaſi parum virorum cędibus ſatiaretur vir ſuper humanam crudelitatem natus. Sed hoc inexplebilis crudelitatis indicium fuit, qui abſciſa miſerorum capita in conſpectum ſuum afferri voluit, vt maioris credelitatis locus haberetur. Hac in M. Marium prætorem vſus fuit, quem per vulgi ora ad luctatię gentis ſepulcrum pertractum non prius vita priuauit, quam oculos infelicis erueret, ac ſingulas corporis partes confringeret, nec quidem mortuorum vmbris pepercit. Nam Cai Marij, cuius & ſi poſtea hoſtis, quæſtor ante aliquando fuerat, erutos cineres in Annienis Alueum ſpargi iuſsit. Cuius perfidi hominis crudelitas magnas acceſsiones accepit, qui tandem turpi morbo conſumptus eſt. Cui teterrimo monſtro nec apud inferos pœnæ locum eſſe arbitror, nec, ſi omnium ſupplicia pateretur, ſatis ſuis ſceleribus digna arbitrarer. Huc accedit illud Marij crudelitatis ſpectaculum, Qui M. Antonij Clariſsimi Oratoris caput abſciſſum ſuis manibus inter epulas per ſummam animi, verborumque inſolentiam aliquandiu tenuit. Optimi quidem ciuis & oratoris ſanguine menſæ ſacra contaminari paſſus, atque etiam per Antonium, qui id attulerat, in ſinum ſuum recentis cædis veſtigijs aſperſum recepit. Quod non Annibal, præter punicam crudelitatem natus, & Romani nominis hoſtis fecifſet. Qui Marcelli corpus honorifice ſepiliri curauit. Præterea illud teterrimum Numantij Flacci crudelitatis genus oculis noſtris, non ſilentio prætereundum ſeſe offert. Qui Pompeiani nominis acrior, quam probabilior defenſor, quum a Cæſare in Hiſpania Abingenſium mœnibus incluſus obſideretur, Efferatam crudelitatem ſuam truculentiſsimo veſaniæ genere exercuit. Nam omneis eius oppidi ciues, quaſi Cæſaris ſtudioſiores quum ſenſiſſet, iugulatos muris præcipitauit, fœminas etiam citatis virorum nominibus, qui in contrarijs caſtris erant, vt cædes ſuarum coniugum cernerent, & maternis gremijs ſuperpoſitos liberos trucidauit, infantes alios in conſpectu parentum humi infigi, Alios ſuperiactos pilis excipi iuſsit. Hæc, illud perfidum Romanorum genus, quod nondum ab illa paſtorali feritate receſsit, effecit, quæ nec Tygres, nec Vrſi, nec Leones, aliaue ferarum genera feciſſent, quæ in ſuum genus minime ſæuiunt. Quorum quidem crudelitate ſuperis perſpecta, in eos huiuſcemodi immanitatis genus reflecti voluere. His enim datus eſt Annibal pluſquam hoſtis, ad ſuorum ſcelerum vindictam ſumendam, atque pœnam luendam, qui & ipſe inhumana crudelitate, perfidia pluſquam punica, vigebat, cui nullus Dei cultus, nulla religio, nullum iuſiurandum, nihil veri, nihil ſancti inerat, odijs magis, quam viribus certauit. Itaque par pari crudelitatis genus relatum fuit. Is namque flumine Gelo Romanis corporibus, ponte facto exercitum ſuum tranſduxit. Præterea Romanos captiuos oneribus, & itinere feſſos tam prima pedum parte ſucciſa relinquebat. Quos vero, vt caſtra perduxerat, paria fratrum & propinquorum iungens, ferro decernere cogebat, neque ante ſanguine explebatur, quam ad vnum victorem omneis redegiſſet. Additur quoque alius Romanæ crudelitatis hoſtis, neque ſine diuino Numine, Mythridates Rex Ponti, qui vna Epiſtola octoginta milia ciuium Romanorum in Aſia per Vrbes negociandi gratia diſperſa interfici iuſsit. Qui quidem tantæ prouinciæ hoſpitales Deos inulto, ſed non multo cruore reſperſit, qui neque pœna caruit, quoniam maximo cruciatu veneno repugnantem ſpiritum ſuum tandem ſuccumbere coegit. Quo mortis genere & ipſe pœnus interijt. Sed illi triumuiratus crudelitatis generi, me profecto latet, cui hercle conferri debeat. Omnia enim in Vrbe plena timoris erant, vndique (more pecudum) cędes ciuium, bonorum proſcriptiones, & cætera mala, quæ ſub ſole fieri ſolent. Nam eo tempore filius parentem necare curabat, Vxor virum, ſeruus Dominum, nullius ratio habebatur. Ciues, Senatores, viri Conſulares, prætores, tribuni, & quod deterius eſt, in conuiuio paſsim cędebantur. Roma direptioni ac incendijs relicta erat. Omnia enim Anguſta viarum ab horum Tyrannorum militibus obſedebantur. Adeo quod, neque mari, neque paludi ad fugam iter patebat, & nemini parcebatur. Quid plura? quadringentas mulieres ſupra mille proſcripſerunt, quæ præcipue diuitijs excellebant, quibus iniunctum erat, quæ haberent extimantibus. Simul ad belli neceſsitatem conferre, quanti vnamquanque earum ij tres condemnaſſent, & occulentibus quidpiam eorum, quæ habuiſſent, aut præcium male offerentibus, pœna, ſimilique indicantibus, liberis, ſeruiſque pręmia, ac multa alia mala in Vrbe a tribus illis facta fuere, quæ recenſere longum omnino eſſet, ſed illud crudelitatis monſtrum ex Verris libidine proſequamur, qui amiſſa claſſe, ſua culpa, ad eam tegendam commentum excogitauit. Quærere enim cępit a Nouarchis quomodo claſsis eſ-

ſet amiſſa, illos reſpondere, & dicere vnumquenquem miſsione remigum, fame reliquorum, Cleomenis timore & fuga. Quod vbi hic cognouit, hanc iniquam rationem habere cœpit, cauſam ſibi eſſe dicendam ſtatuerat. Videbat enim illis Nauarchis teſtibus tantum hoc crimen ſuſtinere ſe nullo modo poſſe. Conſilium capit, primo quidem ſtultum, Nauarchos ad ſe vocari iubet, veniunt, eos accuſat, quod huiuſmodi de ſe ſermones habuerint, rogat, vt id facere deſiſtant, & in ſua quiſque naui dicat, ſe tantum habuiſſe Nautarum, quantum oportuerit, neque quenquam eſſe dimiſſum. Ipſi hoc ſe facturos eſſe promittunt. Sed aliud iniquus prætor conſilium ad hoc exterminandum inijt. Nauarchos omneis ſui ſceleris teſtes vita eſſe priuandos cenſuit, tandem Cleomenem vocat, dicit ei, ſe ſtatuiſſe animaduertere in omneis Nauarchos, ita ſui periculi rationes ferre ac poſtulare, tibi vni parcam, & totius iſtiuus culpæ crimen, vituperationemque inconſtantiæ potius ſuſcipiam, quam aut in te ſim crudelis, aut tot tam graueis teſtes viuos indemneſque eſſe patiar. Cui Cleomenes gratias agit, ſcelus approbat. Quibus actis conſtitutiſque ex prætorio repente procedit, furore, crudelitate inflammatus, in forum venit, Nauarchos vocari iubet, qui quum nihil metuerent, nihilque ſuſpicarentur, ſtatim accurrunt. Audite nouum & inſolitum crudelitatis genus. Iſte autem omnibus miſeris, innocentibus veluti Baccabundus cathenas inijci imperat. Illi populi Romani fidem implorare, & quare id faceret rogare tum iniquus prætor humanæ naturæ hoſtis & iuſtitiæ inimicus, hoc cauſæ dicit, quod claſſem prędonibus tradidiſſent, ac prodidiſſent. Itaque ſtultus homo ſceleri ſcelus (ignem igni addebat) qui horum morte ſuam libidinem iniquitatemque tegere volebat. Clamorque ingens fit, & populi concurſus, & admiratio, tantam eſſe hominis impudentiam & audaciam, vt, aut alijs calamitatis cauſam attribueret, quę omnis propter ipſius luxuriam & auaritiam acciduſſent, aut, quum ipſe prędonum ſocius putaretur, alijs proditionis crimen inferret, quid Cleomenis actum pro ſcelere? Sedebat enim proditor iſte auarus ad turpiſsimi adulteri Romani pretoris ac patrię proditoris latus, & ad aurem familiariter (vt ſolitus erat) inſuſurraret. Tum omnibus indigniſſimum viſum eſt, homines honeſtiſsimos ex ſuis ciuitatibus electos, in ferrum atque vincula coniectos. Cleomenem vero propter flagitiorum ac turpitudinis ſocietatem pretori familiariſsimum eſſe, atque cornua, quę capiti omnibus conſpecta, pendebant. Hem ſcelus hominum memorię nunquam proditum. Atqui Syraguſas miſerorum adoleſcentium patres ac propinqui veniunt, hoc repentino ſuę calamitatis nuncio commoti, vinctos aſpiciunt. Catenis liberos ſuos cum collo & ceruicibus ſuis, ſuſtinerent, adſunt, defendunt, fidem illius proclamant, quę ſibi nulla erat, implorant. Placet enim mihi huius crudelitatem ad vnguem narrare, vt quanta fuit, non ſolum cognoſcatur, ſed vt quiſque gerens aliquem magiſtratum vitare diſcat, maxime, copiarum præfecti, qui plerunque inſoleſcere ſolent, vel inſolita dignitate elati, vel prauo ingenio nati, alioue facinore moti, hoc immani monſtro delectantur, ſed caueant, quia benignitas & humanitas maiorem laudem & honorem meretur. Poſtremo Nauarchi in carcerem condemnati, includuntur, in illos ſupplicium conſtituuntur, ac ſumitur de miſeris innocentibus. Nauarchorum autem parentes adire filios ſuos prohibentur, cibum veſtitumque introferre, quod nuſquam gentium factum fuiſſet, nec vltra Sauromatas alibiue, vbi Barbarorum feritas colit. Eorum miſerorum innocentium patres in limine iacebant, miſeræque matres pernoctabant ad carcerea hoſtium ab extremo liberorum complexu excluſæ, quæ nihil aliud orabant, niſi, vt filiorum extremum ſpiritum excipere ſibi liceret. Aderat carceris Ianitor, pretoris carnifex, mors, terrorque ſociorum, & ciuium lictor ſeſtius, cui ex omnium gemitu, doloreque certa merces comparabatur, ait ad eas, tantum dabis, vt cibum ubi introferre liceat, tantum nemo recuſabat. Quid, vt vno ictu ſecuri filio tuo mortem afferam? quid dabis? ne diu crucietur, ne ſępius feriatur? ne cum aliquo doloris ſenſu, aut cruciatu ſpiritus auferatur? etiam ob hanc cauſam lictori pecunia dabatur. O magnum ſcelus preter humanam naturam repertum, o grauem, acerbamque fortunam, o peſsimum paſtorum genus ab omni pietate remotum, quod neque apud Tartareos manes reperiri poſſet, apud quos nulla pietas colitur, non vitam liberorum, ſed mortis celeritatem precio redimere, parentes cogebantur. Quibus rebus actis e carcere innocentes producuntur, & ad palum deligantur, ſecuri percutiuntur. Hic enim Romani pretoris ſceleris exitus fuit ad explendam libidinem, auaritiam, atque crudelitatem. Quarum rerum fortaſſe partem ſenatus habere potuiſſet, quia virum probum, iuſtum, non luxurioſum, non auarum, non denique curudelem, ſed omnibus in rebus probatum ad capeſcendam remp. & claſsis Imperium mittere debebat, atque hic omnium ſceleſtiſsimus per omnia membra mori, cui nullus Dei metus, nulla ſenatus, & legum reuerentia, nec humani generis ratio fuit, adeo tot malorum libido eius animum occuparat, & rationem oppreſſerat. Verum illum recte alijs imperare arbitramur, qui ſuis cupiditatibus ſcit dominari, & voluptates coercere. Ac de crudelitate ſatis dictum eſſe videtur, non vt quiſquam eam ſequatur, ſed omni ſtudio declinare velit, deinceps de auaritię labe Imperatori fugienda diſſerendum, putaui.

De auaritia. *Cap. III.*

NON enim me præterit, quantum mortalium generi auaritiæ miſerrima vorago obeſſe ſoleat. Quæ & ſi aliqua ratione in pleriſque ferri poſsit, tamen a viro militari, maxime Duce, omnino eſt expellenda. Quia eius cauſa plerunque victoriæ decus amittitur, vt Craſſo, bello parthico, accidit. Nam quum in Syria moram duceret, pecuniæque magis, quam rei militari incumberet, non armorum ordinem ſupplere ſtuderet, non milites rebus bellicis inſtruere, ſed Vrbium duntaxat vectigalia exigere, pecunias plures dies in hierapolychea lancibus expediens trutinis. Præterea populis ac Dynaſtis militum rationes per epiſtolas imponens, & afferentibus argentum acerbius, quam æquum erat, verbis inſultans, tandem contemni, & pro nihilo haberi cœpit, quod ſuorum malorum initium fuit. Qui quidem a parthis cum vniuerſo exercitu, non mediocri ludibrio, cæſus fuit. Hoc ipſum multis aliis euenit, quos in præſentia ſilentio præterire duxi, quia hoc vitium latiſsime patet, cuius miſera ac turbulenta imago his Horatij carminibus perſpici poteſt.

Feruet auaritia, miſeraque cupidine pectus,
Sunt verba, & voces, quibus hunc lenire dolorem
Poßis, & magnam morbi depellere partem.
Laudis amore Tumes, ſunt certa piacula, quæ te
Ter pure lecto poterunt recreare libello
Inuidus, iracundus, iners, vinoſus, amator.
Nemo adeo ferus eſt, qui non miteſcere poßit.
Si modo culturæ patientem commodet aurem.

De audacia. *Cap. IIII.*

SIQVIDEM audacem ſæpe fortuna iuuari dici ſolet, ac timidum repelli, cui qui credere ſe audet, veram eius ſpeciem experiri neceſſe eſt. Sed meliorem ſperare quiſque ſemper arbitratur, vt hic fortaſſe Cæſar, qui quum quendam locum munire cœpiſſet, & propinquum contrariumque collem Pompeius occupaſſet, Cæſarianos opere prohibere cœpit, & quum vna ex parte prope æquum aditum haberet, primum ſagyttariis funditoribuſque circumuectis, poſtea leuis armaturæ magna multitudine miſſa, atque tormentis prolatis, munitiones impediebat. Neque enim facile erat vno tempore Cæſarianis propugnare, & munire. Cæſar autem quum ex omni parte ſuos vulnerari videret, ſe recipere ſtatuit, & loco excedere. Illi autem hoc acrius inſtabant, neque progredi Cæſarianos milites patiebantur, quod timore adducti, locum relinquere videbantur. Cæſar autem ſuorum receptui timens, crates ad extremum tumulum contra hoſtem proferri, & aduerſus locari iubet, inter has mediocri latitudine foſſam, tectis militibus obduci, locumque in omneis partes quam maxime impediri. Ipſe idoneis locis funditores inſtruxit, vt præſidia Cæſarianis ſe recipientibus eſſent. Hiſce rebus perfectis, legiones reduci iuſsit. Pompeiani hoc inſolentius audaciuſque Cæſarianos premere, & inſtare cœperunt. Crateſque pro munitione directas protulerunt, vt foſſas tranſcenderent, quod quum Cæſar animaduertiſſet, veritus ne, non reducti, ſed reiecti viderentur, maiuſque detrimentum caperetur, a medio fere ſpatio ſuos per Antonium, qui ibi legioni præerat, hortatus tuba ſignum dari, atque in hoſtes impetum fieri iuſsit milites legionis nonæ ſubito conſpirati, pila coniecerunt, & ex loco inferiori aduerſus pilum curſu incitati, præcipites Pompeianos egerunt, compluresque interfecti ac vulnerati fuere. Quod niſi feciſſet, hoſtes audaciores effecti, ſuos facile profligaſſent. Pro fuit enim Cæſari ipſa audacia. Ex metu enim ſibi periculum imminere videbatur. Sed alia hac maior audacia & periculoſior bello Gallico acta cernitur, quum ipſe Britannicę inſulę manus iniecisset, cum quatuor commilitonibus rate in Scopulum inſulę vicinum miles tranſuectus, quam ingentes hoſtium copię tenebant, deſtuante mari, facile tranſitu in vadum redactum eſt. Solus enim immobilem ſtationis gradum retinens vndique ruentibus telis, & ab omni parte acri ſtudio ad eum inuadendum connitentibus, quinque militum diurno prælio ſuffectura pila, vna dextera hoſtium corporibus adegit. Poſtremo diſtricto gladio audaces hoſtes modo vmbonis impulſu, modo mucronis ictu depellendo, omnibus magno ſpectaculo fuit. Denique aliquot affectus vulneribus, multis ictibus diſcuſsis armis profundo ſe credidit. Qui quidem ex priuato milite a Cęſare Centurio merito creatus fuit. Huiuſcemodi enim milites Cęſaris militia alebat. Hinc res magnas gerebat. In hoc enim audacię genere multi leguntur, vt Leonidas, Pelopidas, ac alij complures. Qui vtranque fortunam experti fuere, modo proſperam, modo aduerſam.

De Hoſtili fraude ſiue fallacia. *Cap. V.*

QVVM fortis animi ſit, res magnas gerere, aliquem decipere, aut in eum quid fraudis moliri omnino Rubore quodam afficeretur, quia hoc Vulpecularum eſſe arbitraretur. Secus autem infirmioris ac imbecilli, vbi vires deeſſe proſpexerit, ad fraudem ſeſe conuertit, vt hic Germanorum legati ad Cæſarem miſſi, trium dierum inducias poſtulantes, ne ſuos bello laceſſeret, quod a viro magnanimo obtinuerunt. Interea Germanorum acie inſtructa, Cæſaris caſtra adoriuntur, vbi Piſo cum paucis cecidit. Cæſar autem in eos copias mouet, vt conſereret. Ipſi autem timidi iterum legatos perfidia, ſimulationeque vſi, frequentes, omnibus principibus, maioribuſque natu adhibitis ad eum purgandi cauſa in caſtra mittunt, ſimul, vt ſiquid poſſent de inducijs, fallendo, impetrarent. Quos quidem Cæſar oblatos retineri iuſſit, & omneis copias caſtris eduxit, equitatumque, quem recenti prælio perterritum eſſe rebatur, agmen ſubſequi iuſsit, triplici acie inſtructa, & celeriter itinere octo milium paſſuum confecto, prius ad hoſtium caſtra peruenit, quam quid ageretur, Germani ſentirent. Quibus rebus perterriti, & celeritate, Cæſaris aduentu, & ſuorum diſceſſu, quid agerent, conſilij inopes, nulla ratio in armis habita, perturbantur, copias ne aduerſus ducere, an fuga ſalutem petere præſtaret. Quorum timor cum fremitu, concurſuque ſignificaretur, Romani milites priſtini diei perfidia incitati, in Germanorum caſtra irruperunt. Quo loco qui arma celeriter potuerunt capere, pauliſper Romanis reſtiterunt, præliumque inter currus impedimentaque commiſſum fuit, reliqua puerorum, mulierumque multitudo Rhenum tranſierunt, ac paſsim fugere cœperunt, ad quos conſectandos Cæſar equitatum miſit. Germani poſt tergum clamore audito, quum ſuos interfici viderent, abiectis armis, ſigniſque militaribus relictis ſe ex caſtris eiecerunt, & quum ad Rhenum perueniſſent, magno eorum numero interfecto, reliqui ſe in flumen præcipitarunt, ibi vi fluminis oppreſsi, perierunt. Quod quidem merito propter fraudem infidelibus militibus euenit. Sic fallentes fallere nihil probri meretur. Quare hoc cauendum eſſe exiſtimo, quia, plerunque legati exploratoris munere funguntur, vt Galli ad Antigonum Macedonum Regem huiuſcemodi legatos miſerunt, qui illi venalem pacem offerrent, ſimulque Regis caſtra ſpecularentur. Quos quidem Rex pro regali munificentia ingenti epularum apparatu ad cœnam inuitauit. Galli autem expoſitum magnum auri argentique pondus admirantes, prædæque vbertate ſollicitati, infeſtiores quam venerant, reuertuntur. Quibus Elephantes ad terrorem, velut inuſitatas Barbaris formas Rex oſtendi iuſſerat, ac naues copijs onuſtas, ignarus quidem, quod illis oſtentatione virium metum ſe inijcere exiſtimabat, falſorum legatorum animos, vt ad optimam prædam ſollicitabat. Itaque legati ad ſuos reuerſi, omnia in maius extollentes, opes pariter, & negligentiam Regis oſtendunt, caſtra quoque auro & argento referta eſſe, & neque vallo, neque foſſa munita eſſe, & ſatis quaſi munimenti in diuitijs haberent, ita eos omnia munera militaria intermiſiſſe, prorſus quaſi ferri auxilio non indigerent, quoniam hoc relatu auidæ gentis animi ſatis ad prædam incitabantur. Itaque omnium conſenſu, noctę Regis caſtra aggrediuntur, qui præſentiens tantam Gallorum tempeſtatem, ſignum pridie dederat, vt fallentes falleret, & omnibus rebus ablatis, in proximam ſiluam taciti ſe occultarent. Neque aliter ſeruata caſtra, quam deſerta ſunt. Vbi Galli omnia vacua, nec ſine defenſoribus modo, ſed ſine cuſtodibus vident, non fugam quidem hoſtium, ſed (vt Romæ) quam paulo ante diripuerant, dolum arbitrantes, diu portas ingredi timuerunt. Demum integris intactiſque munimentis ſcrutantes, potius, quam diripientes, caſtra occupauerunt. Tunc inuentis ablatis ad littus conuertuntur. Ibi dum naues minus cautæ eſſent, diripiunt, a Remigibus, & exercitus parte, quæ eo cum coniugibus & liberis confugerant, trucidantur. Tanta profecto Gallorum cędes fuit, vt Antigonus pacem huius victorię opinione, non Gallis tantum, ſed finitimorum feritati pręſtiterit. Itaque omnes fere Gallorum copiæ Gręcorum armis deletę fuere, Romanamque ſtragem Gręcia vlta fuit. Iidem ſub delphico templo a quatuor milibus Gręcorum, ſexaginta ferme Gallorum milia cum brenno Duce interfecti ſunt. Quam ob rem cauendum eſt, quia legati ſępe non vt oratores, ſed exploratores veniunt, vt etiam de Romanis legatis legimus, miſsis a ſenatu ad Antiochum Regem, vt legationis ſpecie Regium apparatum ſpecularentur, Annibalemque, aut Romanis mitigarent, aut aſsiduo colloquio ſuſpectum inuiſumque Regi facerent, qui Scipio fuit. Itaque legati, quum ad Antiochum perueniſſent, qui tunc Epheſi erat, ei ſenatus mandata tradunt. Dum reſponſum expectant, omnibus diebus aſsidue cum Annibale fuere, & ex induſtria, fictoque pectore dicentes, timide eum a patria receſsiſſe, cum pacem Romani, non tam cum re p. quam cum eo factam ſumma fide cuſtodiant, nec eum bella Romanorum magis odio, quam patrię amore geſsiſſe, ei adulabantur. Has enim publicas inter populos, non priuatas inter Duces bellandi cauſas eſſe. Res geſtas eius quoque laudare. Quorum ſermone lętus, ſępius, cupidiuſque cum legatis colloquebatur. Ignarus quidem, quod pro Romana familiaritate ſibi odium apud Regem crearet. Nam ipſe Rex tam aſsiduo colloquio recon-

ciliatam cum Romanis gratiam exiſtimans, nihil ad eum, vt ſolebat referre, non amplius conſilij participem vocaret, ſed veluti hoſtem & proditorem ſuum odiſſe cępit. Quod magis Regi ipſi nocuit, quam Romana arma. Quare hoc laudarem, ſi tempore belli legati extra Vrbem & caſtra audirentur, ne exploratores, ſed oratores venirent, & nequid colloquio, vel conſuetudine ciuium, vel militum mali molirentur, vt ſępe perſpectum eſt. Verum Imperator ex induſtria ad eos terrendos introducere poterit ad ſuarum rerum oſtentationem, & militarem apparatum oſtendendum, vt Valerius Leuinus, quum intra caſtra ſua hoſtium exploratorem deprehendiſſet, magnamque ſuarum copiarum fiduciam haberet, eum circumduci iuſsit, terrendique hoſtis cauſa copias ſuas viſendas ſpeculatoribus quoties voluiſſent, patere. Hoc ipſum & alios Duces feciſſe, legimus. Nam Gręci bellum aduerſus Xerxem parantes, tres exploratores in Aſiam miſere, qui quum ſardis veniſſent, ſpeculandi Regis exercitus cauſa, intercepti ſunt a Ducibus pedeſtrium copiarum, & tanquam perituri deducebantur, lata in eos mortis ſententia. Vbi id Rex accepit, reprehenſa ducum ſententia, quoſdam e ſatellitibus mittit, iubet ſi viuos inuenirent Speculatores ad ſe deducerent. Viuos repertos ad Regem aduxerunt. Rex autem ſciſitatus, qua de cauſa veniſſent, eaque cognita, ſatellitibus pręcepit, vt homines circumducerent, peditatum ac equitatum omnem oſtentantes, & eos vbi contemplati eſſent, ſine aliqua pœna dimitterent, quocunque ire voluiſſent, vt Gręci Regias copias & omnem belli apparatum ex his cognoſcerent, atque timerent, tandem liberi dimiſsi ſunt a Rege, vt eius vires Gręcię oſtentarent.

De inſidijs in colloquio cauendis. Cap. VI.

QVVM circa omneis inſidias prudens debeat omni ſtudio eſſe Imperator, his, quę ad colloquium fiunt, maxime conſulere, quo quidem multi principes decepti ſunt ab hoſtibus. Quod hoc Arionisti Germanorum Regis exemplo patere poteſt. Quippe qui vltro Cęſarem ad colloquium vocauit, poſtulauitque ne quem peditum ad colloquium aduocaret, vereri ſe ne per inſidias ab eo circumueniretur, quas ipſe infidus Rex moliebatur, vterque cum equitatu venirent, ſecus ſe venturum non eſſe. Cęſar autem, quod nec colloquium, interpoſita cauſa tolli volebat, neque ſalutem ſuam Gallorum equitatui committere audebat, commodiſsimum eſſe ſtatuit, quod prudentiſsimi Ducis fuit, omnibus equis, Gallis equitibus detractis, eis legionarios milites decimę legionis, cui maxime confidebat, imponere, vt pręſidium quam amicisſimum, ſiquid opus facto eſſet, contra infidum Barbarum haberet, quod quum fieret, non irridiculam, quidam ex militibus decimę legionis dixit, pluſque pollicitus eſſet, ei Cęſar, eam fecerit, pollicitum ſe in cohortis pretorię loco decimam legionem habiturum, & nunc ad equum reſcribere. Nam planicies magna erat, & in ea tumulus ſatis magnus. Hic locus ęquo fere ſpatio a caſtris Arionisti & Cęſaris aberat, eo vt dictum erat, ad colloquium venerunt. Cęſar autem legionem, quam equis deuexerat, paſsibus ducentis ab eo tumulo conſtituit. Item equites Arionisti pari interuallo conſtiterunt. Igitur dum colloquuntur, & Cęſar beneficia ſenatus, & amicitiam in eum commemoraret, ſibi denunciatum eſt, equites Arionisti propius tumulum acceletare, & ad Romanos adequitare, lapides, telaque in eos conijcere. Quare Cęſar loquendi finem fecit, ad ſuos ſeſe recepit, quibus Imperauit, ne fidem violare videretur, ne telum in hoſtes reijcerent. Nam & ſi ſine periculo legionis delectę cum equitatu prelium fore videbat, tamen committendum non putabat, vt pulſis hoſtibus dici poſsit, eos a ſe per fidem in colloquio circumuentos. Hac arrogantia Barbarus vſus fuit. Huic aliud accedit, & eo fortaſſe deterius. Nam quum Cęſar iterum eum alloqui negaret, legatos. M. Valerium Procillum. G. Valerij Gabūri filium ſumma virtute, & humanitate adoleſcentem, & Marium Metium, qui Arionisti hoſpitio vtebatur, ad eum miſit, his mandatis, vt quę Arionistus diceret, cognoſcerent, & ad ſe referrent. Quos quum apud ſe Barbarus in caſtris conſpexiſſet, exercitu ſuo pręſente, infidus Rex conclamauit, quid ad ſe venirent, ſpeculandi gratia? Conantes dicere prohibuit; & in catenas coniecit. Qua de re poſtea pœnam luit. Nam totus exercitus a Cęſare profligatus fuit, ac magna clades edita, Arionistus Cimba trans flumen aufugit. Dūę Vxores in ea fuga perierunt, duę quoque filię, quarum altera occiſa, altera capta fuit. G. Valerius eius legatus, quum a cuſtodibus in fuga tribus catenis vinctus traheretur, in Cęſarem hoſtes inciderunt. Quę quidem res haud minorem, quam ipſa victoria ſibi voluptatem attulit. Quod hominem honeſtiſsimum prouincię Gallię, cum familiarem & hoſpitem ereptum e manibus hoſtium, ſibi reſtitutum videret, neque eius calamitate de tanta voluptate & gratulatione quicquam fortuna diminuerat. Marius autem Metius repertus, & ad eum allatus eſt incolumis, cum ſummo gaudio & ipſe receptus fuit. Arionistus cum ſuis ex iniuria pœnam ſatis ſuo ſcelere dignam luit.

De alio genere inſidiarum. Cap. VII.

QVVM miles multis ab hoſtibus rationibus decipi poſsit, & inſidię locari, iam pleriſque apertum hoc eſſe ſcio, ſed ab hoc pręcipue inſidiarum genere cauendum eſſe puto, ne quis ſpecie fugę in ipſas inſidias incidat, quibus multi decepti, vitam cum patria amiſere, vt fidenatibus euenit. Qui nimis vicinas opes prope ſe conualeſcere rati, priuſquam tantum roboris eſſet, quantum futurum apparebat, Romanis bellum inferre ſtatuerunt, armata iuuentute immiſſa, ager; qui inter Vrbem & fidenas eſt, vaſtatur. Inde ad leuam verſi, quia dextra Tyberis arcebat, magna agreſtium trepidatione populantur, tumultuſque repens ex agris in Vrbem nuncio allatus fuit. Quo excitus Romulus copias educit, caſtra a fidenis mille paſſus locat. Ibi modico præſidio relicto, egreſſus omnibus copijs, partem militum locis circa denſa obſita virgulta obſcuris ſubſidere in inſidijs iuſsit. Ipſe autem maiori parte ac omni equitatu profectus, id, quod quærebat, tumultuoſo, minacique genere pugnæ obequitando ipſis portis hoſtem exciuit. Fugæ quoque, quæ ſimulanda erat, eadem equeſtris pugna cauſam minus mirabilem dedit, & quum velut inter pugnæ fugæque conſilium trepidante equitatu, pedes quoque referre gradum, plenis repente portis effuſi hoſtes, impulſa Romana acie, ſtudio inſtandi, ſequendique trahuntur ad inſidiarum locum. Inde ſubito exorti Romani tranſuerſam inuadunt hoſtium aciem. Pauorem e caſtris mota ſigna eorum addunt, qui in præſidio relicti fuerant. Itaque multiplici terrore perculſi fidenates, prius pene quam Romulus, & qui cum eo equites erant, circumagerent frenis equos, terga vertunt. Itaque fidenates profligati fuerunt, & demum ciuitatem amiſerunt. Eiuſmodi inſidijs ab Annibale apud Trebiam Romanus exercitus profligatus fuit. Flaminius quoque apud Traſimenum ab eodem Annibale cum exercitu cęſſus, & M. Marcellus a militibus Annibalis in inſidijs interfectus fuit. Hoc ipſum & alijs multis eueniſſe legimus. Iccirco miles non ſit curioſus in perſequendos hoſtes, quia plerunque de induſtria fugam ſimulare videntur.

De ſimulato timore hoſtium. Cap. VIII.

FACILE quiſque publicum Martem, vel ingenio, vel viribus vitare poteſt; ſimulatum autem perdifficile. Quo fit, vt ſæpe homines in multas calamitates incidant, & rerum diſcrimina ſubeant, ij maxime; qui elati animo eſſe videntur. Qui quum ſe ſecuros eſſe exiſtimant, in maximas ruinas dilabantur, vti hoc Curij exemplo perſpici poteſt, Qui nonnullis (vt eſt hominum ingenium) ſecundis rebus elatus, nihil contra ſe hoſtem poſſe, arbitratus, ſed omnia in tuto eſſe. Hic enim a certis autoribus comperit, hoſtis copias v et xx milia paſſuum ab Vtica abeſſe, relictis munitionibus in caſtra Cornelia ſeſe recepit. Optimum quidem conſilium nactus, ſi in eo perſtitiſſet. Huc enim frumentum vehi, caſtra munire, materiam conferre cœpit, ac in Siciliam miſit, vt duæ legiones, reliquuſque equitatus ad ſe mitterentur. Caſtra autem ad bellum gerendum aptiſsima erant, tum loci munitione, tum maris propinquitate, his etiam accedebat, aquæ & ſalis copia. Cuius magna vis iam ex proximis ſalinis congeſta erat, non multitudine arborum, non frumento, cuius agri pleniſsimi erant, deficere poterat. Itaque Curio ſuorum omnium conſenſu reliquas copias expectare, & bellum ducere parabat, quibus rebus conſtitutis, probatiſque conſilijs inopinatum ſibi malum accidit. Nam ex quibuſdam profugis oppidanis Iubam Regem finitimo bello reuocatum, & controuerſiis leptitanorum in Regno reſtitiſſe, accepit, Saburamque eius præfectum cum mediocribus copijs Vticæ appropinquare. Quibus quum temere Curio credidiſſet, totum conſilium in deterius vertit, remque prælio committere conſtituit. Atqui ad hanc rem probandam, multa eum adiuuare videbantur, adoleſcentia, magnitudo animi, ſuperioris temporis res ſecundæ, ac fiducia earum bene gerendarum. Hiſce rebus Curio fretus, equitatum omnem ad hoſtium caſtra nocte ad flumen bragadam mittit, quibus Dabura præerat. Iuba autem Rex cum omnibus copijs ſequebatur, & ſex millium paſſuum interuallo a Subura præfecto conſederat, nocte miſsi equites iter conficiunt, imprudentes ac inopinatos, hoſtes aggrediuntur. Numidæ enim quadam Barbara conſuetudine nullis ordinibus paſsim conſederant. Hos ſomno oppreſſos ac diſperſos adorti, magnum eorum numerum interficiunt, multi perterriti fugiunt. Quo facto equites ad Curionem reuertuntur, captiuoſque ad eum reducunt. Hac quidem Curio parua victoria elatus, cum omnibus copijs quarta vigilia exierat, cohortibus quinque caſtris præſidio relictis, mille paſſus progreſſus, ſex equites conuenit, re geſta cognita, ex captiuis quærit, quis caſtris ad bragadam præeſt? Suburam reſpondent, reliquam itineris ſtationem conficiendi quærere prætermittit, proximamque reſpiciens, videtis ne (inquit) milites captiuorum orationem profugis conuenire, Regem abeſſe:

exiguas eſſe copias miſſas? Quæ paucis equitibus pares eſſe non potuerunt. Proinde ad prædam, ad gloriam properate, vel iam de præmijs & referenda gratia cogitare incipientes. Erant per ſe magna, quæ geſſerant, equites præſertim, quum eorum exiguus numerus cum tanta multitudine Numidarum conferretur, hæc tamen ab his inflatius commemorabantur, vt de ſuis homines laudibus inſolenter prædicant. Quibus rebus Curio adductus, ſe equites ſequi iubet, ac iter accelerat, vt ex fuga perterritos adoriri poſsit. Illi autem itinere totius noctis confecto ſubſequi non poterant, ſed inſolenti Curioni belli fortaſſe inopinatum malum ex Regis dolo accidit. Nam Iuba Rex certior factus a Sabura de nocturno prælio duo milia Hiſpanorum, & Gallorum equitum quot quot ſuæ cuſtodiæ cauſa circum ſe habere conſueuerat, & peditum eam partem, cui maxime confidebat, Saburæ ſummittit. Ipſe autem cum reliquis copijs, Elephantiſque xl, Lentius ſubſequi ſuſpicatus, præmiſsis equitibus, ipſum Curionem adeſſe. Sabura vero equitum, peditumque copias inſtruit, atque Imperat, vt ſimulato timore paulatim cedant, ac pedem referant, ſe quum opus eſſet, ſignum prælij daturum, & quod rem poſtulare cognouiſſent, Imperaturum. Quo deceptus Curio, & ad ſuperiorem ſpem addita præſentis temporis opinione hoſtes fugere arbitratus, copias ex locis ſuperioribus in apertum campum deducit. Quibus quidem ex locis Romanus quum longius progreſſus eſſet, confecto iam labore miles ſedecim millium ſpatio conſiſtit. Quo Sabura cognito ſuis ſignum dat, aciem conſtituit, & circuire ordines, ac hortari incipit, ſed peditatu duntaxat procul ad ſpeciem vtitur, & equites in aciem mittit. Curio autem neque negocio deeſt, ſuos hortatur, vt ſpem omnem in virtutem reponant, neque militibus defeſsis, neque equitibus paucis laboreque confectis ſtudium ad pugnandum ac virtus deerat. Sed ij numero ducenti, reliqui in itinere ſubſtitere. Qui quamcunque in partem impetum fecere hoſtes, loco cedere cogebantur. Sed nec longius fugientes perſequi, nec vehementius equos incitare poterant. Sed hoſtium equitatus ab vtroque cornu circuire aciem Romanam, & aduerſarios proterrere incipit. Quum autem cohortes ex acie procurriſſent, Numidæ integri celeritate, Romanorum impetum effugiebant, ruſuſque ad ſuos ordines ſe recipientes circuibant, & ab acie excludebant. Sic, neque in loco manere, ordineſque ſeruare, neque procurrere. Hoſtium vero copiæ, a Rege ſubmiſsis auxilijs crebro augebantur. Romanorum vires ex labore deficiebant, ſimul ij, qui vulnerati erant, neque acie excedere, neque tutum in locum referri poterant, quod tota hoſtium acies equitatu circundata, tenebatur. Ii vero de ſua ſalute deſperantes, vt extremo vitæ tempore homines facere conſueuerunt, aut ſuam mortem miſerabantur, aut parentes ſuos commendabant, ſi quos ex eo periculo fortuna ſeruare potuiſſet. Omnia profecto timoris, luctuſque plena erant. Curio autem vbi perterritis omnibus, neque cohortationes ſuas, neque preces audiri intelligit, vnam, vt in reliquis rebus ſpem ſalutis arbitratus, proximos colles capere vniuerſos, eoque ſigna inferri iubet. Sed ad hoc, negotium tardum fuit, ac tardius conſilium. Hoc enim facere debebat, antequam prælium iniret. Nam Dux, antequam prælium geratur, caſtra pro imminenti periculo locare debet, vt ſe cum milite feſſo ac vulnerato recipere poſsit. Hos enim colles a Sabura, in hoc, Curione, prudentiore, miſſus equitatus occupauit. Itaque Curionem ſpes feſellit, qui prius ſuis rebus Conſulere debebat. Tum Romani ad vltimam deſperationem peruenere, & partim fugientes, ab equitatu interficiuntur, partim integri procumbunt. Gn. Domitius equitum præfectus Curionem hortatur, cum paucis equitibus circumſiſtens, vt fuga ſalutem quærat, atque in caſtra contendat, ſeque ab eo non diſceſſurum pollicetur. At Curio nunquam amiſſo exercitu, quem a Cæſare fidei commiſſum acceperat, ſe in eius conſpectum reuerſurum contendit, vtque ita prælians, interficitur, militeſque ad vnum perpaucis in caſtra receptis, quæ procul a pugna aberant, omnes interficiuntur. Non enim caſtra a loco prælij procul abeſſe debent, quia profligatis militibus ſaluti eſſe poſsint. Non enim Dux (vt iſte) ad pugnam auidus eſſe debet, niſi magnam occaſionem nactus, vt vincere poſsit. Optimum enim fuit Gn. Domitij conſilium, vt ſecum Curio in caſtra iret, quod gratius omnino Cæſari fuiſſet, quam ſic interire. Præterea error fuit, quod feſſum militem ad pugnam deduxit, quod quiſque cauere debet. Ac quo melius Seruilij Conſulis conſilio in Volſcos vſus fuit. Qui quidem ne tempus, maxime in vaſtandis eorum agris tereret, hoſtem ad conferenda propius caſtra, ac acie dimicandum exciuit, medio inter caſtra campo, ante ſuum quiſque vallum infeſtis ſignis conſtitere, Volſci aliquantum multitudine ſuperiores. Itaque effuſi quodam contemptu pugnam iniere. Conſul autem Romanus, vt prudens, nec aciem promouit, nec clamorem reddi paſſus, defixis pilis ſuos ſtare iuſsit. Vbi ad manum hoſtis veniſſet, tum cohortes tota vi gladijs rem gerere. At Volſci curſu, clamoreque feſsi, cum ſe velut ſtupentibus metu intuliſſent Romanis, poſtquam impreſsionem ſenſere ex aduerſo factam, & ante oculos micare gladios, haud ſecus, quam in inſidias incidiſſent, turbati terga vertunt. Neque profecto ad fugam ſatis virium fuit, quia, more belluarum, curſu in prælium ierant. At Romani contra, quia principio quieti ſteterant, vigentes corporibus, & integri, facile feſſos (vt Curionis militibus accidit) adepti, & caſtra impetu ceperunt, quibus exutos hoſtes, Velitras perſecuti, vno agmine victores cum victis in Vrbem irrumpere. Ibi plus ſanguinis promiſcua omnium generum cæde, quam in ipſa dimicatione factum, paucis data venia,

inermes in deditionem venere. Conſul enim iſte quam prudentiſsime rem geſsit, qui ſuos milites ſemper integros tenuit, & ſeruauit, qui facile feſſos vincere poterant, vt Afri feſſos Curionis milites. Prodeſt igitur plurimum interdum metum ſimulare, & hoſtes feſſos reddere, vt facilius ad pugnam alliciantur, vt etiam Æmilius Paulus vniuerſis liguribus improuiſo eius caſtra adortis, ſimulato timore diu ſuos milites continuit. Deinde fatigatum iam hoſtem, a quatuor portis eruptione facta, ſtrauit, accepit. Hunc quoque timorem Cæſar aduerſus Gallos bellum gerens ſimulauit. Quippe qui, quum hoſtes iniquo loco, hoc eſt, inter vallem & riuum conſpicatus eſſet, & quia magnum diſcrimen imminere videbatur, paruis copiis dimicare conſtituit, & quam æquiſsimo loco potuit, caſtra communiuit, eo quidem conſilio, vt magno contemptui hoſtibus eſſe poſsit, & ſi forte timoris ſimulatione hoſtes in ſuum locum ducere poſſet, vt citra vallem pro caſtris prælio contenderet. Si autem id efficere non poſſet, vt exploratis itineribus minore cum periculo vallem, Riuumque tranſiret. Prima autem luce hoſtium equitatus ad caſtra accedit, præliumque cum Romanis equitibus committit. Cæſar autem conſulto equites cedere, ſeque in caſtra retinere iubet, ſimul ex omnibus partibus caſtra altiori vallo muniri, portaſque obſtrui, atque in his adminiſtrandis rebus, quam maxime concurſari, & timoris ſimulatione agi iubet. Quibus hoſtes inuitati, copias traducunt, aciemque iniquo loco conſtituunt. Romanis etiam vallo deductis propius accedunt, telaque intra munitionem ex omnibus partibus conijciunt, preconibuſque circummiſsis pronunciari iubent, ſeu quis Gallus, ſeu Romanus velit ante horam tertiam ad ſe tranſire ſine periculo liceret, poſt id tempus non fore poteſtatem, ac ſi Romanos contempſerunt, vt obſtructis in ſpeciem portis, ſingulis ordinibus ceſpitum, quod eas non poſſe introrumpere videbantur. Alij manu vallum ſcindere, alij foſſas complere inciperent. Tunc Cæſar omnibus portis eruptione facta, equitatuque emiſſo, celeriter hoſtes in fugam vertit, magnum ex his numerum occidit, ac omneis armis exuit. Labienus quoque huiuſcemodi timoris ſpecie hoſtem decepit. Nam nocte tribunis militum primiſque ordinibus conuocatis, quid ſui conſilij ſit, proponit, & quo facilius timoris ſpeciem hoſtibus præbeat, maiore ſtrepitu, & tumultu, quam populi Ro. ferret conſuetudo, caſtra munire iubet. Hiſce rebus fugæ ſimilem profectionem fecit. Hæc per exploratores ante lucem in tanta caſtrorum propinquitate ad hoſtes deferuntur. Vix nouiſsimum agmen extra munitiones proceſſerat, quum Galli inter ſe cohortati, ne ſperatam prædam ex manibus dimitterent, longum eſſe perterritis Romanis, Germanorum auxilia expectari, neque ſuam pati dignitatem, vt tantis copijs, tam exiguam manum, præſertim, fugientem, ac impeditam adoriri, non audeant, flumen tranſire, & iniquo loco prælium committere, non dubitent. Erat enim inter Labienum & hoſtem difficili tranſitu flumen, ripiſque præruptis. Labienus autem omneis citra flumen elicere conſtituit, eadem vſus itineris ſimulatione, quiete progrediebatur, tum præmiſsis paululum impedimentis, atque in quodam tumulo collocatis, habetis (inquit) milites, quam poteſtis facultatem. Hoſtem impedito ac iniquo loco tenetis. Præſtate eandem nobis ducibus virtutem, quam ſæpe Imperatori præſtitiſtis, atque illum adeſſe, & hæc coram cernere exiſtimate, ſimulque ſigna ad hoſtem conuerti, aciemque dirigi iubet, & paucis turmis præſidio ad impedimenta dimiſsis, reliquos equites ad latera diſponit. Romani celeriter clamore ſublato, pila in hoſtes immittunt. Illi vbi præter ſpem, quos fugere putabant, infeſtis ſignis ad ſe ire viderunt, impetum modo ferre non potuere, ac primo concurſu in fugam conuerſi, proximas ſiluas petiere. Quos labienus equitatu perſecutus, magno numero interfecto, compluribus captis, paucis poſt diebus ciuitatem eorum recepit. Hæc enim omnia Ducis prudentia facta videmus. Qui ſuo ingenio, & militum robore fretus, non oſtentationem alicuius rei, non audaciam, non fortitudinem, non vires ad deterrendum hoſtem, ſed timorem oſtendit, de victoria velut optimus Imperator certior effectus, quod ſecus Curio effecit, hinc cum vniuerſo exercitu cæſus fuit, Hic autem ingenio, prudentia victoriam adeptus.

De multiplici dolo eiuſdem temporis. Cap. IX.

DVPLICEM enim dolum, alterum celeritas, alterum vero duorum exercituum caſtra dediſſe, nouimus, atque eodem tempore & eiſdem Ducibus. Quo quidem bello Claudius Nero, & Liuius Salinator Conſules creati fuere. Annibal tunc cum copijs in Brutio agro ſedebat. Frater autem eius Aſdrubal magno exercitu iam Alpes ſuperauerat, qui ſuas fratris copijs iungere volebat, quod de Romano Imperio (multorum iudicio) actum eſſet. Ipſe autem Aſdrubal quatuor Gallos equites, & duos Numidas cum literis ad Annibalem minus feliciter miſit. Cumque per medios hoſtes, ac totam fere Italiæ longitudinem emenſi eſſent (vt Liuius latiſsime narrat) Dum Metapontum cedentem Annibalem ſequuntur, incertis

itineribus tarentum delati, a Vagis per agros pabulatoribus Romanis excipiuntur, & ad Q. Claudium pro prætorem deducuntur, eoſque vera fateri coegit. Edocuerunt literas ſe ab Aſdrubale ad Annibalem ferre. Cum his literis ſignatis L. Virginio tribuno militum ad Claudium Conſulem deducendi traduntur, tuto Samnitium præſidio, qui vbi ad Conſulem peruenere, literæ per interpretem lectæ ſunt. Re autem cognita, de toto exercitu ciuium, & ſociorum robur delegit, ſex milia peditum, & mille equites, fingit ſe pronunciando in Lucanos proximam Vrbem occupare velle, vt ad iter omnes parati eſſent, nocte profectus, in picenum flexit. Et quantis maximis itineribus poterat ad collegam ducebat. Caſtris relicto Q. Tatio legato.

Rem Romanam in magno periculo poſuit, ſi Annibal hoc præuidiſſet, quod miror rem vigilantiſſimo Duci occultam fuiſſe. Nam per caſtra Teſſera ab ipſo Liuio Salinatore data erat, vt in collegæ aduentu, Tribunus, Tribunum, Centurio Centurionem, eques, equitem, pedes peditem acciperet, neque caſtra dilatari opus eſſe, quæ ego vidi, nec hoſtis alterius Conſulis aduentum ſentiret. Et coartatio plurium in anguſto tendentium facilior fortuna erat. Quod Claudij exercitus præter arma nihil ſecum in expeditionem tulerat. Nam ad Senam alterius Conſulis caſtra erant. Quorum locum quum ego conſideraſſem, his temporibus parum tutum eſſe propter tormenta arbitratus ſum. Quam partem caſtrorum, quæ ad orientem ſpectat, flumen alluit, & commode quidem, ſed periculum imminet, quia vltra flumen collis exiſtit, vnde tormentorum pilæ in caſtra demitti poſſunt. Sed temporibus illis tuta. cætera foſſa & vallo cinguntur. Foſſa adhuc viſitur, ſed minime vallum. Inde quingentos fere paſſus Aſdrubal aberat. Itaque quum Claudius appropinquaret, montibus tectus ſubſtitit, nocte vero ſilentio caſtra ingrediuntur, & a ſuis quiſque ordinis hominibus in tentoria ducuntur, & omnes ſumma lætitia hoſpitantur. Claudius autem ſine mora cum hoſte conferendum eſſe multis rationibus ducit, extemplo ſignum dandum, & in aciem exeundum, abutendumque abſentium hoſtium errore, præſentiumque, dum neque illi ſciant cum paucioribus, nec ij cum pluribus & validioribus rem eſſe. Signum pugnæ proponitur, confeſtimque in aciem procedunt. Iam hoſtes ante caſtra inſtructi ſtabant. Pugnæ moram attulit, quod Aſdrubal prouectus ante ſigna cum paucis equitibus, hoſtium ſcuta vetera notauit, quæ ante non viderat, & ſtrigoſiores equos, multitudo quoque maior ſolita viſa eſt, id, quod erat, ſuſpicatus, receptui propere cecinit, ac miſit ad flumen, vnde aquabantur, vbi & aliqui excipi poſſent, & oculis notari, ſiqui forte aduſtioris coloris, vt ex recenti via eſſe, ſimul circumuehi procul caſtra iubet, ſpecularique num auctum ſit aliqua parte vallum, & vt animaduertant ſimul, bis ne ſignum in caſtris canat. Quumque omnia ordine relata eſſent, caſtra nihil aucta, errorem faciebant, cætera eadem eſſe. Sed illud veterem Ducem Romanoque hoſti aſſuetum mouit, quod ſemel in prætorijs caſtris ſignum, bis in conſularibus referebant, ceciniſſe, duos Conſules eſſe, & quonam modo alter ab Annibale abſceſſiſſet, cura augebat, minime id, quod erat, ſuſpicari poterat, tantæ rei fruſtratione Annibalem eluſum, vt vbi Dux, vbi exercitus eſſet & quo cum caſtra collata haberet, omnino ignoraret. Hæc, & alia multa pœnus diſſerebat, quibus anxius extinctis ignibus, prima vigilia dato ſigno, vt taciti vaſa colligerent, ſigna efferri iuſsit.

Quod ſuæ cladis cauſa fuit. Debebat enim in caſtris manere, donec aliqua ratione fratrem, ſi non terra, mari, quod facile erat, certiorem de omnibus rebus reddere. Siquidem in trepidatione, ac nocturno tumultu Duces parum intente aſſeruari, alter in deſtinatis iam inde ante animo latebris ſubſedit, alter per nota vada Methaurum flumen tranauit. Itaque deſertum a Ducibus agmen fuit, aliquot ſomno vigilijſque feſsi, corpora paſsim ſternunt, ac ſigna relinquunt. Aſdrubal autem quum illuxiſſet, Ripa fluminis ſigna ferri iubet, & per Toruoſi Amnis ſinus, flexuſque cum errore voluens, non multum proceſsiſſet, vbi prima lux tranſitum opportunum oſtendiſſet, tranſiturus erat. Sed quum quantum a mari abſcedebat, Tanto altioribus coercentibus Amnem ripis, vada non inueniret, diem terendo, ſpatium ad inſequendum dedit. At Nero primum cum omni equitatu aduenit, Deinde Portius cum leui armatura aſſecutus, qui quum feſſum agmen ab omni parte carperent, ac incurſarent, & iam omiſſo itinere, quod fugæ ſimile erat. Pœnus in tumulo caſtrametari ſuper fluminis Ripam vellet, Liuius cum omnibus peditum copijs aduenit, non itineri modo, ſed ad conſerendum extemplo prælium inſtructis atque armatis. Sed vbi omneis copias coniunxerunt, acieſque directa eſt. Claudius dextro cornu, Liuius a ſiniſtro pugnam inſtruit, media acies prætori tuenda datur. Aſdrubal omiſſa munitione caſtrorum, poſtquam eſſe pugnandum vidit, copias inſtruit, in prima acie ante ſigna Elephantos collocat, circa eos leuo cornu aduerſus Claudium Gallos opponit. Ipſe dextrum cornu aduerſus Liuium ſumpſit. Ligures in medio poſt Elephantos poſiti. Sed longior quam latior acies erat. Atrox prælium committitur. Hinc inde multi ceciderunt, demum hoſtes profligati ſunt, & cæſi. Denique quum haud dubia hoſtium fortuna eſſet, ne tanto exercitui ſuum nomen ſecuto ſupereſſet, concitato equo ſe in Romanam cohortem immiſit, accerrime pugnans, cecidit. Quæ quidem res magis errores & fortunam, quam virtutem meo iudi-

cio complectitur. Inde Annibalis error, qui regionem male cuſtodiuit, hinc Aſdrubalis, qui prima caſtra deſeruit, iter arripiens, quo magnum diſcrimen imminere ſolet, illinc Claudij periculum, ſi hoſtis animaduertiſſet, quod facile erat id ſcire ex tot militum motu. Hinc fortuna vtriſque conſulibus ſecunda fuit, atque Romanę Vrbi, quam Claudius magno periculo expoſuit, gratias igitur ſibi Romani referre poſſunt, quod tanta res proſpere ceſſit. Quid enim ſi Annibal preuidiſſet? nonne illa Romana caſtra cum omnium cęde diripuiſſet? Deinde Claudium inſecutus fuiſſet? atque hinc ille, inde frater in vtriuſque medio, Romanum exercitum cecidiſſet? Magnum igitur beneficium fortunę vtriſque Ducibus omnino fuit, cui gratias Romani habere potuiſſent. Quod res ita ſibi ceſſit. Quare nec fruſtra tot Romę queſtus edebantur ab omnibus, quia Conſul ille rem. p. in magnum diſcrimen poſuit, vt facile conijci poteſt. Verum hoc Annibali omnem vincendi ſpem ademit, ac vires debilitauit, animumque fregit.

FINIS SEPTIMI LIBRI.

AD EMANVELEM PHILIBERTVM SERENISSIMVM ET INVICTISSIMVM SABAVDIAE DVCEM ETC.

DOMINICI CYLLENII, GRAECI DE DISCIPLINA MILITARI.

LIBER OCTAVVS.

De re nauali. Cap. I.

QVAMQVAM animum cœleſtem & ex altiſsimo Dei Domicilio depromptum in terramque demerſum locum quidem diuinæ naturæ contrarium, ac in his corporis compagibus incluſum, quodam neceſsitatis munere, grauique opere perfungentem videmus, O. P. tamen a ſuæ naturæ diuinitate haudquaquã diſcedere, quin magis ac magis indies aliquid videre, ſcireque deſiſtat, tantus ſibi rerum cognitionis amor innatus, & ſcientiæ cupiditas inceſsit. Qui quidem nullo emolumento inuitatus ad eam rapi perſpicitur. Qua re plerique clariſsimi viri adducti, ſummo ingenio nitentes, multas Orbis partes peragrarunt, nulli indulgentes labori, vt de Platone legimus. Quippe qui Ægyptum peragrauit, vbi ab eius gentis Sacerdotibus multiplices Geometrię numeros, cęleſtiumque obſeruationem rationum percepit. Nilique fluminis inexplicabiles ripas vaſtiſsimoſque campos, flexuoſoſque foſſarum ambitus Ægyptiorum ſeniorum veluti diſcipulus, Athenis magiſter, luſtrauit. In Italiam quoque tranſgreſſus, vt ab Archyta Tarenti, a Timæo, Arione, Ceto, locris, Pythagoræ præcepta ac inſtituta acciperet. Idem de Pythagora, Democrito, Carneade, Anaxagora, Socrate, & Iſocrate, ac aliјs dicere poſſumus. Quibus tantus ſcientiæ ardor inceſsit, vt a rebus humanis omnino abhorrere viderentur. Quumque nos etiam multa de bellicis rebus terra geſtis diſſeruiſſemus, natura impellit, vt cupidius ad ea, quæ mari bella geri ſolent, progrediamur, vt vtrique elemento ſatisfiat, ne quid virtus minus perfectum relinquat. Nam id diſcrimen natura, quod inter vtrunque eſſe perſpicitur, idem inter vtriuſque prælia eſſe credatur. Atqui terra longe mitiora, minorique periculo geri. Mari autem ſæuiora, quia ferro, igni, aqua certamen committitur, nulla euadendi ratio mortalibus perhibetur. Nam etſi humanæ vitæ, alendi ratio, plurimum neceſſaria ſit, tamen multa mala minatur. Imbres quidem ſubeunt, in grandines rigeſcunt, in fluctus tumeſcunt, atque torrentes pręcipitantur. Aer quoque nubibus denſatur, ac furit procellis. Terram autem hominum ſedem firmam, & ſolidam, omnium rerum princeps, & autor, eſſe voluit. Hęc omnia ad eorum victum neceſſaria multiplici fœnore ferre videtur. Eſt enim hominum ſicut Dei cœlum, quæ eos naſcentes excipit, natoſque alit, ſemelque editos ſuſtinet. Poſtremo ſuo gremio complectitur, hæc benigna, mitis, indulgens, vſus mortalium ſemper ancilla. Hæc bona fide creditum reddit fœnus, homini nunquam, vt alia elementa, iraſcitur, ſed ei prope omnium incommodorum ſalutem & adiumentum præſtat. Itaque tantum mari, terraque prælia differunt, quantum alterum ab altero natura diſtat. Nam profligato terreſtri Marte militi aliqua ſpes ſalutis eſſe poteſt, vt fuga, latebra, ac aliqua in eum hoſtis pietas maior. At nauali prælio vlla, quia cum multiplici hoſte (vt dixi) pugnare neceſſe eſt, vt ferro, igni, aqua, & aeris tempeſtatibus, terreſtribus longe ſæuioribus, ac denique immaniore hoſte. Nam mari degentibus (vt Cenſorius Conſul legatis Carthaginenſium de delenda eorum Vrbe ſuadebat) a natura datum eſſe aliquod maius ſemper deſiderare. Sunt enim nautæ terram colentibus crudeliores, hinc immanius eſſe bellum opus eſt. De quo iam aliquid diſſerendum eſt, maxime de eius ordine, cuius ſpecie Imperator vti poterit, vt terra conſtrui ſolet. Quocirca prælio nauali ipſum pugnaturum loci naturam ſpectare oportebit, lunęque ſpecie (vt figura conſtabit) ad hoſtium claſſem circumueniendam vti poterit. Sunt & alię ſpecies, quę figuris oſtendentur. Habet enim

naturalis ordo, vt terreſtris, dextrum cornu & leuum, & iugum. Nam robuſtiora ligna, vt naues roſtratę in cornibus, maxime lateribus collocantur, medio autem infirmiora, &, vt ſeſe hoſtium claſſes ad pugnam obtulerint, tuas inſtruere poteris. Cæſar autem nauali prælio aduerſus Alexandrinos hoc ordine vſus fuit. Quippe qui Pharo claſſe circumuectus aduerſas naues hoſtibus conſtituit. In dextro cornu Rhodias veluti robuſtiora nauigia collocat, quibus Euphranor Rhodius, vir ſtrenuus, præerat, qui quidem totam prælij molem ſuſtinuit, animi magnitudine, atque virtute (vt dicebat Cæſar) Romanis conferendum eſſe. In leuo ponticas, ſed inter has ſpatium quingentorum paſſuum reliquit, quod ad explicandas naues ſatis eſſe videretur. Poſt hunc ordinem reliquas naues ſubſidio diſtribuit, quas quiſque ſequatur, & cui ſubueniat, conſtituit. Quo in omni pręliorum genere opus eſſe video, ſine quo Dux minime conſerere audeat, quia feſſis ſemper ſuccurrendum eſt. Ipſe autem Euphranor vbi Cęſaris animum animaduertit, videris (inquit) Cęſar vereri, ſi hęc vada primus nauibus intraueris (erant enim inter duas claſſes vada tranſitu anguſto) quę ad Africę regionem ſpectant. Ne prius dimicare cogaris, quam reliquam claſſem poſsis explicare. Nobis Rhodijs pręlium committe, idque nos ſuſtinebimus. Neque profecto tuum iudicium fallemus, dum reliqui ſubſequantur. Cęſar autem multis laudibus eum proſecutus, pręlium ſibi committit, atque ad rem ſtrenue gerendam adhortatus, dat pugnę ſignum, progreſſus vltra vadum quatuor Rhodias naues Alexandrini circumſiſtunt, atque in eas impetum faciunt. Illi ſuſtinent, ac arte ſolertiaque ſe explicant, atque tanta peritia Euphranor valuit, vt in diſpari numero nulla tranſuerſa hoſti obijceretur. Nullius nauca decederent, ſed ſemper venientibus aduerſæ occurrerent, interim reliquæ ſubſecutæ ſunt. Tum neceſſario ab arte diſceſſum eſt, propter loci anguſtias, atque omne certamen in virtute conſiſtit. Denique hoſtium triremes cum defenſoribus capiuntur, tres deprimuntur, Cæſarianis incolumibus omnibus, reliqui propinquam fugam ad oppidum capiunt, Itaque arte ac ingenio Euphranoris Rhodij Cæſar victoriam adeptus fuit. Sed quæritur, quo loco pugnare præſtat, an in alto, vel prope litus claſſem locare. Hoc ſatis illa nauali pugna inter Romanos & Carthaginenſes declaratur. Nam Carthaginenſium naues altum tenebant, per quod longe, lateque pro eorum libidine diſcurrere poterant. Si enim aliqui eorum ab hoſtibus premebantur, confeſtim nauium celeritate freti in altum euadebant, & ſi forte hoſtes ſequebantur, in eos plurimæ ſimul conuerſæ eadem celeritate circumueniebant, ac maximas clades inferebant, nonnullas ſummergebant, ſiue aliqui ex ſocijs periclitabantur, confeſtim ſine labore atque periculo aduerſis puppibus in altum nauigantes præſidium ferebant. Sed Romanis maxima proximum littus impedimenta afferebat. Nam in arcto coacti, neque refugere, quum opus erat, neque ſeipſos tutari, neque laborantibus ſuccurrere poterant, & quod in bello nauali præcipuum haberi ſolet, per medios hoſtes præterlabi, ac deinceps in pugnantes impetum facere, Romanis nulla dabatur facultas. Conſul igitur quum rem in deterius labi cerneret ac retro referri, nauibus partem in littore confractis, partim etiam ſummerſis, deſperatis ad extremum rebus, primus omnium fugam arripuit. Quod ex eius imperitia nauali accidit, quia prope litus claſſem inſtructam retinuit, quum altum petere debuiſſet. Nam qui prope litus claſſem inſtruit, de fuga eum cogitare, certum eſt. Ex omni claſſe enim circiter triginta naues, quæ huic forte propinquæ erant, eum ſecutæ ſunt. Reliquæ omnes tres & nonaginta numero in Carthaginenſium poteſtatem venere. Præterea copiæ omnes captæ, his exceptis, quæ prouectis in terram nauibus, perierant. Aderbal autem Dux pœnorum magnam, ijs rebus feliciter geſtis, laudem apud ipſos Carthaginenſes meruit, quia ſingulari prudentia, & animi magnitudine omnia proſpere geſsit. Appius vero Claudius Conſul merito a Romanis contumelijs & virgis affectus fuit, quum rem tam imprudenter geſsiſſet, & Romanum Imperium in ſummum diſcrimen adduxiſſet. Tandem conſulatu abdicatus, ſumma cum ignominia in iudicio concidit. Quare multis de cauſis (vt dictum eſt) Dux diſcat tutius eſſe, in altum deducere claſſem ad pugnam, quam in littus ſubducere. Vbi multa diſcrimina imminere videntur. Primum ſpes fugę, deinde milites ſegnius pugnant, atque alia, quæ ſuperiori loco dicta fuere.

De capiendis Vrbibus nauali pugna. Cap. II.

QVVM terreſtri prælio Vrbem capere, maxime his temporibus propter tormenta difficile eſſe videatur, ſed nauali pugna difficilius, quia huic multa commoda deſunt, quibus ſuperius prælium abundat. Sed ingenioſo Duci nihil arduum ac difficile eſſe video, vt hic magni Alexandri in capiendam Tyrum, Vrbem maritimam munitiſsimam exemplum ſeſe offert. Nam ipſe binas quadriremes inter ſe ita iunxit, vt proræ cohærerent, puppes autem interuallo, quantum capere poterant, diſtarent, hoc puppium interuallum, Antennis, aſſeri-

buſque validis deligatis, & ſuper eos pontibus ſtratis, quo milites ſubſiſterent, ſic inſtructas quadriremes impleuerant, ad Vrbem agebant, quæ tandem ſeptimo ſuæ obſidionis menſe hoc pontis genere capta fuit. Romani autem (Duillo Conſule) hanc Machinam, coruum nomine, fabricarunt. Lignea enim columna proris inerat, quatuor vlnarum longitudine, latitudine palmorum trium, in eius faſtigium rota conſtituta erat. Preterea huic tabulæ inhærentes ſchalas fecere, quarum latitudo erat quatuor pedum, longitudo ſex Vlnarum. Foramen tabulati per longitudinem erat, Schalæ ab vtroque latere vſque ad genu munitę. In ligni extremo ferrum erat ad ſimilitudinem mali peracutum. Præterea anulus fune alligatus, vt hęc Machina Machinis frumentarijs ſimillima videretur. Igitur ſimul hoſtium naues auertebat laxato fune ſchalę dimittebantur. Ferrum pendere ac vi ligari ſuper hoſtium nauim delapſum figebatur, ſi prora aduerſa erat, bini milites per ſchalas deſcendebant, dum primi pręferentes ſcuta, reliqui latera ſcutis protecti. Si vero obliqua erat hoſtium nauis, in ea ex tota pariter naui deſiliebatur. Quocirca hiſce machinis paratis nauale pręlium inter Romanos & Carthaginenſes committitur, Annibale eorum Duce, Carthaginenſium multi trucidati, alij nauium machinis perterriti ſeſe hoſtibus dediderunt, triginta Carthaginenſium naues, quæ primę aduerſus Romanos impetum fecerant, captę, inter quas fuit illa ſeptiremis Pyrrhi Regis. Hęc erat pretoria Annibalis, qui pręter ſpem & opinionem ſuam aduerſis rebus in ſcapham proſiliens fuga ſaluti ſuę conſuluit. Quam ob rem Carthahinenſes nouitate coruorum perterriti, in fugam vertuntur, quinquaginta nauibus in pręlio amiſsis. Huc quoque id pręclarum Rhodiorum facinus accedit. Nam Carthaginenſes lylibeo a Romanis obſeſſo, in quo eorum pręſidium erat, quid ageretur, magnopere cuperent, ſed adeo obſidebatur, vt neque ingredi quiſquam, neque egredi valeret, voti compotes nullo modo fieri poterant. Sed eo tempore quidam Rhodius, nomine Annibal, vir clarus ac militię peritus, maxime naualis, cognito pœnorum deſiderio, ſeſe naui inuitis omnibus lylibeum additurum pollicitus, ac omnibus rebus inſpectis Carthaginenſibus renunciaturum. Id etſi hilari animo pœni audirent, tamen quia Romana claſsis in ipſis prope portus faucibus erat, impoſsibile eam rem eſſe arbitrabantur. At Rhodius intrepide deducta naui, proficiſcitur. Quumque in proximam inſulam, quę contra lylibeum eſt, appuliſſet, poſtridie ſecundam auram nactus, lylibeum nauigat, ſpectantibus Romanis, atque omni conatu eius profectionem impedire laborantibus, portum ingreditur. Qui quidem cuncta, quę animo conceperat, perfecit. Sed alter Romanorum Conſul tantam viri audaciam admiratus, quo abeuntem intercipere poſſet, per noctem decem velociſsimas naues in portus faucibus continet, quum ijs Rhodij diſceſſum ipſe quam diligentiſsime obſeruauit, hoc ipſum reliquas copias facere iubet. Naues igitur, quę in faucibus portus erant, ex vtraque parte proxime paludem extenſis remis Rhodię claſsis aduentum expectabant, hanc e veſtigio in eorum poteſtatem venturam rati. Sed Rhodius non per noctem, neque ex abdito, ſed palam medio die per medias hoſtium naues, adeo inſtructas, paratasque audacia ſimul ac celeritate fretus, omnium admiratione pręteruectus eſt. Nec euaſiſſe contentus Gręcus ille fuit, quo pręclarius quicquam in re nauali viſum fuit, vbi paululum Romanos pręterit, conuerſa prora eos prouocauit, nemine omnium in tanta nauium multitudinę ob nimiam eius nauis celeritatem eum adire auſo. Rhodius vna claſſe quaſi triumphatis hoſtibus Carthaginem rediit, ſenatuique omnia, quę viderat, nunciauit. Sed hoc temporibus iſtis propter tormenta audere, perdifficile eſſet. Verum meis temporibus memini prope id accidiſſe. Nam me in Creta exiſtente, eo tempore, quo Turcarum princeps Rhodum magnis copijs terra marique obſideret, quidam equeſtris ordinis Diui Ioannis, paruo nauigio, inuitis omnibus, Rhodum ingreſsi ſunt, non autem (vt ille) regreſsi, quos ego vidi, atque eos allocutus ſui. Difficile eſt enim in eiuſmodi rebus portum ingredi, ſed difficilius propter maiorem hoſtium cuſtodiam egredi. Quocirca ſiue princeps, ſiue ſenatus, tempore belli naues celeres, ſiue triremes ad id aptas ędificari iubeat, vt Cæſar, qui pugnam naualem commiſſurus, naues ac triremes ad id bellum idoneas parare ſtatuit. Qui quidem ab hibernis diſcedens in Italiam (vt quotannis facere conſueuerat) venit, legatis imperat, quos legionibus præfecerat, vt quam plurimas poſſent naues hyeme ædificandas, vetereſque reficiendas curarent, earum rationem ac formam oſtendit, ad celeritatem onerarijs ſubduciores, pauloque humiliores, quam quibus in noſtro mari vti conſueuimus, atque ideo magis, quod propter crebras commutationes æſtuum, minus magnos fluctus ibi fieri cognouerat, ad onera & multitudinem iumentorum transportandam paulo latiores, quam quibus in reliquis vtimur maribus, has omneis actuarias fieri imperauit, quam ad rem humilitas plurimum adiuuat. Ea vero, quæ ſunt vſui ad armandas naues ex Hiſpania apportari iuſsit. Quam quidem rationem quiſque princeps pugnam naualem commiſſurus, habere debet. Sed quia plerunque Remiges deeſſe videntur, ad hoc munus obeundum rudes, Romani ſic exercebant. Subſellijs enim in arena per ordinem diſpoſitis, Remiges inſidentes, qui in eorum medio erat, omnes vna protendere brachia ac reducere, remoſque per arenam mouere pariter docebantur, & ad illius vocem ſimul omnes incipiebant, ſimulque de-

ſinebant. Hoc modo nauigandi artem edocti, interea perfectis nauibus mare ingreſsi, poſt paucos dies veram in vndis periculum fecerint, quod maxime illis prodeſſe videtur, qui remigum delectu carent. Cuius quidem plerunque principes ad inſtruendam claſſem magis indigent, quam militibus, quia hoc munus tanti laboris & humilitatis eſſe videtur, quod pauci id obire volunt, niſi fortaſſe coacti. Quod autem nauium celeritas prodeſſe videatur, eſt ipſius Cęſaris monumentum, qui quum nauium multitudinem in Britannos ducere conſtituiſſet, nec in littore milites, tum iniquitate loci, tum etiam armatorum multitudine deſcendere poſſent, quod quum Cęſar animaduerteret, naues longas, quarum & ſpecies Barbaris eo tempore minus ſolita, & motus ad vſus expeditior, paulum ab onerarijs remoueri nauibus, & remis incitari, & ad hoſtium apertum latus conſtitui, atque inde fundis, tormentis, ſagyttiſque hoſtes propelli, ac ſubmoueri iuſsit. Tandem paululum pedem retulere, ſed pręclarum Aquiliferi facinus ſubſequitur. Cunctantibus enim militibus, maxime, propter maris altitudinem, qui decimę legionis Aquilam ferebat, Deos conteſtatus, vt ea res religioni feliciter eueniret, deſilite (inquit) milites, niſi vultis Aquilam hoſtibus prodere. Ego certe meum rei. p. & Imperatori officium pręſtitero. Hoc quum magna voce dixiſſet, ſe ex naui proiecit, ac in hoſtes Aquilam ferre coepit. Quare eum cęteri ſecuti ſunt, & acre pręlium cęptum fuit. Iamque nauis celeritas ad pręlium plurimum profuit. Nunc autem alia pugnandi ratio occurrit. Bello enim punico dum Carthago a Scipione obſideretur, quinque Sidetorum naues ob eorum in Scipionem beneuolentiam eum ſecutę fuerant, hoc modo pugnam inierunt. Nam ex ingenti interuallo Anchoras mari inijciebant, inde longiſsimis funibus annixę in hoſtes ferebantur, quum autem ſe illis miſcuiſſent, iterum funes proſecutę, & in puppes conuerſę, ad ſuos remeabant, demum roſtro prouectę in hoſtes, iterum per puppes retro trahebant. Quod quum a cęteris perſpectum eſſet, mulus Sidetorum morem imitati, facillime inſequentes hoſtes repellebant. Carthaginenſium vero naues quotquot reliquę illis ſuperfuerant, arepta fuga Carthaginem repetunt. Hanc quidem dimicandi rationem onerarijs nauibus plurimum prodeſſe arbitror, quia ſua graui mole, deficiente vento, difficile, aut cum labore feruntur in hoſtes, & etiam vt earum latera verti poſsint, ad emittenda in hoſtium naues tormentorum pilas, quia haud ſtante vento, ſuo pondere minime agi poſſunt. Grauitatem autem nauium obeſſe, celeritatem prodeſſe, hoc bello inter Auguſtum & Antonium, auxiliante Cleopatra, cerni poteſt, quia Auguſtus propter ſuarum nauium celeritatem victoriam adeptus fuit. Huc quoque id Artemiſię Reginę in Rhodios pręclarum facinus accedit. Nam poſt Mauſoli, viri ſui obitum, ipſa poſt eum regnante, indignati Rhodij, quod fœmina omnibus Cariæ ciuitatibus imperaret, eo inſtructa claſſe ad ipſum Regnum occupandum, nauigarunt. Quod quum Reginæ perlatum eſſet, iuſsit, vt in eo portu armatæ naues occultis remigibus laterent. Reliquis autem ciuibus in mœnibus eſſe Imperauit. Sed quum Rhodiorum naues in maiore portu ſtationem haberent, ſtatuit Artemiſia, vt ciues in muris lætitiam præ ſe ferrent, Rhodijſque ciuitatem pollicerentur. Qui Vrbem quum ingreſsi eſſent, nauibus militibus vacuis relictis, Artemiſia ſubito foſſa peracta in minore portu claſſem in altum deduxit, atque in maiorem portum ingreſſa, poſitis militibus & nautis in vacuis Rhodiorum nauibus, in altum deduxit. Itaque quum nullus Rhodijs ſalutis locus eſſet, obcluſi in medio foro occiduntur. Artemiſia autem in Rhodiorum nauibus cum ſuis militibus & nautis Rhodum nauigauit. Rhodij autem quum procul ſuas auratas naues cognouiſſent, ad ſe nauigare, ſuos ciues victores reuerti arbitrantes, hoſtes recęperunt. Qui capta ciuitate, principes interfecerunt, erectoque in foro Tropheo, duas æreas ſtatuas fieri iuſsit. Altera Rhodiorum ciuitatem ſignificabat, altera vero eius imaginem, quod ſignificabat ciuitati ſtigmata impoſuiſſe. Sed ſiquis paruam claſſem ad decipiendum hoſtem oſtendere vellet, hoc traſibuli vti poterit commento, qui vt hoſtibus oſtenderet ſe paruam claſſem habere, iuſsit, vt duæ naues iungerentur, & mutuis funibus ligatę, vno velo nauigarent. Hoc modo media claſsis pars hoſtibus occulta fuit. Si enim nauis fluctibus laboraret, hoc Gabrię vtendum eſſe conſilio placet. Qui quidem naui fluctibus laboranti duos præter alium clauos inſtituit, quos præfectus naui paratos in tali periculo habere debet. De quibus hactenus, deinceps loco ſuo multiplici naualis ordo figura conſtabit, terreſtri fere ſpeciei perſimilis, ſed prius de ratione traijciendi fluminis diſſerendum eſſe exiſtimaui.

De ratione tranſeundi fluminis cum copijs, ac diuerſo pontium genere. Cap. III.

VBI res mari geſtas ſuperiori loco diſſeruiſſemus, huic proximas iam narrare operæprecium eſſe video, quibus quidem rationibus copiæ flumen tranſire debeant. Nam ſicut copijs in itinere negligentia Ducis multa pericula imminere ſolent, vt ab hoſtibus facile profligentur, ita eiſdem in fluminis tranſitu laborare. Quocirca multa Duci ſunt animaduertenda. Primum quidem ſi aqua violentior fuerit, aut Alueus altior, quia impedimenta, pueros, ac ignauos milites plerunque obruere ſolet. Quam ob rem explorato vado, duę equitum acies delectorum eligantur, idoneis interuallis ad inuicem ſeparatę, ac per medium pedites & impedimenta tranſeant. Nam ſuperior acies impetum aquarum frangit, inferior vero raptos ſummerſoſque colligit, ac tranſponit. Sed quum altior fluctus, nec equites, nec pedites tranſire patiatur, ſi per plana decurrat, ductis multis foſsis, ſpargitur, diuiſus facile tranſiri poteſt, aut per loca alia concaua, aut per alium fluuium deducatur, ſed melius eſt, pontem, ſi locus patiatur, inijcere; vt & ipſa tormenta, in quibus, his temporibus, totum copiarum robur conſiſtit, tranſuehi poſsint. Quare neceſſe eſt, pontem firmiſsimum ad vniuerſas copias tranſuehendas ædificare, maxime tormenta. Reliquis vero facilis tranſeundi datur facultas. Nam expediti equites faſces de Arundinibus aridis facere conſueuerunt, ſuper quos loricas ac cætera arma imponebant ipſi, & equi natando tranſibant, colligatoſque ſecum faſces ſarcinis pertrahebabant. Sed Hiſpani, Duce Annibale, ſine ponte Rhodanum hoc modo traiecere. Quippe qui in vtres veſtimentis contectis, cetris ſuppoſitis incubantes flumen tranſnatarunt, reliquus exercitus iunctis ratibus traiecit. Quod ab Alexandro inuentum fuit, quum flumen Oxum traieciſſet. Sed quia in altera ripa ſæpe hoſtes prohibent, vt nulla tranſeundi detur facultas, tunc eos aliqua arte fallere oportet, qua præcipue Alexander Magnus, quum Hidaſpem amnem tranſire vellet, vſus fuit. Nam porus Rex Indię in vlteriore Hidaſpidis ripa conſederat, tranſitu Alexandrum prohibiturus. Quinque & octoginta Elephantos obiecerat; ac currus trecentos, peditum fere triginta milia. In quibus erant ſagyttarij grauioribus telis, ipſumque vehebat Elephantus ſuper cæteras belluas eminens, arma auro, argentoque diſtincta corpus miræ magnitudinis honeſtabant, corporis robori par animus, & quanta inter rudes poterat eſſe ſapientia Macedonas, non conſpectus hoſtium ſolum, ſed etiam fluminis, quod tranſeundum erat, magnitudo deterrebat. Quatuor in latitudine ſtadia diffuſum, profundo alueo, & nuſquam vada aperiente, vaſti maris ſpeciem faciebat. Nec pro ſpatio aquarum late ſtagnantium impetum coercebat. Sed quaſi in arctum coeuntibus ripis, & torrens, & eliſus ferebatur, occultaque ſaxa inesſe oſtendebant, pluribus locis vnde repercuſſæ, terribilior erat ripæ facies, quam equi, virique compleuerant, ſtabant ingentes vaſtorum corporum moles, & de induſtria irritatæ, horrendo ſtridore aures fatigabant. Hinc hoſtis, hinc amnis, capacia quidem bonæ ſpei pectora, ſæpeque ſe experta, in prouiſo tamen pauore percuſſerant. Rates enim inſtabiles, nec ad ripam dirigi, nec tuto applicari poſſe credebant. In medio vero Amne inſulæ crebræ erant, in quas, & Indi & Macedones nantes, leuatis ſuper capita armis, tranſibant. Alexander autem in re tam difficili inops conſilij, tandem ad fallendum hoſtem, hanc artem excogitauit. Erat inſula in flumine amplior cęteris, ſilueſtris eadem, & tegendis inſidijs apta, foſſa quoque prealta haud procul ripa, quam ipſe tenebat, non pedites modo, ſed etiam cum equis abſcondere poterat. Igitur a cuſtodia huius opportunitatis hoſtium oculos auertit. Ptolomęum enim cum omnibus turmis obequitare iuſsit procul ab inſula. & ſubinde Indos clamore terroreque, quaſi flumen tranſiturus foret, per plures dies Ptolomęus id fecit, eoque conſilio agmen, porumque Regem, ei parti, quam ſe petere ſimulabat aduertere coegit. Iam extra hoſtis conſpectum inſula erat. Alexander autem in diuerſa ripę parte ſtatui ſuum tabernaculum iuſsit, aſſuetamque comitari ipſum cohortem ante id tabernaculum ſtare, & omnem regię magnificentię apparatum, hoſtium oculis de induſtria oſtendi. Attalum & equalem ſibi, nec diſpari habitu oris; & corporis vtique quum procul viſeretur, veſte regia exornatur, ſpeciem præbiturum, ipſum Regem illi ripæ præſidere, nec de tranſitu agitare. Huius quidem conſilij rem primo tempeſtas morata eſt, mox opem tulit, incommoda quoque ad meliores euentus vertente fortuna, Amnem traijcere cum cæteris copijs in illam inſulæ regionem parabat, auerſo in eos hoſte, qui cum Ptolomæo inferiorem obſederat ripam, cum procella imbrem vix ſub tectis tollerabilem effudit. Nimbo milites obruti, in terram refugerunt, nauigijs ac ratibus deſertis. Sed tumultuantium tremitus obſtrepentibus ventis ab hoſte audiri non poterat. Deinde eueſtigio imber repreſſus eſt. Cæterum adeo ſe denſæ intendere nubes, vt lucem conderent, vixque inter ipſos colloquentium facies noſceretur. Alios quidem nox obducta cœlo terruiſſet, quum ignoto Amne nauigandum eſſet, forſitan eam ipſam ripam, quam cæci, atque improuidi, & ex periculo gloriam accerſerent occupandam obſcuritatem, quę cæteros plurimum terrebat, ſuam oc-

caſionem ratus dato ſigno, vt omnes ſilentio ratem aſcenderent, eamque, qua ipſe vehebatur, primam expelli iuſsit, vt eſt optimi Imperatoris. Vacua enim erat hoſtibus ripa, qua petebatur, Nempe Porus Rex Ptolomęum totum intuebatur. Vna vero naui, quam petrę fluctus illiſerat, hęrente, Cęterę euadunt, armaque capere milites, Ordineque ire iuſsit, iamque agmen in cornua diuiſum ipſe ducebat, quum Poro Regi nunciaretur, armis, viriſque ripam obtineri, rerumque diſcrimen adeſſe. Mox clariore luce, apparente hoſte, centum quadrigas, quattuor milia equitum venienti agmini Porus Rex obiecit. Dux copiarum, quas præmiſit, erat Hagas frater illius, ſumma virium in cornibus ſenos viros, ſinguli vehebant, duos clypeatos, duos ſagyttarios ab vtroque latere diſpoſitos, cæteri aurigæ erant, haud ſane inermes, iacula quoque complura, vbi comminus prœliandum erat, emiſsis in hoſtem habenis ingerebant. Itaque inter vtrunque magna pugna committitur. Alexander autem contemplatus, & Regem, & agmen Indorum, tandem (inquit) par animo meo periculum video. Cum beſtijs ſimul & cum egregijs viris rem geri. Contra eos, qui imbelles eſſe indos aiunt, qui dum res ſuas extollere volunt, aliorum deprimere ſua loquacitatę conniruntur. Intuens igitur Alexander, inquit, quum ego in leuum hoſtium cornu impetum fecero, meque Cœnæ videris in medio certaminis ardore ipſe dextrum moue, & turbatis ſigna infer, tu Antigone, & tu Leonate, & Tairon in mediam aciem inueheimini, frontemque vrgebitis. Haſtæ autem noſtræ prælongæ & validæ, haud aliter magis, quam aduerſus belluas, earumque rectores vſui eſſe poterunt, deturbate eos, qui vehemtur, & ipſas confodite. Anceps enim genus auxilij eſt, In ſuos acrius init. In hoſtem enim Imperio, in ſuos pauore agitur. Hæc elocutus Alexander equum primus in hoſtes concitauit, iamque (vt erat fortaſſe in fatis) hoſtium ordines inuaſerat, quum Cœnus ingenti vi in leuum cornu inueheitur. Phalanx quoque in mediam Indorum aciem vno impetu prorumpit. At Porus Rex qua quidem inuehi ſenſerat, belluas agi iuſsit, ſed tardum & pene immobile animal equorum celeritatem minime ęquare poterat. Poſtremo belluas perſecuti, in ſe vulneribus irritauere. Anceps ergo pugna nunc ſequentium, nunc fugientium. Elephantos in multum diei varium certamen extraxit, donec ſecuribus (id namque auxilij genus præparauerat) pedes amputare cępere. Elephanti autem vulneribus fatigati, ſuos magno impetu ſternunt. & qui eos rexerant, in terram pręcipitati, ab ipſis obterebantur. Denique Pori exercitus profligatus, ipſe captiuus ad Alexandrum ducitur. Quanquam alij rem aliter narrant, quod monomachia, hoc eſt ſingulari certamine pugnatum ſit, victorique Alexandro Regnum ceſſit, tamen quoquo modo res geſta ſit, in eius poteſtatem Porus deuenit, ac per cuncta benigne habitus ab Alexandro fuit, qui etiam eum in Regno reliquit. Cęſar autem exundantem amnem per diuerſa loca auertit, & ſic copias traiecit. Sed Alexander nauigia diſſoluta (quum opus eſſet) ſuper plauſtra vehi iuſsit. Quo quidem nihil commodius ad tranſportandas copias, maxime hoc tempore, tormenta, ſuper quę quidem pontes ſtrui poſſunt. Romani autem paruum flumen, & magnum torrentem ſic tranſibant. Nam armis & veſtimentis ſtatim ſpoliabantur, & ſuper Clypeum omnia ponebant, ipſumque ſuper caput, itaque tranſibant. Quod neque laudo, ſi hoſtes in altera ripa eſſent, quia ſic nudi & inermes ab eis facile confici poterant. Nam paruum flumen, ſiue torrentem facile, ponte iniecto, vel alia ratione inuenta, exercitus tranſire poteſt. Atqui Diramęs hoſtes fugiens, ſic copias Euphratem traiecit. Nam duos currus coniunxit, ac alios duos ſuperpoſuit, clauiſque eos firmauit, iuxtaque Rotas in parte inferiori quaſdam tabulas clauis fixit, ne Rotę in fluminis arena obruerentur, atque iuſsit, vt quidam ſtrenui milites natando tranſirent ad aliam ripam, qui funibus robuſtiſsimos iuuenes conducerent. Poſtea currus in flumen immiſit ſimul iunctos. Itaque vltimi impellendo, & qui antea tranſierant magnis funibus currus trahebant, ſuper eos ſarmenta & ligna ſternendo copias traiecit, & incolumis domum redijt. Quia plerunque accidere ſolet, quod Imperator flumine incluſus, nec pontem facere, aut perficere poſsit, quod Cæſar hoc optime docet, qua quidem ratione id effici debeat. Nam quum omnes viæ ab Afranij militibus obſiderentur, nec pontes perfici poſſent. Cæſar militibus imperat, vt naues hoc modo faciant. Carinæ primum ſtramine & leui materia fiebant, reliquum vero nauium corpus viminibus contextum corijs integebatur, has quidem perfectas, carris iunctis, deuehit noctu milia paſſuum caſtris, milites his nauibus flumen tranſportat, continentemque ripæ collem improuiſo occupat. Hunc celeriter ne ab hoſte ſentiatur communiuit, hucque legionem poſtea traiecit, atque ex vtraque parte pontem inſtructum biduo perfecit. Itaque commeatus, & qui frumenti cauſa proceſſerant, tuto ad ſe recepit. Hoc quidem ponte perfecto fortuna omnia Afranij robora mutauit. Cuius quidem milites Cæſaris virtute equitum perterriti, minus libere, minuſque audacter vagabantur. Alij non longo a caſtris progreſsi ſpatio, vt Cæſarem receptum haberent, anguſtius pabulabantur. Alij longiore circuitu cuſtodias, ſtationeſque equitum vitabant, vndique metus eos corripuerat. Iccirco cuncta optime ex hoc ponte ſibi ceſſere, quia multæ etiam ciuitates deditionem fecere. Sunt alia Pontium genera, quæ Ducis iudicio (vt opus fuerit) relinquuntur.

De belli ratione transferendi in terram alienam.
Cap. IIII.

SIQVIDEM prudentiam homini rebus aduerſis plurimum prodeſſe video, qui quum rem ſuam minime tueri poſsit, alienam inuadere omni ſtudio tentare videtur, vt hic Agathocles, qui quum Syraguſas a Carthaginenſibus, Duce Amilchare Giſconis filio obſideri videret, quam quidem ciuitatem tuebatur, neque ſe viribus parem ad ſuſtentandam obſidionem cognoſceret, atque ob omnibus deſertum eſſe, vt vir prudens in Africam bellum transferre ſtatuit. Cuius quidem conſilij non minus admirabile ſilentium, quam commentum extitit. Populo hoc ſolum profeſſus victoriæ ſe inueniſſe viam. Animos illi tantum in breuem obſidionis patientiam firmarent, vel ſicui ſtatus præſenus fortunæ diſpliceret, dare ſe ei liberam diſcedendi poteſtatem. Quum mille ſexcenti diceſsiſſent, cęteros ad obſidionis neceſsitatem frumento et ſtipendio inſtruxit. Quinquaginta tantum ſecum talenta ad præſentem vſum attulit, cętera ex hoſte melius, q̃ ex ſocijs paraturus. Omneis deinde ſeruos militaris ętatis libertate donatos ſacramẽto adegit, eoſq; et maiorem partem militum nauibus ratus ex ęquata vtriuſq; ordinis conditione, mutuam inter eos virtutis ęmulationem futuram, cęteros omneis ad patrię tutelam relinquit. Septimo igitur Imperij anno, comitibus duobus adultis filijs Arregathio et Heraclida, nullo militum ſciẽte, quo veheretur, curſum in Africã dirigit. Quum omnes, aut in Italiam ſe prædatũ, aut in Sardiniam ituros crederẽt. Tum primo expoſito in Africæ littore exercitu, conſilium ſuum omnibus aperit. Quo quidem loco ciuitas ſua poſita ſit, oſtendit, quoque diſcrimine, cui nullum aliud auxilium ſupereſſet, quam vt hoſtibus faciant, quæ ipſi paterentur. Nam aliter domi aliter foris bella geri. Domi quidem illa ſola auxilia eſſe, quæ patriæ vires ſubminiſtrant. Foris autem hoſtem etiam ſuis viribus. Deficientibus ſocijs, & odio diuturni Imperij externa auxilia circumſpicientibus. Huius quoque opinionis fuit Annibal apud Antiochum Regem de transferendo bello in Italiam. Quum non niſi ſuis viribus vinci poſſe dicebat, bellaque in aliena terra vehementius tractari. Idem quoque Scipioni placuit, vt Annibalem ab Italia abduceret, bellum in Africam tranſtulit, quod breui confecit, & victoriam adeptus fuit. Quam ob rem optimą P. Sulpitij Conſulis ratio fuit de bello in Græciam aduerſus Philippum Regem Macedonum transferendo, qui hoc modo patres. C. alloquitur. Si non piguiſſet vos in Africam traiicere, hodie in Italia Annibalem & Carthaginenſes hoſtes non haberetis. Macedonia potius, quam Italia bellum habeat. Experti iam ſumus foris vobis, quam domi feliciora, potioraque arma eſſe. Huius vobis ſententiæ non Conſul modo autor eſt, ſed iam Dij immortales, qui mihi ſacrificanti, precantique, vt hoc bellum, mihi, ſenatui, vobiſque ſocijs nomini latino, claſsibus ac exercitibus veſtris bene atque feliciter eueniret. Quod quidem ad votum fuit. Qua quidem opinione adductus Agathocles Rex Siciliæ inter alia ſuos commonebat, huc accedere, quod Vrbes, & Africæ oppida non muris cincta, non in montibus ſita ſunt, ſed in planitie ſine vllis munimentis iaceant. Quos omnes excidij metu facile ad belli ſocietatem perduci poſſe. Maius igitur Carthaginenſibus ex ipſa Africa, quam ex Sicilia bellum exarſurum, coniuraque auxilia omnium aduerſus vnam Vrbem nouerint, quam opibus ampliorem, & quas non attulerit vires, inde ſumpturum. Nec in repentino Pœnorum metu modicum momentum victoriæ fore, qui tanta audacia hoſtium perculſi trepidaturi ſunt, acceſſura & villarum incendia, oppidorumque ac Vrbium direptionem, tum ipſius Carthaginis obſidionem, quibus omnibus non ſibi tantum in alios, ſed vt alijs in ſe ſeritirent bella patere. Hiſce enim non ſolum pœnos vinci, ſed Siciliam liberari poſſe. Nec enim in eius obſidionem hoſtes moraturos, quum ſua vrgeantur. Quocirca nuſquam gentium facilius bellum, ſed nec prædam Vberiorem inueniri poſſe. Nam captam Carthaginem, omnem Africam, Siciliamque victorum præmia fore. Gloriam certe tam honeſtæ militiæ tantam in omne æuum futuram, vt memoria nullo tempore deleri poſsit, Vt dicatur, eos ſolos mortalium eſſe, qui bella, quæ domi ferre non poterant ad hoſtes tranſtulerint, vltroque victores inſecuti ſint, & ſuæ Vrbis obſeſſores, obſederint. Igitur læto & forti animo bellum ineundum eſſe arbitror, quod nullum aliud poſsit, aut præmium victoribus vberius, aut victis monumentum dare illuſtrius. Quibus profecto adductus Agathocles conſentiente exercitu, vniuerſas naues incendi iuſsit. Omnem enim ſpem militibus redeundi ademit, eamque tantum ſibi in armis relinquit. Quo facto Rex, aut certam victoriam, aut cædem apud militum animos teſtatam relinquere voluit. Atqui multis hoſtium locis incenſis, Hanno Dux Pœnorum cum triginta milibus militum occurrit, commiſſoque prælio, de ſiculis duo, tria milia pœnorum cum Duce cecidere. Quibus victis, Vrbes, & oppida multa expugnauit, prędas ingentes agit. Deinde caſtra ad quintum lapidem a Carthagine ſtatuit, vt cariſsimarum rerum damna, vaſtitatemque agrorum, villarumque incendia ex muris ipſius Vrbis ſpecularentur. Interea per totam Africam deleti pœnorum exercitus, fama circumfertur. Itaque ſtupor & admiratio omnes inceſsit. Deinde admiratio paulatim in pœnorum contemptum vertitur. Nec multo poſt, non Africę tantum,

verum etiam Vrbes nobiliſsimę nouitatem ſecutę, ad Agathoclem deſecere. Interea pœni in obſidione Syraguſarum ſegniores redditi, ab Antandro fratre Agathoclis interficiuntur. Sic victor Agathocles relicto filio in Africa, cum exercitu in Siciliam reuerſus eſt. Primo eius aduentu omnes Sicilię Vrbes, auditis rebus proſpere geſtis in Africa, certatim ei ſeſe tradidere. Itaque pulſis ex Sicilia pœnis, totius inſulę Imperio potitus fuit. Quod principes memorię prodant, quanti referat domi ac foris bellum gerere, & obſeſsi, arma in hoſtium terram vertere, ſi poſſunt, vt ad ſua defendenda ire cogantur, vt Annibali, & alijs compluribus obtigit, qui ad ſua defendenda profecti, aliena relinquere coacti ſunt.

De ratione minuendarum virium hoſtium bello nauali, atque ingratitudine. Cap. V.

PELOPONNENSES tanta Xerxis Perſarum Regis claſſe perterriti, ſtatuere cum claſſe ad Iſthmum diſcedere. Atqui Themiſtocles vir prudens, & militię peritiſsimus, cognito eorum conſilio, ſummo dolore angi cœpit, ſi Gręcis ab anguſtijs abductis, pręſidijs per ciuitates diſſoluantur. Itaque conſilium cœpit, quo pacto Gręcis intercederet, & aliquod impedimentum moliretur, per Secinium, genere Perſam, negotium conficere ſtatuit. Hunc ad Regem cum mandatis miſit, vt Themiſtocles Athenienſium Dux, Regis amicitiam, patrię libertati pręferens, primus omnium illi nunciet, Gręcos ad fugam inclinari. Quocirca admonet, ne illis fugiendi facultatem prębeat. Sed dum eos confuſio, timorque tenet, ac a terreſtribus copijs longe remotos adoriatur atque maritimas vires opprimat. Quod quidem placuit Regi, nec plura cogitanti, commentum hoc eſſe Ducis Gręcorum haud arbitranti. Itaque id fecit, Anguſtias inſulę ſuis nauibus Claudi iuſsit, vt tranſitu Gręcos prohiberet. Quo quidem conſilio Gręcos tenuit, Perſarumque vires minuit, ſibique victoriam, quę vniuerſę Gręciæ ſaluti fuit, comparauit. Quibus quum nullus inſularum daretur exitus, pugnare neceſſe fuit, & illi per diuerſa inſularum hoſtia claſſe diſperſa, victi fuere. Hoc Themiſtoclis prudentia comparatum eſt. Quem profecto de vniuerſa Græcia, maxime de ſua patria benemeritum inuidia multorum exegit. Cui quum nullus Græciæ habitandi locus tutus daretur, ad hoſtem, quem proxime vicerat, confugit. A quo benigne ſuſceptus ac magnis muneribus affectus, ſe belli Ducem roganti Regi aduerſus patriam pollicetur. Quod ne perficeret, & ne Regem falleret, & a promiſſo diſcederet, veneno interijt. Sic fidem Regi ſeruauit, & patriæ hoſtis non eſt iudicatus. Nam ſæpe in re. p. fieri ſolet, vt magna beneficia maxima ingratitudo ſequatur. Quo profecto vitio multi laborarunt, vt latiſsime patet. Nam Romanæ Vrbis parentem ſenatus Romulum ampliſsimo dignitatis gradu ab eo auctus in curia lacerauit, nec nefas ac turpe duxit, ei vitam adimere, qui Æternum Romano Imperio ſpiritum ingenerauerat. Furium Camillum quoque ſecundum Vrbis conditorem virium Romanarum incrementum latiſsimum, ac tutelam certiſsimam ferrea ſententia in exilium miſit. Africanum ſuperiorem non ſolum confractam belli punici armis rem. p. Sed iam exanguem Carthaginis dominam reddentem, deſertę paludis accolam fecit, ac ſibi cineres negauit, quam in eos collabi non fuerat paſſus. Eadem quoque ingratitudine in alios Scipiones ſenatum vſum fuiſſe legimus. Pręterea P. Lentulus rei. p. percupidus & ſtudioſus ciuis, quum in Auentino Caij Gracchi conatus, & aciem forti pugna multis vulneribus exceptis, fugaſſet, hanc mercedem tulit, ne in Vrbe moreretur. Hoc teterrimo ſcelere ſpartani in ligurgum (cui Apollo Pythius oraculum petenti reſpondiſſe dicitur) neſcire ſe vtrum illum hominum, an Deorum numero ſtatueret, vſi fuere, atque eodem Carthaginenſes in Annibalem, qui pro illorum incolumitate & victoria tot Romanos Imperatores, ac tot exercitus confecerat, e conſpectu namque ſuo ſummouere paſsi ſunt. Sed ad ingratos Athenienſium animos reuertamur, maxime in Theſeum eorum Vrbis fere conditorem, qui vicatim diſperſos ciues vnam in Vrbem contraxit, ſeparatimque agreſtique more viuenti populo ampliſsimę ciuitatis formam, atque imaginem impoſuit, ſęuaque potentiſsimi Regis Minois Imperia repulit, Effrenatam Thebarum inſolentiam domuit, opem liberis Herculis tulit, & quicquid vbique monſtri, aut ſceleris fuit, virtute animi, ac dextrę robore comminuit, huius tamen ſummoti ab Athenienſibus, Scyros minor inſula mortui oſſa cępit. Idem in Solonem, Milciadem, & Ariſtidem fecere. At Phocion, qui tot beneficijs Athenienſes affecerat, non tantum in eculeo ab eis impoſitus eſt, ſed certe poſt obitum nullam Atticæ regionis, quæ oſsibus eius inijceretur, glebulam inuenit, iuſſus extra fines proijci, intra quos optimus ciuis vixerat. Magna quidem hominũ dementia fuit, vt maximas virtutes, quaſi grauiſsima delicta punirent, beneficiaque iniurijs rependerent, quod quum vbique, tum pręcipue Athenis intollerabile eſſe videbatur, in qua Vrbe aduerſus ingratos actio conſtituta fuit. Quippe qui clariſsimi viri, ſi dicendi illis daretur facultas, hæc iure dicere poſſent aduerſus ingratam patriam. Diſcordes ſocij tui, paciſque diuidua tuguria Græciæ facta ſunt colu-

men. Lucet Marathon Perſicis Trophæis, Salamis & Artemiſium Xerxis naufragia numerantur, præualidis manibus ex hauſta mœnia, pulchrioribus operibus conſurgunt. Dic quæſo harum rerum autores vbi vixerunt? vbi iacent? reſponde ingrata ciuitas. Nempe Theſea paruulo in Scopulo ſepeliri, Milciademque in carcere mori, Cimonaque paternas induere catenas, ac Themiſtoclem victorem victi hoſtis genua complecti, Solonemque cum Ariſtide & Phocione penates ſuos ingrata fugere coegiſti, quum interim cineribus noſtris fœde ac miſerabiliter diſperſis œdipodis oſſa, cæde patris, nuptijs matris contaminata inter ipſum Areopagum, diuini atque humani certaminis venerabile Domicilium, & excelſis Mineruæ præſidijs arcem honore areæ decoratos Sacroſanctiores colis, adeo tibi aliena mala tuis bonis grauiora ſunt. Lege itaque legem, quæ te iureiurando obſtrictam tenet, & quia benemeritis debita præmia reddere noluiſti, læſis iuſta piacula exolue. Tacent mutæ vmbræ fati neceſsitate conſtrictæ. Atqui immemores beneficiorum Athene, reprehenſione, lingua ſermone licentia ſoluta, non vacent. Quocirca merito ſolo adeo æquata ciuitas fuit, vt vix eius veſtigia tranſeuntibus cernantur, idemque alijs ingratis ciuitatibus euenit, vt ſpartæ, Carthagini, atque Romæ, ſæpe reſtauratæ. De quibus hactenus, deinceps de fuga tutiore dicendum eſſe videtur.

De fuga tutiore. *Cap. VI.*

QVÆ quidem victis ſalus ad fugam eſſe poſsit, hiſce rationibus cumulate cernitur. Nam Galli cum Attalo pugnaturi, aurum omne & argentum certis cuſtodibus tradidere. Quibus ſi acie fugiſſent, parcatur, quo facilius colligenda præda hoſtem impeditum effugerent. Triphon autem Rex Syriæ victus per totum iter fugiens pecuniam ſparſit, ſic Antiochi equites perſequentes moratus effugit. Q. Sertorius quoque acie pulſus a Q. Metello pio, nec fugam quidem tutam arbitratus, milites diſperſos abire iuſsit, admonuitque in quem locum vellet, cōuenire. Quod nec laudo, quia ſic diſperſi facile ab hoſtibus inſequentibus trucidari poſſunt, ſed melius inſtructa acie fugiendum eſſe arbitror, vt illi, qui poſt cladem Cannenſem in minoribus caſtris erant, facto cuneo tuti Caniſsium fugerunt. Sed ſpargendi auri ratio melior ad fugam, qua multi Duces vſi ſunt, quia miles prædæ plurimum auidus eſſe videtur.

De quadam ratione deducendi hoſtes in planiciem. *Cap. VII.*

QVVM collis pedites, planicies equites magis deſiderare videatur, locus vtriſque aptus & idoneus omnino eſt eligendus. Quocirca quum Mennon Rhodiorum Rex equitatu plurimum valeret, hoſtes autem peditatu, ille in planicie caſtra habebat, ij autem in collibus ſe continebant. Quos quum Mennon in apertum campum deducere vellet, hoc vſus fuit. Quoſdam enim ex militibus ſuis ſub profugæ ſpecie in hoſtium caſtra miſit, qui aſſirmarent Mennonis copias in perniciosa ſeditione furere, & vt ſubinde aliqua pars dilaberetur. Huic rei, vt fidem faceret, paſsim in hoſtium conſpectu iuſsit parua caſtella muniri, velut in ea ſe recepturi eſſent, qui diſsidebant Hac perſuaſione ſollicitati, qui in collibus ſe continuerant, in apertum campum deſcenderunt, vtque dum caſtra tentant, ab equitatu circumuenti, funduntur.

De conſcribendorum militum ratione, neceſsitatis tempore. *Cap. VIII.*

SIQVIDEM exhauſta propter crebra prælia Romana militia, maxime militari iuuentute, ſenatus, autore Tyberio Graccho Conſule, cenſuit, vt publice ſerui aduerſus hoſtium impetum emerentur. Quatuor & viginti milia ſeruorum emerunt, iureiurandoque adactos ſtrenuam ſe, fortemque operam daturos, quoad pœni eſſent in Italia. Ex Apulia enim & a fidiculis ſeptuaginta atque ducenti ad ſupplementum equitatus empti ſunt, & a paſtoribus collecta mancipia, velut præcipuum firmamentum exercitui ſuo adiecit. Præterea poſt Cannenſem cladem effectum eſt, vt ſpolia hoſtium Deorum templis affixa, numini conſecrata inſtrumenta militiæ futura conuellerentur, ac prætextati pueri arma induerent, adiudicatorum etiam, & capitali crimine damnatorum Sex milia conſcriberentur. Itaque tali neceſsitate affli-

ctis rebus, & prope cadentibus eſt conſulendum, nec animi frangi debent, ſed certo conſilio meliora ſperare.

De ratione, qua equites leuis armaturæ catafractis reſiſtere poſſunt. Cap. IX.

QVVM Ferdinandus Neapolitanorum Rex, Alfonſi Regis filius, Gallorum exercitu opprimeretur; in quo etiam erant Italorum copiæ, Georgium Caſtriotum Epirotarum Regem in auxilium accerſiuit, qui quum in Apuliam traieciſſet, ac cum conferturus, Gallorum equites (initio prælio) grauis armaturæ in interualla ſuorum excepit, vt ante ſtatuerat, quibus ſe minime reſiſtere cum leui armatura putabat. Itaque hinc inde per latera, facta ala, Gallos inuadit, cędit, equos haſtis per ilia tranſuerberat, atque confodit. Demum hoſtes profligauit, ac in fugam vertit. Quare victoria potitus, Regnum adeptus, honoribus ac muneribus auctus a Rege in Epirum reuertitur.

De ratione parandi equitatus. Cap. X.

SIQVIDEM quum Ageſilaus Rex Lacedæmoniorum bellum in Aſia gereret, & equitatum non haberet. Vbi in phrigiam copias duceret, propter pharnabazi equitatum pugnam committere non audebat, eam detrectare ſtatuit. Omnibus igitur Vrbium illarum opulentis viris, vt equos alerent, imperauit, atque quicunque equum, arma, peritumque virum præbuiſſet, militia ipſe vacaret, edixit. Quo etiam Scipio (vt dictum eſt) in Sicilia vſus fuit. Itaque magnum equitatum breui comparauit. Non enim niſi prudentia res magnæ geruntur, vt Heſiodus etenim.

Optima crede, iuuat rerum prudentia cunctos.
Læditur aduerſo, qui negligit vndique fato.

De præſidio collocando in Vrbe. Cap. XI.

MAGNA quidem prudentia debet vti Imperator in diſtribuendis præſidijs per Vrbes propter militum inſolentiam. Cuius quidem cauſa multi ciuitates amiſerunt, & ad hoſtes defecerunt, vt de Antiocho legimus. Qui tribus parthicis prælijs victor propter hominum multitudinem omneis copias per ciuitates ad hyemandum diſtribuit. Quod haud paruι exitij & cladis cauſa fuit. Nam quum ſe copiarum multitudine, & militum iniurijs ciuitates grauari viderent, ad parthos defecere, dieque ſtatuta omnes apud ſe diuiſum exercitum per inſidias, ne inuicem ferre auxilium poſſent, aggrediuntur, atque interficiuntur, vt etiam Gallis in Sicilia accidit. Quæ quum Antiocho Regi nunciata eſſent, auxilium proximis laturus, cum ea manu, quæ ſecum hyemauerat, progreditur, in itinere Regem Parthorum habuit. Aduerſus quem ſtrenue eius exercitus dimicauit. Poſtremo quum hoſtes virtute vincerent, metu ſuorum deſertus, occiditur. Modeſti igitur Duces & milites ſint, dum præſidio ſunt ciuitatibus. Hac de re paucos ob hinc annos ciuitas ſenarum ad Gallos defecit, diuque paſſa obſidionem, deditionem fecit. Cuius quidem rei Hiſpanorum inſolentia pariter & auaritia, nulla fœminarum habita ratione cauſa fuit, & multa hominum milia cæſa fuere. Modeſtia enim vbique vtendum eſſe arbitror, atque (vt par eſt) legibus viuere quiſque conetur.

De ratione eliciendorum hoſtium ad prædam. Cap. XII.

MORTALIVM genus ad id, quod procliue eſſe videtur, facile trahi poſſe haud cuiquam dubium eſſe arbitror. Quum enim ſit auri argentique plurimum auidum, nec mirum eſt, ſi hiſce ſine aliquo negotio ad vota ſua eliciatur. Quod quidem hæc Romanorum ratio in Porſennã Hetruſcorum Regem ſatis oſtendit. Quippe qui primo conatu ab eis repulſus, conſilium ab Vrbis oppugnatione ad obſidionem nactus, præſidio in ianiculo locato, in plano, Tyberiſque ripis caſtra poſuit, nauibus vndique accitis, & ad cuſtodiam inſtructis, nequid Romam frumenti ſubuehi ſineret, ac vt prædatum milites trans flumen per occaſionem

diuerſis locis traijcerent, breui omnem Romanum agrum infeſtum reddidit, vt non cætera ſolum agris, ſed omne pecus in Vrbem compelleretur, neque quiſque extra portas propellere auderet. Hoc tantum licentiæ Hetruſcis non magis metu, quam conſilio datum. Nam Valerius Conſul ad occaſionem intentus, multos ſimul & effuſos improuiſo aggrediendi in paruis rebus negligens vltor, ſe grauiorem ad maiora vindicem ſeruabat. Itaque vt prædatores alliceret, ſuis edixit, poſtero die frequentes porta exquilina, quæ ad hoſtes ſpectabat, pecus expellerent, ſciuros etiam hoſtes ratus, quod in obſidione, fameque ſeruitia infida tranſugerint. Perſugæ exiere, flumen traiecerunt, vt hoſtes in vniuerſæ prædæ ſpem allicerent. P. Valerius autem M. T. & Herminium ad ſecundum lapidem cum modicis copijs Gabina porta occulto conſidere iubet, Spu. Largium cum expedita iuuentute ad portam Collinam ſtare, donec hoſtes prætereant. Deinde ſe obijcere, ne ſit ad flumen redditus. Conſulum alter T. Lucretius porta Næuia cum aliquot Manipulis militum egreſſus, Valerius Cęlio monte delectas cohortes eduxit. Ii primi hoſtibus apparuere. Herminius vbi tumultum ſenſit, ex inſidijs cucurrit, verſiſque in Lucretium Hetruſcis terga cædit, dextra, leuaque hinc a porta Collina, illinc a Næuia redditus clamor: prædatores in medio cæſi, nec ad pugnam viribus pares, & ad fugam ſeptis omnibus vijs, finis tam effuſe, lateque vagandi Hetruſcis fuit.

De ratione reddendi militem ex ignauo ſtrenuum. Cap. XIII.

MVLTIS quidem rationibus, tum vſu, tum exercitatione milites ſtrenui & animoſi reddi poſſunt, ſed Hiphicrates Dux Athenienſium, quum paucos milites, timidoſque ac minus audaces haberet, eoſque optaret ſtrenuos ac animoſos reddere, interegnandum Duces & Centuriones accerſiri iuſsit, vt quiſque res ſuas ferret, aut aurum, aut argentum, ac omnia precioſa ornamenta, veluti ſi magnam hoſtibus proditionem eſſet paraturus. Quibus omnibus oblatis, hoſtes adoriri ſtatuit. Omnes illi obtemperarunt. Hiſce enim receptis, parum moratus, milites in apertum campum deduxit, qui aliqua proditione hoſtes ſibi tradi putabant, maiore audacia, & animi ardore, ne res cariſsimas amitterent, pugnauerunt, ac victoriam adepti, magis ſtrenui effecti ſunt. Quod etiam Romani aliquando obſeruauerunt, vt milites cariſsimarum rerum cauſa, magis ſtrenue pugnarent, & audaciores efficerentur.

De ratione profligandi hoſtilem claſſem. Cap. XIIII.

QVVM Thimotæus nauali pugna cum Lacedæmonijs confligere vellet, electam claſſem prope puppim habens, firmus manebat, ſed alijs claſsis præfectis iuſsit, quod viginti velociſsimas triremes aduerſus hoſtium claſſem impellerent, & crebris, ac prope infinitis incurſionibus, atque giris circum eam defatigarent. Quare hoſtes ex nimio ac frequenti remigio defatigati, remos debiles mouebant, ac ſuſtinebant. At Thimotæus integra claſſe hoſtilem eſt adortus, & victoriam hac ratione adeptus eſt. Hoc quoque alias fecit apud leucadem cum Lacedæmonijs (Duce eorum Nicoloco) & victoria potitus eſt. Hæc enim ratio non ſolum maritima pugna valet, ſed etiam (vt ſæpe exploratum eſt) terreſtri prælio. Celeres enim triremes, & expeditas habere plurimum prodeſſe, multis prælis perſpectum eſt, maxime, illa nauali pugna in Epiro apud Leucadem inſulam inter Auguſtum & Antonium. Illi cccc. naues erant, huic non minus cc. Sed numerum magnitudo omnino æquabat. Nam ipſius Antonij & Cleopatræ a Senis in nouenos remorum ordines, Hiſce accedebat, quod turribus & tabulatis eleuatæ, caſtellorum & Vrbium ſpeciem prębebant, haud ſine maris gemitu & ventorum labore ferebantur. Quę quidem moles ſibi exitio fuit. Auguſti autem naues a triremibus in ſenos, nec amplius ordines eminerant. Itaque per omnia habiles, quæ vſus poſcere videbatur, erant ad impetus, recurſus ac flexus capiendos. Hę quidem ad pugnam aptę exiſtunt. Antonij vero graues, & ad omnia perpeditas ſingulas plures ad ortę miſsilibus ſimul & roſtris ac ignibus iactis arbitrio diſsipauerunt. Prima Dux fugę cum aurea puppi ac velo purpureo Regina ſe in altum dedit, deinde Antonius. Sed Auguſtus veſtigijs inſtabat, & prope manu tenebantur. Auguſtus enim claſsium celeritate victoriam ſibi comparauit. Omnia enim nauigia robuſtiora habere, hac re, minus vtilia eſſe puto, ſed leuioribus per mixta laudo. Nam illa grauiora in leuium cornibus veluti caſtella optime collocantur. Duilius autem in nauium celeritatem hoc vſus fuit. Nam quum graues ſuas naues videret, ac punicę claſsis celeritate eludi, irritamque militum virtutem fieri, manus ferreas excogitauit, quę vbi hoſtium nauem apprehenderunt, ſuperiecto.

ponte Romanus tranſgrediebatur. Quod hodie fieri propter ignem periculoſum eſt, prælectique claſsis id caueant propter incendia, quia parua magnam accendere poſſet. Quod periculum temporibus illis minime imminebat. Id enim Duilius Conſul fecerat, quia ſtrenuum militem habebat, quo facile infirmiorem ſuperare poterat. Sed naualis pugna tutius tormentis eſt gerenda, atque ignibus artificio confectis. Atqui arte viribuſque deficientibus, dolis vti licet, vt Marius Portius, qui quum impetu in hoſtium claſſem tranſiluiſſet, deturbatis ex ea pœnis, eorum armis, & inſignibus in ſuos diſtributis, multas hoſtium naues, quos ſocialis habitu fefellerat, merſit. Caſsius autem hoſtium claſſem ſic incendit. Qui quidem onerarias naues non magis ad alios vſus accenſas in hoſtium claſſem opportuno vento miſit, eamque incendio conſumpſit. At Conon Dux Athenienſium victa claſſe Perſarum apud inſulam Cyprum, captiuorum armis milites ſuos induit, & Barbarorum Nauibus in Pamphiliam ad hoſtem nauigauit, apud amnem Eurimedonta. Perſæ autem, quia & nauigia & habitum ſuorum agnoſcerent, nihil cauerunt. Quare ſubito oppreſsi, eodem die, & nauali, & terreſtri prælio victi ſunt. Hoc ipſo Pyſiſtratus aduerſus megarenſes vſus fuit, quos habitu mentitus oppreſsit. Itidem Æmilius Illyrios hac ſpecie nauali pugna decepit. Qui captis aliis Illyriorum locis, verſus Pharum mouit, vbi eorum Rex commorabatur. Et quoniam eam Vrbem ex loci natura munitiſsimam eſſe intellexerat, & electorum ex omni numero militum præſidio firmatam, commeatu præterea ac cæteris rebus ad bellum neceſſariis abundantem, nec difficilem, diuturnamque futuram eius obſidionem eſſe arbitrabatur. Quam ob rem diu conſilii anceps, tandem hanc viam ingreditur, facto per noctem curſu in inſulam, magnam copiarum partem intra ſiluam denſiſsimis obſitam arboribus collocat. Ipſe autem, quum iam illuxiſſet, viginti nauibus palam Vrbi appropinquare, portumque ingredi cœpit. Illyrii autem hoſtium naues conſpicati, ac earum numero contempto, denſo agmine ad portum procurrunt, vt Romanos ab eo arcerent, vbi inito cum illis certamine, acriter aliquandiu dimicatur, multis continuo ex Vrbe in ſuorum ſubſidium exeuntibus, tandem eum in locum tota ciuitas confluxerat. Tum Romani, qui in propinqua ſilua noctu deliturant, audito clamore, per loca abdita tempeſtate eodem concurrunt, occupatoque colle, qui inter Vrbem & portum natura muniſsimus erat, redditum hoſtium in Vrbem prohibent, quod Illyrii animaduertentes inceptum arcendi hoſtes conſilium deſerunt, atque omnes ſimul coacti, ſe inuicem hortantur, veluti ex induſtria cum his, qui collem occupauerant, conflicturi, Romani autem iam appropinquantes Illyrios conſpicati, inſtructis aciebus aggrediuntur, atque læti prælium ineunt. Iam etiam pars altera a nauibus aderat, hoſteſque a tergo premebat. Itaque vndique concurrentibus Romanis, Illyrii non ſolum a fronte, ſed a tergo laborantibus diu acriter pugnatur, tandem victoriam Romani adepti fuere. Æmilius Pharo potitus, ſolo æquauit. Neque hoc prætereundum ſilentio eſſe duxi, quemadmodum Romani ante nauale bellum claſſem purgabant, maxime Cæſar Auguſtus. Nam altaria primum in littore ſita maris vndis aluuntur, multitudo omnis circumquaque magno ſilentio per nauca aſsidet, ſacerdotes in mari conſidentes ſacra faciunt, Ducibuſque vna adnauigantibus & purgamina extollentibus, vt ab exercitu infelicia quæque depellant, ter ipſi ſacerdotes per exercitum ſcaphis circumuecti purgamina ſacra deferunt. Deinde ea diuidentes, partem in mare proiiciunt, partem altaribus impoſitam flammis adolent, ac protinus multitudo omnis ea benedicit. Sic & noſtri aliquid eorum, more noſtro, imitari videntur.

Qua ratione cum Tyrone & Veterano milite pugnandum eſt. Cap. XV.

EST quidem in bello militum ratio habenda. Aliter enim cum Tyrone milite aliter cum veterano pugnandum eſſe cenſeo, vt Hiphicrates Dux Athenienſium docuit. Quippe qui aduerſus Tyronem militem & inexercitatum hoſtem, ſibique quum veteranus eſſet miles, haud cito conſerebat, ſed quadam mora tempus terebat, hoſtes defatigabat, minus ad laborem aſſuetos, denique pugnam inibat. At ſi cum ſtrenuo & exercitato milite, cito confligebat, quum ſibi Tyro miles eſſet. Sed aliter Fabius Max. cum Annibale pugnaturus, cui erat veteranus miles, Fabio vero Tyro, qui prælium ſemper detrectabat, hac ratione, vt inexercitatum militem bello aſſuefaceret, atque exercitaret, per montes deducendo, & prudenter quidem. Difficilius eſt enim cum veterano, quam cum Tyrone pugnare, atque periculoſius. Neque vitio danda eſt illa Hiphicratis ratio, quiſque enim ſuam tueri poteſt.

De ratione occupandi temporis in deteriore fortuna. Cap. XVI.

VERVM quidem eſt illud, quod ſæpe diximus, præceptum, hoſti nullam fidem eſſe adhibendam, aut ſemper ſuſpectam habendam exiſtimauimus, quia vbi odium, nulla beneuolentia (quæ etiam ad fidem ſpectare videtur) eſſe poteſt. Hinc tibi hoſtis ſemper ſuſpectus eſſe debet, quia quicquid agit, id molitur, vt te incautum opprimat, vt hic ſatis perſpici poteſt. Nam Niceam fugientem Gilippus Lacedæmonius perſequebatur, cui quidem iam vicino & appropinquanti Tibicinem miſit, aſſerendo, quicquid vellet, ſe omnino facturum eſſe, modo aliquem ad eum mitteret, quod citro, vltroque iuramentum daretur. Atqui Gilippus nihil doli arbitratus, fidem nuncio adhibuit, caſtra firmauit, & in perſequendo eum deſtitit, & cum Niceæ Tibicine miſit, qui fœdus ſecum iniret. Interea Niceas locum tutiorem occupauit, atque iterum pugnam inibat. Itaque Gilippum prope victorem decepit, ac ſibi ſua fraude conſuluit.

De magnanimitate & fide. Cap. XVII.

OMNIS quidem fortis animus magnuſque (Ciceronis ſententia) duabus rebus cerni ſolet, in rerum externarum deſpicientia, cum perſuaſum ſit, nihil hominem, niſi quod honeſtum decorumque ſit, aut admirari, aut optare, aut expectere oportere, nulliique, neque homini, neque animi perturbationi, nec fortunæ ſuccumbere. Deinde opus eſt, vt res magnas gerat, quarum quidem rerum omnis ſplendor & amplitudo, atque vtilitas eſt. Quę profecto viros magnanimos efficere ſolent, ac ea, quæ acerba videntur, quæ multa & varia in mortalium vita fortunaque verſantur, ita ferre, vt nihil a ſtatu naturæ diſcedatur, quia haud conſentaneum eſſe videtur, qui metu non frangatur, eum frangi cupiditate, nec (vt ait) qui inuictum ſe a labore præſtiterit; vinci a voluptate, quod quidem turpiſsimum eſſe videretur. Quæ profecto magnanimitas & animi fortitudo, quum in multis perſpecta ſit, in Alexandro mirifice relucet, qua in Sogdianos præcipue vſus fuit. Ex quibus quidem triginta captiui, omnes nobiliſsimi, ac magno corporum robore ad Alexandrum perducti eſſent. Vbi per interpretem cognouerunt Regis iuſſu ad ſupplicium trahi, carmen, lætantium more, canere, tripudiiſque, ac laſciuiore corporis motu quodam animi gaudium oſtentare cœperunt. Rex autem tantam animi magnitudinem admiratus, eos reuocari iuſsit, cauſam tam effuſæ lętitiæ, quum ſupplicium ante oculos haberent, ſciſcitatus. Illi autem ſi ab alio occiderentur, triſtes morituri fuiſſe, reſponderunt. Nunc a tanto Rege omnium gentium victore maioribus ſuis reddins honeſtam mortem, quam fortes viri voto quoque expecterent, ſuique moris lætitia, carminibus celebrarent. Tum Rex animi magnitudinem admiratus, itaque (inquit) viuere velitis, quæro, haud mihi quidem inimici, cuius beneficio victuri eſtis. Illi nunquam ſe ei inimicos, ſed bello laceſſitos, ſe inimicos hoſti fuiſſe reſpondent, ſi quis ipſos beneficio, quam iniuria experiri maluiſſet, certaturos fuiſſe, ne officio vincerentur. Rogatique quo pignore fidem obligaturi eſſent, vitam, quam acciperent, pignori futuram eſſe, dixerunt, reddituros, quando repetiſſet. Nec promiſſam fefellerunt fidem. Qui quidem nulli Macedonum in Regem charitate ceſſerunt. Magnus hercle vtriſque animus fuit, & Regi, & Sogdianis, ſed maior his fides, a qua nunque receſſere. Magnus quoque ac fortis mulierum animus hic cerni poteſt. Nam Aſtiage bellum cum Cyro ex filia Nepote gerente, pulſaque Perſarum acie, paulatimque cedente, Matreſque ac eorum Vxores obuiam occurrunt, orantque, vt in prælium reuertantur, cunctantibus illis, fœminę ſublata veſte corporis turpia oſtendunt, rogantes, num in vteros matrum, vel Vxorum refugere velint? Hac repreſsi caſtigatione milites in prælium redeunt, factaque impreſsione, quos fugiebant, eos fugere compulſerunt. Idem in Spartanis mulieribus cerni poteſt. Quæ quidem filios ad prælium profecturos monebant, vt, aut viui cum armis in earum conſpectum venirent, aut mortui in armis referrentur. Nam cuidam militi in prȩlium proficiſcenti mater ſic locuta eſt, cum ei Clypeum offerret, fili (inquit) aut hunc, aut in hoc, ideſt, aut hunc victor domum referas, aut in hoc mortuus iaceas. Nam Drapeia mulier Spartana quum filium ignauum haberet, qui hoſtium timore domum redieras, proprijs manibus interemit, & hoc ſepulchro impoſuit.

Hunc timidum mater Drapeion ipſa necauit.

De officio Ducis, ad incundam gratiam cum militi.

Cap. XVIII.

QVVM Fabius Max. omnibus ſere in rebus magnam laudem adeptus ſit domi, atque foris, in hoc maximam ad ineundam gratiam, animoſque militum ſibi reconciliandos meruit. Nam poſt pugnam, ſumma ſibi omnium militum cura fuit, maxime illorum, qui in prælio vulnerati fuerant, circum quos, caput in tentoria inſerens, ſingulos, vt ſeſe haberent, rogitans, eorum curam nominatim legatis, tribuniſque, ac præfectis demandabat, Rem quidem popularem per ſe ita prudenter egit, vt medendis corporibus, animi multo plus militum Imperatori reconciliarentur, quo ad Salubritatem, nec quicquam efficacius fuit, quam quod grato animo ea cura accepta eſt. Igitur refecto exercitu cum hoſte congreſſus, haud dubia ſpe ſua ac militum, hoſtes ita fudit, & fugauit, vt ille vltimus eis dies conferendi ſigna cum dictatore fuerit. Huc accedebat, ac alacritatem addebat, quod dictator militibus omnem prædam edixerat. Hac enim ratione gratia militibus eſt ineunda, atque victoria comparanda. Nam obſequium illud Imperatoris, ſed potius charitas milites ad prælium magis incitauit, & ſtrenuos reddidit. Quod quiſque Imperator imitari deberet; quia hoc multi magni Imperatores fecere, & cum victoria magnam laudem ex officio conſecuti ſunt, atque res præclaras geſſere. Nihil enim Imperatori vtilius eſſe videtur, quam amari, & timeri. Nullis enim alijs rebus, credite Duces, tot Imperia ac Regna parta fuere. Hoc enim ſummis Imperatoribus innumera ex hoſtibus Trophæa ac Triumphos peperit, Romano Imperio primum totius Italię principatum contulit, multarum Vrbium, magnorum Regum, validiſsimarum gentium prouincias, ac pontici ſinus fauces patefecit, Alpium, Taurique montis conuulſa clauſtra tradidit, ortumque a parua Romuli Caſa totius denique prope terrarum orbis culmen effecit. Quæ quidem ſiquis optat, id ipſum omni ſtudio excolere ac imitari conetur. Itaque facile voti compos efficietur. Nam Fabius Max. id, quod viribus & armis aſſequi non poterat, ingenio, officio ac pietate conſecutus eſt. Quibus quidem rebus nimium infeſtum Romanis hoſtem ſuperauit. Sit igitur Imperator mitis, comis, benignus ac liberalis, quibus militum animi deuinciuntur, & omnem quam libentiſsime laborem ſubeunt, ac vitam profundunt. Placet quoque illa Imperatoris in milites cura ab antiquis inſtituta, vt ex donatiuo, quod milites conſequuntur, dimidia pars apud ſigna poneretur, ibidemque ipſis militibus ſeruaretur, ne a contubernalibus poſſet abſumi per luxum, ac inanium rerum emptionem, ita pecuniam conſumendo, Dux ſeruandam iuſsit. Miles enim qui ſcit ſumptus ſuos apud ſigna ſeruari, de deſerendo nihil cogitat, ſed ſigna magis diligit, victoriam quoque magis ac magis cupit, vt aliam congerat, & pro ipſis ſignis magis ſtrenue in acie dimicat, & fortius humani ingenij amore, vt pro illis maximam curam habeat, in quibus ſuam ſubſtantiam poſitam eſſe videt. Denique decem ſacci per ſingulas cohortes exponebantur, quibus hæc ratio condebatur, ſaccus etiam vndecimus addebatur, in quo tota legio aliquam portiunculam conferebat, tumulandi cauſa, & ſiquis ex contubernalibus defeciſſet, de illo vndecimo ſacco ad illius tumulum expenſa promeretur. Hæc quidem ratio apud ſigniferos ſeruabatur. Iccirco ſigniferi non ſolum fideles, ſed literati eligebantur, qui & ſeruarent depoſita, & ſingulis rationem reddere ſcirent. Qua cura & ordine militia alebatur, & optimi milites & Duces indies augebantur. Quod quidem omnibus Ducibus ſeruandum eſſe perſuadeo, addoque defuncti hac luce pecuniam ſeruatam ad ſuos eſſe deferendam, vt cæteri munus militare libentius obirent. Quocirca nec miror, ſi illi priſci Imperatores tantarum rerum potirentur, officio fortaſſe & gratia magis, quam armis.

De numero militum, ut maior minorue uideatur.

Cap. XIX.

QVVM virtus deeſſe videtur, Duces ad dolos confugere ſolent, vt Hiphicrates, qui ſi plures milites (quam hoſtis haberet) quod vt ipſum hoſtem lateret, vt paruum militum numerum ſpernendo ſuperaſſet, iubebat, vt duo milites vnum tentorium dirigerent, & ibi vna quieſcerent, quo Claudius Nero aduerſus Aſdrubalem (vt dictum eſt) vſus fuit, atque arma vnius ſuper arma alterius ponerent. Sed ſi pauciores, ne contemnerentur ab hoſte, iubebat, vt vnus miles duo tentoria locaret, vt hoſtes terreret. Qua ſpecie multi decepti, paratam victoriam amiſere.

De præda pro dignitate militibus diſtribuenda. Cap. XX.

NEMINEM præterire me Hercule arbitror, maius cuique præmium deberi, quam qui virture aliÿs præſtare videtur. Quod Hiphicrates ſummo ſtudio excolendum eſſe, duxit. Nam poſt pugnam, parta victoria, ſemper cuilibet pro dignitate partem prædæ diſtribuebat. Præterea ſi dona a ciuitatibus accipiebat, etiam ipſa cuilibet diuidebat, hoc ipſum pro meritis & ordinum dignitate. Verbis quoque in ſpectaculis magis ſtrenuos honorabat, vt promptiores, audacioreſque eſſent ad bellum, ita ad virtutem ſuos incitabat. Idem quoque de aliÿs præclaris Ducibus legimus, qui militiam tanto ſtudio excoluere, qui non domum ſuam, ſed milites locupletare, atque rem. p. ſtuduere. Memoriæ igitur prodeant Duces, ſe militiæ cultores eſſe, & patriæ, ac militum patres, non autem mercatores, quod quidem turpiſsimum eſt, ac præter nobilitatis naturam in quod quidem vitium multos recentiores meis temporibus incidiſſe, vidi, hinc nullam laudem conſecutos.

Qua ratione miles hyeme ad bellum trahi poſsit. Cap. XXI.

NEMINEM Ducum latere cenſeo, prælium occaſionem deſiderare, quo facilius victoria comparari poſsit, vt quiſque hoc Cæſaris adduci poteſt. Qui quidem prælia non tantum deſtinato, ſed ex ipſa occaſione ſumebat, ac ſæpe ab itinere ſtatim, interdum ſpurciſsimis tempeſtatibus, quum minime quis moturum putaret, nec niſi tempore extremo ad dimicandum cunctantior factus eſt, quo ſępius viciſſet. Hoc minus experiendos caſus opinans, nihilq; ſe tantum acquiſiturum victoriam, quantum calamitas auferre poſſet. Nullum enim vnquam hoſtem fudit, quem non caſtris quoque exuerit. Ita nullum ſpatium perterritis dabat. Ancipiti prælio equos dimittebat, ſuumque imprimis, quo maior permanendi neceſsitaa imponeretur, fugæ auxilio erepto, omnia extrema prudentia obibat. At Hiphicrates eandem occaſionem nactus, miro ingenio, & prudentia tempore hiberno, quo corpora gelu rigent, ad prælium traxit. Nam tempus ſatis idoneum ad inuadendum hoſtem perſpiciebat, in planiciem milites deducere cupiebat. Qui leuitate veſtium vel tenuitate & ex nimio frigore difficile Duci aſſentiri videbantur. At ille tenui veſte indutus, & omnium leuiſsima, in caſtra profectus eſt. Qui perſpicientes Ducem viliſsima veſte indutum, & ſine ſoleis, ſponte pro communi ſaluţe ſe periculo obtulere, eumque quam libentiſsimę ſecuti ſunt.

De quodam dolo caſtrenſi. Cap. XXII.

CVM Hiphicrates in Thracia hoſtes haberet, iuxta caſtra nocte inter vtranque ſiluam accendit, relictis ibi impedimentia ac multis equis, fumus noctem obſcuriorem reddebat, ſeſe in quendam locum arboribus denſum & vmbroſum recepit cum exercitu in aciem deducto. Sed quum illuxiſſet, Thraces ad caſtra euntes neminem Grȩcorum inuenientes ad prædam verſi ſunt. Sed Hiphicrates cum copÿs præſto fuit, hoſteſque per caſtra vagos, & ſine ordine profligauit, amiſſaque impedimenta adeptus eſt.

De Tyrone milite. Cap. XXIII.

SI Tyronem militem Gabrias habebat, quum pugnam inire vellet, per pręconem mandabat, quod valetudinarÿ arma ſeparatim deponerent, omnes timidi fingentes ſe egrotare, ita fecere, quibus Gabrias in pugna non vtebatur, ſed ad occupanda loca difficiliora & munitiora, ve multitudo hoſtibus ſaltem timori eſſet, ſed nactua occaſionem, eos ſtatim ſtipendÿs priuabat.

De more Perſarum in recenſendis maxime his, qui in prælio interiere militibus: Cap. XXIIII.

PERSÆ in bellum ituri ante Regem in Throno ſedentem cum Duce ac vniuerſo exercitu ſimul adeſſe ſolebant, ac quilibet ſagyttam vnam in Cophinos ad hoc paratos proÿciebat. Deinde eos Regio ſigillo ſignatos cuſtodiri iubebat. Qui vbi in Perſidem rediere, quilibet ruſus ſagyttam ſuam ex his auferebat, poſtea Regi nunciabat, quot ſuperſunt ſagyttæ eorum, qui non ſunt reuerſi. Qua ratione perſpiciebatur, quot in prælio cecidiſſent. Pulchra enim ratio & facilia ad mortuos cognoſcendos, erat.

FINIS OCTAVI LIBRI.

AD EMANVELEM PHILIBERTVM
SERENISSIMVM ET INVICTISSIMVM SABAVDIAE DVCEM ETC.
DOMINICI CYLLENII, GRAECI DE DISCIPLINA MILITARI.
LIBER NONVS.

De victoria, quomodo acquiritur. Cap. I.

QVANQVAM O. P. plerique victoriam, aut in multitudine, aut robore militum, aut virtute Ducis, & rei militaris peritia, ac autoritate, aut opibus, ſine quibus (teſtimonio Ariſtotelis) nemo res præclaras agere poteſt, aut bello iuſte ſuſcepto, conſiſtere exiſtimauerunt, tamen vt ex maiorum monimentis accepimus, magis diuina ope parari, certum eſt. Quod non ſolum mortalium generi noſtra religione conſtare videtur, qua nemo fallitur, ſed etiam vetus illa ſuperſtitio lariſsime oſtentat. Nam ſæpe Romani Imperatores Matri Deum, victoriarum compotes, ſuſcepta vota, peſsinuntem profecti, ſoluerunt. Metellus autem Pontifex Max. Poſthumium Conſulem ac flaminem Martialem ad bellum gerendum Africam petentem, ne a ſacris diſcederet, Vrbem egredi minime paſſus eſt, religioni ſummum Imperium ceſsit, quod tuto ſe Poſthumius Martio certamini commiſſurus non videbatur, ceremonijs Martis deſertis. Quocirca Romani Imperatores ad bellum profecturi, ſic pro victoria ſe deuouebant, vt de Decio Conſule legimus. Quem quidem Pontifex togam prætextam ſumere iubebat, velatoque capite, manu ſubter togam ad mentum exerta, ſuper telum ſubiectum pedibus ſtantem, ſic dicere, Iane, Iuppiter, Mars, pater, Quirine, bellona, lares, nouenſiles, Dij indigetes, Diui, quorum eſt poteſtas noſtrorum ac hoſtium, Dij Manes, vos precor, veneror, veniam peto, vti populo Ro. Quiritium vim, atque victoriam proſperetis, hoſteſque populi Romani, Quiritium, terrore, formidine, ac morte afficiatis. Sicut verbis nuncupaui, ita pro re. p. Quiritium, exercitu, legionibus, auxilijſque populi Ro. Quiritiumque legiones, auxiliaque hoſtium mecum Dijs Manibus deuoueo. Nam veteres magnam victoriæ ſpem in ſuorum Deorum precibus, votis, ſacrificiis, ac auſpicijs ſerebant, ſine quibus haud ſe victoriam adepturi arbitrabantur, neque prælium inibant, vt eſt apud Ouidium de Faſtis, qui de hac re ita cecinit, ne bellum ſine auſpicijs geratur.

Non ego te quamuis properabis vincere Cæſar,
Si vetat auſpicium ſigna mouere velim.
Sint tibi Flaminius, traſimenaque littora teſtes.
Per volucres ſigna multa mouere Deos.

Quocirca a Tyberio Graccho (vt ait Valerius) ad Collegium Augurum literis ex prouincia miſsis, quibus ſignificabat ſe, quum libros ad ſacra populi ſpectantes legeret, animaduertiſſe, vitio tabernaculum captum comitijs conſularibus, quæ ipſe feciſſet, eaque re, ab auguribus ad ſenatum relata, iuſſu eius C. figulus ex Gallia, Scipio Naſica autem ex Corſica Romam rediere, ſeque conſulatu abdicarunt. Qui ſi tanta reuerentia Deos illos colebant, qui homines mortales, vt illi fuerant, ex quorum ſtatuis Dæmonum reſponſis eludebantur ac decipiebantur, a quibus omnia bona ſperabant, diuinos honores illis exhibentes, quanto nos magis verum Deum, qui cuncta creauit, excolere debemus, atque victoriam ſperare? Quod plerique ſecus efficiunt, immo, quod deterius eſt, eum probris ac maledictis inceſſere non deſiſtunt. Id quidem humanum genus; quod ſibi detrimentum affert, agere ſolet, ac peiora optare. Sed incepta ſequamur, quia ſic error progrediens, vires magis acquirit. Crotonienſibus quoque bellum in

locrenſes illaturis Delphicum oraculum de victoria conſulentibus reſponſum eſt, prius hoſtes votis, quam armis vincendos eſſe. Itaque vtrique Apollini vota fecere quadam certamine, ne alter ab altero illis ſuperaretur. Quam ob rem quum in aciem proceſsiſſent, & Crotonienſium centum & viginti milia armatorum conſtitiſſent, locrenſes ſuam paruam manum circumſpicientes (quindecim enim milia militum tantum habebant) amiſſa victoriæ ſpe in deſtinatam mortem conſpirant, tantuſque ardor ex deſperatione ſingulos cepit, vt ſe victores omnino putarent, ſi non inulti morerentur. Sed dum mori honeſte quærunt, felicius vicerunt. Nam pugnantibus locris Aquila ab acie nunquam receſsit, eoſque tandiu circumuolauit, quoad vincerent. In cornibus quoque duo iuuenes diuerſo a cæteris armorum habitu, eximia magnitudine, albis equis, & coccineis paludamentis pugnare viſi ſunt, nec vltra apparuerunt, quam pugnatum eſt. Quæ quidem alias alijs ſpectacula viſa fuere, vt caſtorem & Pollucem Romanis copijs apparuiſſe legimus. Hæc enim Dęmonum opera geſta ſunt, quum verum Deum neque noſcerent, neque colerent. Sic omnes hac falſa religione decipiebantur. Quare victoria magis (diuina ope) relicta illa ſuperſtitione antiquorum acquiritur, quam viribus & humano ingenio. Iccirco prælium ineunt Deo immortali vota prius per ſoluant, preceſque fundant cum vniuerſo exercitu ſeruatis noſtræ religionis ceremonijs atque præceptis, deinde iuſta bella ſuſcipiant, & de victoria nihil hæſitent. Qua quidem parta, non crudeles, non immanes in hoſtes ſint, ſed potius conſeruandi ij, qui haud huiuſcemodi fuere, vt Romani Aequos, Tuſculanos, Volſcos ac alios, quos etiam in ciuitatem acceperant, ſed Carthaginem, & Numantiam funditus ſuſtulerunt, quia in Romanos crudeles extitere. Eſt igitur victis conſulendum, tum ij (vt ait Cicero) qui armis poſitis ad Imperatorum fidem confugiunt, quamuis murum aries, aut tormentum percuſſerit, recipiendi ſunt. In quo tantopere apud eos iuſtitia culta eſt, vt ij, qui ciuitates, aut nationes deuictas bello in fidem recepiſſent, earum patroni eſſent. Sed ea bella, quibus Imperij gloria proponi videtur, minus acerbe gerenda ſunt, vt cum Pyrrho Rege de Imperij gloria certabatur, qui captiuos Romanos ſine auro & argento reddidit. Summa igitur modeſtia victoria vtendum eſt, ſi gloriæ cauſa Imperium expectendum eſt, ſcelus abſit, in quo non poteſt eſſe gloria, ſin ipſæ opes quoquo modo expectantur, cum infamia haud viles eſſe poterunt. Qua de re a victore omnis inſolentia ac impietas abſit, aberit omnino, ſi humanæ vitæ conditionem æquo animo perſpexerit, quibuſque rebus obnoxia eſſe videatur, quam præcipue primus & vltimus dies complectitur. Plurimi enim intereſt, quibus auſpicijs inchoetur, quoque exitu claudatur. Medij autem temporis curſus, vt fortuna gubernaculum rexit. Quo quidem tempore multos Reges, Imperatores ac Duces victores legimus, tandem aut mortem, aut miseram ſeruitutem ſubiere, aut profugi errantes, nullum vitæ otium inuenere, vt de Annibale, qui tot annos victor multos Romanos Duces cecidit, & fatigauit, tandem miſer & exul veneno interijt. Idem de Mythridate perſpectum eſt, ac alijs multis, qui medio temporis curſu, nonnullis victorijs elati, demum in hoſtium poteſtatem deuenere, vt Perſeus Macedonum Rex, qui aliquot annos Romanos bello fatigauit, tandem (ſua ignauia) in eorum poteſtatem deuenit. Cuius quidem fortunam miſeratus Paulus Æmilius, ita locutum accepimus. Virtutem (inquit) cadentium etiam apud hoſtes magnam habet reuerentiæ partem. Quare fortuna maxime formidanda eſt, quæ lætus rebus tandem immiſceat calamitatem? Alexandri ſucceſsionem qui in altiſsimum dignitatis culmen euaſit, vnius horæ ſpatio euerſam conſpicuis? Nonne tot exercitibus, tot equitibus, & pedeſtribus copijs nuper circundatum Regem Perſeum, nunc proſtratum & euerſum, ex hoſtiumque manibus cibum, potumque ſingulis diebus capere cernitis? Igitur ob victoriam partam inſoleſcere deſinatis. Nonne humiles vos ac remiſſos præſtabitis, ſemper cum tremore expectantes, in quem finem præſentis felicitatis inuidiam fortuna conuertat? Et hæc quoque poſt filiorum obitum, & triumphum dixiſſe fertur, humanarum rerum nihil vnquam pertimuiſſe, ſed diuinarum, vt infidam, vanamque rem ſemper fortunam expauiſſe, præſertim in tanta belli victoria, tantoque felicitatis curſu mutationem quandam, vt refluxum continuo formidaſſe, mihi fortuna ſuſpecta erat in eiuſmodi ſecundis rebus, quam etiam Vrbem delatus ſuſpectam habui, quam ſciebam, nihil puri, nihil ſine inuidia hominibus gratificari conſueſſe, nec animus meus pro re. p. prius timere deſtitit, Quam aduerſus caſus me priuatum inuaſit. Quam ob rem Solon ante mortem neminem beatum eſſe dicebat. Quocirca victor haud inſoleſcere debet, quia & ſibi aliquando aduerſam fortunam paratam eſſe ſciat, quia fortuna, vel inuidia, vel natura rerum humanarum nullam magnam felicitatem, moleſtiæ expertem euenire ſinit. Quæ profecto vana, inſtabiliſque vitam humanam, nunc ſecundis rebus, nunc aduerſis permiſcet, vt etiam his perſpici poteſt, quanta ſit varietas. Hæc enim L. Lentulum inter ornamenta dedecoraque alterna vice verſauit, illiuſque conſulatui damnationem, huic vero cenſuram ſubijciendo, neque perpetuis eum bonis frui, neque æternis malis ingemiſcere paſſa eſt. Quis enim putaret, Gn. Cornelium Scipionem Aſinam a duodecim faſcibus ad Carthaginenſium perueniſſe catenas? rurſuſque a punicis vinculis ad ſumma Imperij faſtigia? qui ex Conſule captiuus, & ex captiuo fortunæ beneficio Conſul factus eſt. Q. Cepionem quoque legimus, præturæ ſplendore, triumphi claritate, Conſulatus decore, Maximi Pontificis ſacerdotio ornatum (vt ſenatus patronus dice-

retur) publicis in vinculis ſpiritum depoſuiſſe, corpuſque eius funeſti carnificis manibus dilaniatum, in gemonijs ſcalis iacens, magno totius Romani fori horrore conſpectum fuiſſe? Præterea aperte in Mario ſuas vires fortunam expertam fuiſſe vidimus. Qui ex illo tam humili Arpinate, tam ignobili Romæ ac tam faſtidiendo candidato ille Marius euaſit, qui Africam ſubegit, Iugurtham Regem ante currum egit, qui Cymbrorum exercitus deleuit, ac bina eius Trophæa in Vrbe ſpectantur, cuius profecto ſeptem Conſulatus leguntur. Nihil enim huius conditione inconſtantius ac mutabilius, qui inter miſeros miſerrimus, inter felices, feliciſsimus fuit. Alios quoque pene infinitos legimus, qui hanc fortunæ mutationem experti ſunt. Inter quos Alcibiadem haud ſilentio prætereundum eſſe exiſtimaui, quem quaſi duæ fortunę partitæ ſunt, quarum altera eximiam nobilitatem, diuitias, formam, fauorem ciuium, ſumma Imperia, præcipuas potentiæ vires, flagrantiſsimum ingenium tribueret. Altera damnationem, exilium, proſcriptionem, inopiam, odium patriæ ac violentam mortem infligeret, quæ nec hęc vniuerſa, ſed varia, perplexa, freto ac æſtui ſimillima ei contulit. Nemo igitur, nec ſecundis rebus extollatur, nec aduerſis frangatur, ſed æquo animo in omnibus ſeſe habeat. Ac ſuæ conditionis quiſque memor eſſe debet, vt de Agathocle Sicilię Rege, figulo patre nato memorię proditum eſt, de quo præclare Auſonius his carminibus cecinit.

Fama eſt fictilibus cęnaſſe Agathoclea Regem,
Atque Abacum ſamio ſæpe oneraſſe luto,
Fercula gemmatis cum poneret aurea uaſis
Et miſceret opes, pauperiemque ſimul,
Quærenti cauſam reſpondit, Rex ego, qui ſum,
Sicaniæ figulo ſum genitore ſatus
Fortunam reuerenter habe, quicunque repente,
Diues ab exili progrediere loco.

Nam Rex virtutem & fortunam non autem perſonæ conditionem ſpectari oportere, voluit ac ſeipſum hiſce verbis efferre, vti virtute Duce & Comite fortuna, tantæ maieſtatis faſtigium attingeret. Atqui ſecus alij virtute vacantes in ſuos maiores nobilitatem referunt, quod miſerum eſſe puto alienæ incumbere famæ, ſed ſua magis quiſque gloria efferatur, vt æquo iure laudari poſsit.

An fugientes ſint perſequendi, necne. Cap. II.

SECVNDA quiſque fortuna contentus eſſe debet, nec aliam tentare, quia periculoſum eſt, ne in eius temeritatem incidat. Quare victoria contentus, hoſtibus fugiendi facultatem aditumque relinquat, & ab eis perſequendis deſiſtat, ne fortaſſe aduerſam fortunam experiatur, vt multis accidit, qui ex victoribus victi atque capti effecti ſunt. Iccirco quum Liuius Salinator Aſdrubalem, & eius exercitum deleuiſſet, ſibique nunciaretur, Gallos, Ligureſque ex acie ſine ducibus, ſine ſignis palantes parua manu opprimi poſſe, reſpondit, in hoc eis oporteret parci, ne quidem tantæ cladis hoſtibus domeſtici nuncij deeſſent. Si enim hoſtes deſperatos perſecutus fuiſſet, haud ſine ſuorum periculo feciſſet. Quam ob rem Iphicrates quum hoſtes fugaſſet, & in anguſtiſsimum locum deduxiſſet, proſpiceretque nullam ſibi apertam viam euadendi ſupereſſe, niſi illam ſolam, quæ neceſsitas propter victoriam aperiebat, dicebat, haud hoſtes ſtrenuos effici cogamus, tempus & locum fugæ dedit, vt ipſe ſine periculo victoria frueretur, quod ſapientiſsimi Ducis fuit. Dux igitur victoria contentus ſit, non autem hoſtium ſanguine ſaginari. Quod quum hoc optimum eſſe, ſenatus cenſeret, Gallos eo prælio, quod Camilli ductu geſtum eſt, nauigia optantes, quibus Tyberim tranſire poſſent, non ſolum tranſeundi poteſtatem dedit, ſed etiam commeatibus proſecutus eſt, quibus poſtea per põtinum agrum fugientibus via data eſt. Itidem Q. Martius Romanus eques, quum pœnos circumueniret, ne multi morerentur, laxatis manipulis, & conceſſo fugę ſpatio, diſsipatos ſine ſuorum periculó trucidauit. Annibal quoque quum ad traſimenum Germani incluſi acerrime pugnarent, deductis ordinibus, eis abeundi poteſtatem fecit. Cæſar quoque ipſos Germanos ex deſperatione acrius pugnantes, emitti iuſsit, fugienteſque aggreſſus cecidit. Themiſtocles enim victo Xerxe, volentes ſuos pontem irrumpere, prohibuit, quum docuiſſet, aptius eum ex Gręcia expelli, quam cogi ex deſperatione pugnare. Atqui ad eum miſit, qui indicaret, in quo periculo verſaretur, niſi fugam maturaret. Quumque Ariſtides diceret ei, Aſiam poſſe capi in Europa, ponte illo fracto, alium eſſe faciendum (inquit) vt illis facilior eſſet fugiendi aditus. Pyrrhus quoque capta quadam ciuitate, clauſiſq; portis ex vltima neceſsitate fortiter incluſos dimicantes cerneret, illis locũ ad

fugam dedit. Quippe qui inter alia Imperatoria præcepta, hoc optimum eſſe cenſuit, non eſſe pertinaciter hoſti fugienti inſtandum, vt non ſolum ex neceſsitate, ſed vt poſtea facilius cederet. Non enim vſque ad perniciem fugientibus inſtaturos eſſe victores dicebat. Eſt quidem valde periculoſum hoſtem longius perſequi, vt hoc perſpici poteſt. Nam quidam Dux Iuſtiniani Imperatoris. Mundus nomine dum victor Gothos perſequitur, ab eis occiditur. Itaque eius milites ex victoribus victi fuere, ac Solonas Vrbem, quam tenebant, deſeruere. Modeſte igitur victoria vtendum eſt, nec cruore hoſtium tellus madere debet, ſed patria honore repleri a Duce. Maiorem enim laudem miſericordia, quam crudelitas meretur, tum apud Deum, qui ſummopere delectatur, tum etiam apud hoſtem, & omneis. Satis eſt enim vincere, hoſtique imperare, qui humanitate deuinctus, amare non ſolum, ſed etiam fidem inuiolatam ſeruare omni tempore cogitur.

De exhauſto ærario, quid agendum tempore neceſsitatis. Cap. III.

SIQVIDEM horrendæ neceſsitatis amariſsima iura, atque leges, tum truculentiſsima Imperia, tum Romanam Vrbem, tum etiam exteras nationes, multa haud tantum intellectu, ſed etiam auditu grauia pati cogere ſolent. Nam C. Mario, & Gn. Carbone Conſulibus, bello inteſtino cum L. Scylla diſsidentibus, quo quidem tempore, non rei. p. victoria quærebatur, ſed eius præmium res publica erat, Senatuſconſulto in hac neceſsitate aurea, argenteaque templorum ornamenta, ne militibus ſtipendia deeſſent, conflata fuere. Digna enim cauſa eſſe videbatur, hi ne, an illi crudelitatem ſuam proſcriptione ciuium ſatiarent, vt Dij immortales ſpoliarentur. Non igitur P. conſcriptorum voluntas, ſed teterrimæ neceſsitatis truculenta manus (vt ait Valerius) illi Conſulto ſtylum ſuum impreſsit. Eadem quoque Diuum Iulium Cæſarem ad hoc facinus, quodam crudelitatis ſimulachrum, & truculenti ſpiritus imaginem impulit. Quippe qui, quum Mundam Vrbem armis clauſiſſet, aggerique extruenda materia deficeret, hoſtilium cadauerum congerie, quam deſiderauerat altitudinem inſtruxit, eamque tragulis, & pilis, quia roboreæ ſudes deerant, magiſtra nouæ molitionis neceſsitate vſus vallauit. Itidem quum ipſi Romani quadam neceſsitate, ſecundo punico bello laborantes, de Remigum ſupplemento agere cœpiſſent (res enim difficilis omnibus videbatur) hoc conſilium inierunt. Nam neque hominum ſatis, nec vnde pararentur, ac ſtipendium acciperent, quum ea tempeſtate quicquam pecuniæ in publico eſſet, vt priuatim ex cenſu, ordinibuſque ſicut antea remiges darent cum ſtipendio, ac cibarijs dierum triginta Conſules edixere, Ad quod quidem edictum tantus hominum ſtrepitus, tantaque indignatio fuit, vt magis Dux, quam materia ſeditioni deeſſet, ſecundum ſiculos Campanoſque Romanam plebem perdendam, ſibique lacerandam Conſules ſumpſiſſe, per tot annos tributo exhauſto, nihilque relinqui, præter terram nudam, vaſtamque habere, tecta hoſtes incendiſſe, ſeruos agricultores mare abduxiſſe, nunc ad militiam paruo ære emendo, nunc Remiges imperando, ſiquid cui argenti, ærisue fuerit, ſtipendio Remigum, & annuis tributis ablatum ſe, vt dent, quod non habent, nullaque vi, nullo Imperio cogi poſſe, bona ſua venderent, in corpora, quæ reliqua eſſent, ſæuirent, ne inde redimantur, quicquam ſupereſſe. Hæc non in occulto, ſed propalam in foro ac oculis ipſorum Conſulum ingens turba, circumfuſi fremebant; nec eos ſedare Conſules, nunc caſtigando, nunc conſolando poterant. Quum denique in hac difficultate rerum conſilium hæreret, ac prope torpor quidam hominum mentes occupaſſet, tum Leuinus Conſul magiſtratui, ſenatui, ſenatus populo, ſicut honore præeſſet, ita ad omnia, quæ dura atque aſpera eſſent ſubeunda Ducem eſſe debere. Hæc enim ad pecuniam in medium conferendam ratio optima fuit. Nam ſiquid inferiori, vt humili plebi, ſiue populo imperare velis, id tu ac maiores prius efficiant, itaque cæteri facilius obtemperabunt. Quocirca vt claſsis habeatur, quam ornare volebant, populus Romanus priuatos ſine recuſatione remiges dare, ſibi ipſi primum imperandum erat, ac agendum, vt omnino effectum fuit. Nam craſtina die omnes ſenatores, aurum, argentum, æs ſignatum in publicum contulerunt, ita vt anulos, ſibi quiſque & coniugi, & liberis, & filio bullam, quibuſque Vxor, filiæue ſunt, ſingulas vncias auri pondo relinquant, qui Curruli ſella ſederunt, equi ornamenta, & libras pondo, vt ſalinam, patellamque Deorum cauſa habere poſsint. Cæteri ſenatores libram argenti tantum æris ſignati quina millia in ſingulos patres familiæ relinquerunt. Cæterum omne aurum, argentum, æs ſignatum ad triumuiros menſarios extemplo detulerunt, nullo ante Senatuſconſulto facto, vt voluntario, collatio & certamen adiuuandæ rei. p. ad æmulandum excitet, primum animos equeſtris ordinis, deinde reliquæ plebis. Quod tanto iniecto certamine factum fuit, vt prima inter ſe primos nomina ſua vellent in publicis tabulis eſſe, vt nec triumuiri accipiendo, nec ſcribæ referendo ſufficerent. Itaque ſine edicto, ſine cohorta-

tione magiſtratus, nec Remige in ſupplementum, nec rei. p. ſtipendio militibus decernendo, opus fuit. Quocirca bellum victoria geſtum eſt. Igitur in tali rerum neceſsitate prius ciuitatis principes onera ſubeant, deinde facilius cæteri ſequentur, hoc principum Romanorum exemplo adducti, ſic exhauſtum ærarium locupletabunt. Hiphicrates autem quum militibus ſtipendium dare non poſſet, eos in loca deſerta ac ſolitudines deducebat, atque deſerta litora, vt parce viuerent, quibus rerum copia negata, multis abſtinere cogebantur. Sed ſi pecunia affluebant, in ciuitates, & loca amœna deducebat, vbi cito conſumptis ſtipendijs, penuria affecti, aliquid digni facere conarentur, quibus quidem nunquam otium dedit. Quum enim bello vacarent, ſemper aliquod negotium illis imponebat, vt cuniculos facerent, terramque foderent, aut arbores inciderent, aut transferrent caſtra, aut vaſa mouerent, quos nunquam torpeſcere paſſus eſt. Cui quum aliquando magna pecuniæ inopia eſſet, & tumultuantibus militibus, vt publice audirentur, iuſsit quibuſdam hominibus, linguę Perſicę peritis, perſicoque habitu indutis, vt quum audirentur, adeſſent, & barbaro ſermone dicerent, ciro adeſſe, qui pecuniam ferunt. nos autem ante miſsi ſumus, vt hoc vobis nunciaremus, quo audito; milites non amplius audiri voluerunt, ſed abierunt. Atqui melius Thimotęus Dux Athenienſium, cui quum pecunia deeſſet, vt militibus ſtipendium haud decerni poſſet, mercatoribus ſuaſit, quod ſuo ſigillo (loco pecunię) vterentur, ſed diſcedentes argentum & ſigillum vna ſecum ferrent. mercatoribus autem illi fidem adhibuere, atque ſigno Ducis, omnia militibus vendebant. Quum autem mercatores vellent diſcedere, tunc Thimotęus pecunia abundans, omnibus ſatiſfecit.

De uana militum ſpecie, ut plures uideantur.
Cap. IIII.

VBI vires deeſſe videntur, ingenio, & arte vtendum eſſe arbitror, plerunque vtriſque, vt C. Sulpitius dictator aduerſus Gallos pugnaturus. Qui quum magis animo, quam viribus confideret, omnia circumſpicere, ac agitare cœpit, maxime, vt aliqua arte terrorē hoſtibus incuteret. Solerti enim animo rem nouam excogitauit, qua alias multi vſi fuere. Mulis enim ſtrata detrahi iubet, biniſque tantum centunculis relictis, Agaſones partim ornatos captiuis armis imponit, his fere mille effectis, centum admiſcet equites, & nocte ſuper caſtra in montes euadere, ac ſiluis ſe occultare iuſsit, neque inde amouere, quam ab ſe ſignum acciperent. Ipſe autem, vbi illuxit, in radicibus montium ſępe aciem extendere cœpit, vt aduerſus montes hoſtis conſiſteret. Inſtructo enim iam vani terroris apparatu, qui quidem prorſus verſis viribus profuit. Atqui Duces Gallorum credere non diſceſſuros in æquum Romanos. Deinde vbi digreſſos repente viderunt, & ipſi certaminis auidi, in prælium ruunt. Prius quam pugna cœpit, quam ſignum a Ducibus daretur, dextrum cornu acrius Galli inuaſere, neque ſuſtineri potuiſſet, niſi forte eo loco dictator fuiſſet, acriter vtrinque pugnatur. Sed ijs, qui in monte erant, vt conuenerat, ſignum dedit. Vbi inde nouus clamor ortus, & obliquo monte tendere, a Gallorum caſtris viſi ſunt. Tum metu, ne excluderentur, pugna omiſſa eſt, curſuque effuſo, ad caſtra ferebantur. Vbi quum eis M. Valerius magiſter equitum occurriſſet, qui profligato dextro cornu, hoſtium munimentis obequitabat, ad montes, ſiluaſq; fugam vertunt, plurimiq; ibi a fallaci equitum ſpecie, Agaſonibuſque excepti ſunt, & eorum, quos pauor pertulerat, in ſiluas, atrox cædes, poſt ſedatum prælium fuit.

De incerta luce multiplicem hominum ſpeciem reddente.
Cap. V.

HANC profecto vanam militum ſpeciem bello hiſtrico lux incerta Romanis attulit. Quocirca noctu dimicare, periculoſum eſt. Nam bellum inter hiſtros ac Romanos gerebatur, vt primum. Horum caſtra ad locum Timaui mota fuere, Hiſtri poſt collem occulto loco conſedere, indeque obliquis itineribus in omnem occaſionem intenti, agmen ſequebantur. Vbi ſtationes inualidas eſſe pro caſtris, eorum turba inermis frequens inter caſtra & mare mercantium ſine vllo terreſtri, aut maritimo munimento viderunt, duo ſimul preſidia Placentinę cohortis, & manipulorum ſecundæ legionis aggrediuntur. Sed nebula matutina inceptum texerat, qua dilabente, ad primum ſolis tempus, perlucens iam aliquid, incerta tamen (vt ſolet) lux

hominum ſpeciem multiplicem prę ſe ferebat, tum quoque fruſtrata Romanos, multo maiorem his quam erat, hoſtium aciem oſtendit, qua quidem territi vtriuſque ſtationis milites ingenti tumultu, quum in caſtra confugiſſent, haud paulo ibi plus, quam quod ſecum ipſi attulerant terroris fecerunt. Nam neque dicere quid fugiſſent, neque percunctantibus reſponſum reddere poterant, & clamor in portis, vt vbi nulla eſſet ſtatio, quæ impetum ſuſtineret, videbatur. Et concurſatio in obſcuro incidentium aliorum in alios, incertum fecerant, an hoſtes intra vallum eſſent, vna vox audiebatur ad mare vocantium. Id forte temere ab vno exclamabatur, totis paſsim caſtris perſonabant, Conſulis imperio nemo parebat. Itaque fugientibus Romanis caſtra ab hoſte capta fuere. Sed paulo poſt recepta ſunt. Rex autem eorum temulentus, equo inuectus aufugit, cæteri interfecti fuere. Quanquam nocturna pręlia periculoſa eſſe ſæpe dixi, tamen Pompeius ea aduerſus Mythridatem elegit. Qui nocte aciem ſic inſtruxit, vt ponticorum oculos aduerſa luna perſtringeret, ſuis autem illuſtrem ac conſpicuum præberet hoſtem. Iugurtham quoque Romanorum virtutis memorem ſemper inclinata die pręlium committere ſolitum accepimus, vt ſi ſui fugarentur, & fugerent opportunam noctem ad deliteſcendum haberent. Nocturnum enim pręlium alicuius commodi cauſa gerendum eſſe arbitror, ſecus autem fugiendum. Sed ſi hoſtes noctu te ad pugnam exire prouocabunt, eo Quintij Conſulis conſilio vtendum eſt. Nam quum Volſci, Æquique Romanorum hoſtes tertia fere vigilia noctis ad caſtra Romana oppugnanda veniſſent. Quintius Conſul ſedato tumultu, quem ſubitus terror exciuerat, quum in tentorijs quietum militem teneret, hoſteſque in ſtatione eſſent, cornicines, tibicineſque in equos impoſitos ante vallum canere iuſsit, ſollicitumque hoſtem ad lucem vſque tenebat. Reliquum vero noctis adeo tranquilla omnia in caſtris fuere, vt ſomni Romanis quoque copia eſſet. Volſcos ſpecies armatorum peditum, quos & plures eſſe Romanos putabant, fremitus, hinnituſque equorum, qui & in ſueto ſedente equite, & inſuper aures agitante ſonitu, ſæuiebant, intentos velut ad impetum hoſtium tenuit. At vbi illuxit, Romanus integer, ſomnoque repletus, in aciem productus feſſum ſtando, & vigilijs Volſcum primo impetu perculit. & ſi hoſtes magis ceſſere, quam pulſi ſunt, tamen quia a tergo cliui erant, in quos poſt principia integris ordinibus tutus receptus, quod ſibi ſaluti omnino fuit. Secus enim de illis actum fuiſſet.

De honore pro dignitate decernendo.

Cap. VI.

SICVT placidum mare ex aſpero, cœlumque ex nubilo ſerenum fieri, ſic bellum pace mutari, ac plurimum gaudij afferri videmus, atque ex inimicis amicos fieri officio & virtute, quia ipſa amicitia (teſte Cicerone) nec ſine virtute eſſe poteſt. Quocirca de loci nobilitate quum inter duos exorta eſſet queſtio, quorum vtri maior honor eſſet decernendus, ambo quidem manu ſtrenui erant. Nam de hac re T. Pullo & L. Vorenus perpetuas inter ſe contrauerſias habebant, quiſnam eorum honore eſſet pręferendus, ac omnibus annis de loci nobilitate, ſummis ſimultatibus contendebant. Pullo autem quum accerrime ad munitiones pugnaretur. Quid dubitas (inquit) Vorone, aut quem locum pro tuę virtutis laude ſpectas? Hic dies de noſtris contrauerſijs iudicabit. Quibus dictis, ex caſtris procedit, munitionemque, qua parte hoſtium conſertiſsima viſa eſt, errumpit, vt loci nobilitas virtuti conferetur. Quo viſo, ne Vorenus quidem vallo ſeſe continuit, ſed omnium veritus exiſtimationem, ſubſecutus eſt. Tum mediocri ſpatio relicto, pullo pilum in hoſtes immiſit, atque vnum ex multitudine procurrentem traiecit. Quo percuſſo, & exanimato, hunc ſcutis protegunt, in hoſtem vniuerſi tela contorquent, neque ingrediendi dant facultatem, pulloni ſcutum transfigitur, baltheo defigitur, vaginam auertit, & gladium educere conantis dextram moratur manum, ac impeditum hoſtes circumſiſtunt. Sed inimicus illi Vorenus ſuccurrit, & laboranti ſubuenit. Ad hunc ſe confeſtim, a pullone omnis hoſtium multitudo conuertit. Illic vero gladio ocyus occurſat, cominuſque Vorenus rem gerit, atque vno interfecto, reliquos Paulum propellit, dum cupidius inſtat, in locum deiectum inferiorem concidit. Huic rurſus circumuento fert opem pullo. Poſtremo compluribus interfectis ambo incolumes ſumma cum laude ſeſe intra munitiones recipiunt. Sic fortuna in contentione & certamine vtrunque pari gloria ſeruauit, vt alter alteri inimicus auxilio ſalutique eſſet. Neque diiudicari poſſet, vter quidem vtri pręferendus eſſet. Itaque eorum litem adhuc ſub iudice eſſe voluit. Qua re oſtendere voluere, virtuti honorem omnino deberi, & recte quidem, quia ſapientum iudicio, ita ſancitum fuiſſe; memorię proditum eſt. Qui autem ſecus iudicant, a veritate, & rei nobilitate plurimum abhorrere cenſeo, atque vulgari opinione adduci, omni ſepta errore.

De quibuſdam rationibus ad impedienda itinera, & ex difficili loco euadendi. Cap. VII.

SIQVIS viam hoſtibus difficilem, aut inmeabilem reddere optat, ne hoſtes progrediantur, ſiluas ſecare debet, pontes amouere, commeatum igne corrumpere, vt hoſtibus omnia difficiliora reddantur, ac ędificia incendere, aquas veneno inficere, atque alia efficere, quę in eiuſmodi rebus fieri ſolent. Sed quo modo loca difficiliora ſunt euadenda, videamus. Nam Herculeius Sertorij legatus quum in Hiſpania inter duos montes abrutos longum & anguſtum iter ingreſſus, paucas cohortes duceret ac ingentem hoſtium manum comperuſſet, aduenire foſſam tranſuerſam inter montes pręſsit, vallumque materia extructum incendit. Itaque intercluſo hoſte euaſit. Pericles quoque Athenienſium Dux a Peloponnenſibus eum in locum compulſus, qui vndique abrutis cinctus erat, duos tantum exitus habebat, ab altera parte ingenius latitudinis foſſam duxit, velut hoſtis excludendi cauſa, ab altera militem agere cœpit, tanquam per eum erupturus. Ii autem, qui obſidebant, quum per foſſam, quam ipſe fecerat, Periclis exercitum non crederent euaſurum, vniuerſi a limite obſtiterunt. At Pericles pontibus, quos præparauerat, foſsis iniectis, ſuos, qua non reſiſtebant, emiſit. Spartacus etiam, quum a L. Varino proconſule præcluſus eſſet, palis per modica interualla ante portam fixis, erecta cadauera veſte adornata atque armis alligauit, vt procul intuentibus ſtationis ſpecies eſſet, ignibus per tota caſtra factis, varia imagine deluſo hoſte, copias noctis ſilentio eduxit. Hannon quoque ab hoſtibus incluſus locum eruptioni (maxime) aptum, leuibus ſarmentis aggeſtis, incendit, tum hoſte ad certos exitus cuſtodiendos auocato, milites per ipſam flammam admonitos ora ſcutis, crura veſte contegere, ita euaſit. Hoc quoque Dux loco iniquo ab hoſtibus circumuentus ſeruare poteſt, vt C. Frontinus Graſſus, qui in Hiſpania cum tribus milibus hominum prædatum profectus, loco iniquo ab Aſdrubale circumuentus, ad primos tantum ordines relato conſilio, nocte incipiente, quo quidem tempore minime expectabatur, per hoſtium ſtationes erupit, quod ſatius fuit, quam miſere mori. Publius autem Decius tribunus militum bello Samnitico, Cornelio Conſule, iniquis locis ab hoſtibus deprehenſo, ſuaſit, vt ad occupandum collem, qui in propinquo erat, modicam manum mitteret, ſeque his Ducem obtulit, hoſtis in diuerſa auocatus, Conſulem emiſit. Decium autem cinxit, ac illas anguſtias obſedit, nocte electionem quum eluctatus eſſet, ipſe Decius incolumis cum militibus ad Conſulem acceſsit. Idem quoque quum in ea valle demiſſum videret exercitum, effecit, ac eum liberauit.

De conſtantia & patientia militum. Cap. VIII.

CONSTANTIÆ quidem natura hoc comparatum eſſe videtur, vt quiſquis ſe aliquid ordine, ac recta ratione complexum eſſe confidit, vel iam geſtum, ſi obtrectetur, quadam acrimonia tueri debeat, vel nondum editum, ſi interpelletur, ſine vlla cunctatione ſibi ad rem ipſam perducendum eſſe arbitror, vti militum Cæſaris exemplo perſpici poteſt. Nam genus radicis ab his, fame laborantibus, inuentum fuit, qui cum Valerio fuerant, quod chara appellatur. Hoc enim lacte admixtum, multum inopiæ leuare videtur, id ad ſimilitudinem panis conficitur, cuius ibi magna copia erat, ex hoc confectos panes, quum in colloquijs, Pompeiani famem Cæſarianis obiectarent, paſsim in eos quodam contemptu iaciebant. Iamque frumentum matureſcere incipiebat, ac ipſa ſpe inopiam ſuſtentabant, quod celeriter ſe copiam habituros, confidebant. Præterea in vigilijs colloquijſque militum voces crebro exaudiebantur, prius ſe cortice ex arboribus victuros, quam Pompeium e manibus dimiſſuros, libenter etiam ex profugis agnoſcebant, eorum equos tolerari, reliqua vero iumenta interiiſſe, ipſos quoque valitudine non bona, cum anguſtijs loci, tetroque odore cadauerumque multitudine, quotidianiſque laboribus, operum inſuetos, tum ſumma aquæ inopia affectos eſſe. Omnia enim enim flumina & riuos, qui ad mare pertinebant, Cæſar aut auerterat, aut magnis operibus obſtruxerat, atque vt erant loca montuoſa, & ad ſpecus anguſtiæ vallium, has ſublicijs in terram dimiſsis, præſepſerat, terramque aggeſſerat, vt aquam continerent. Itaque illi loca neceſſario perſequi demiſſa, ac paluſtria, aut puteos fodere cogebantur, atque hunc laborem ad quotidiana opera addebant, qui tamen fontes a quibuſdam præſidijs longius aberant, celeriter Æſtibus exareſcebant. Sed Cæſaris exercitus optima valitudine, ſummaque aquæ copia vtebatur, tum omni commeatus genere, præter frumenti abundabat. Itaque vtrinque aliquo laborabatur. Hæc enim ratio mittendi ad obieſſos commeatus pulchra eſſe videtur, qua Romani dum Anni-

bal Caſtilinum obſideret, vſi ſunt. Nam farinam dolijs ſecunda aqua Vulturni Amnis dimittebant, vt ab obſeſsis exciperetur. Quibus quum abiecta per medium Amnem catena Annibal obſtitiſſet, nuces ſparſere, quæ cum aqua ferente ad oppidum defluerent, eo commeatu inuito Annibale ſociorum neceſsitatem ſuſtentauere. Sed magna oculis noſtris Fabij Max. animi conſtantia ſeſe offert, omnibus ſummo ſtudio imitanda, cuius quidem gratia labentem patriam in priſtinum reſtituit. Qui quum pecuniam Annibali pro captiuis numeraret, ea publice fraudatus tacuit. Dictatori quoque ei magiſtrum equitum Minutium iure Imperij ſenatus æquaſſet, ſilentium egit, atque compluribus iniurijs laceſsitus, in eodem animi conſtanti habitu ſemper permanſit, nec vnquam ſibi Rei. p. iraſci permiſit, tam in ciuium amore perſeuerauit. Imperium Romanum quoque Cannenſi prælio pene deſtructum vix ſufferre ad exercitus comparandos videbatur. Itaque fruſtrari ac eludere pœnorum impetus, quam manum cum ijs tota acie conſerere ſatius ratus, pluribus comminationibus Annibalis irritatus, ſæpe etiam rei bene gerendæ ſpe oblata, nunquam a Salubri conſilio, ne parui quidem certaminis diſcrimine receſsit. Nonne admirabilis fuit illa Q. Scæuolæ Auguris aduerſus Scyllam conſtantia? Qui occupata Vrbe prius depulſis ac proſtratis inimicorum partibus, ſenatum armatus coegerat, vt C. Marius hoſtis iudicaretur, cuius quidem voluntati nullis obuiam ire audentibus, ſolus Scæuola interrogatus de hac re, ſententiam dicere noluit, ſed truculentius ſibi minitanti Scyllæ, quamuis (inquit) mihi agmina militum, quibus curiam circumſediſti, oſtentes, mortemque miniteris, nunquam tamen efficies, vt propter exiguum ac ſenilem ſanguinem meum, Marium, a quo ciuitas, & Italia conſeruata eſt, hoſtem iudicare velim. Magnam quoque & admirabilem Alexandri Regis conſtantiam legimus, qui inclyta iam pugna, magnis Darei opibus contuſis, æſtu, ac itineris feruore in Cilicia per calefactus, Cydno, qui aquæ liquore conſpicuus, Tarſum interfluit, corpus ſuum immerſit, ex nimio hauſtu, rigore obſtupefactis neruis, ac torpore hebetatis artubus, magno totius exercitus dolore, in oppidum caſtris propinquum defertur, Tarſi æger iacebat, inque eius valetudine aduerſa, inſtantis victoriæ ſpes fluctuabat, medicorum ſententia fuit, vt vna potio ſibi daretur, atque eam Philippus Medicus ſuis manibus temperatam ei (cui amicus erat) porrexiſſet, a parmenione literæ miſſæ ſuperuenere, admonentes, vt Philippi inſidias, a Dareo pecunia corrupti, caueret. Quas quum legiſſet, ſine vlla cunctatione medicamentum hauſit, ac tunc legendas Philippo tradidit, pro quo tam conſtanti erga amicum iudicio, digniſsimam a Dijs immortalibus mercedem recepit, qui incolumitatis eius præſidium falſo interpellari iudicio noluerunt.

De requirenda uirtute, non genere in Reip. diſcrimine.

Cap. IX.

ROMANI virtutem cæteris rebus, maxime in rei. p. diſcrimine, præferendam eiſe ęquo animo duxerę, vt in multis perſpici poteſt. Nam Numam Pompilium, non modo patritium, ſed nec quidem ciuem Romanum, ex agro Sabino accitum, populi iuſſu, patrum autoritate, Romę regnaſſe accepimus. Deinde L. Tarquinium, non modo Romanę, ſed neque Italicę gentis, Demorati Gręci filium, incolam a Tarquinijs, viuis liberis Anci M. Regis, Regem factum, poſt hunc Seruium Tullum, captiua natum, patre incerto, Matre ſerua, ingenio ac virtute regnum tenuiſſe. Titum Tatium Sabinum Romulus in Regni ſocietatem accepit. Mario, Tullioque arpinatibus, omnes fere Rei. p. honores decreti fuere. Ergo dum nullum faſtiditur genus, in quo virtus enitet, creuit ad tantę maieſtatis culmen Romanum Imperium. Quocirca ad Rei. p. commodum, non genus & ſtegma, ſed virtus eſt requirenda, vt hic ipſi Romani in rerum diſcrimine effecere. Nam quum Minutius Conſul ab Æquis populis in caſtris obſideretur, ſenatus Q. Cincinnatum Dictatorem creat, ex agro quidem rei Ruſticę intentum, ad Vrbemque cum Dictatoris inſignibus vocat, & cum Lucio Tarquinio in concionem venit magiſtro equitum, iuſtitium edicit; Tabernas tota Vrbe claudi iubet, vetat quemquam priuatæ rei agere. Tum quicunque militari ætate eſſent, armati cum cibarijs coctis in dies quinque ante ſolis occaſum in campo Martio adeſſent, quibus ætas ad militandum grauior eſſet, dum arma pararet, vallumque peteret, cibaria coquere iuſsit, ſic ab omnibus ſibi obtemperatum fuit. Itaque Conſulem obſeſſum liberauit cum vniuerſo exercitu, hoſtes ſuperauit, ac ſub iugum miſit. Non enim peregrina virtus Romanis fuit aliena. Nonne M. Perpenna ante Conſul quam ciuis fuit? Græcus enim erat. Sed in bello gerendo aliquanto vilior Rei. p. Varrone, qui ex macellaria taberna patris ad conſulatum conſcendit. Hic ab Annibale Cannenſi prælio profligatus fuit, & Romanam Rempublicam in magno diſcrimine poſuit. Ille vero Regem Ariſtonicum cepit, craſsianæque ſtragis vltor extitit. Quocirca virtus nullibi peregrina

eſſe deberet, nec loco circumſcribi, ſed vbique, vt ciuis eſt ſuſcipienda, atque fouenda more Romanorum, qui quidem eam tanti fecere, vt eius tantum ratio haberetur, non autem generis, vt a pleriſque fieri ſolet. Quo fit, vt res ſæpe retro referri videntur.

An de Imperio cum paucis, uel uniuerſis copijs decertandum ſit, uidendum eſt. Cap. X.

QVVM Regnum maxima res omnium quæ apud homines cernuntur, omnino eſſe videatur, maxima cura ac diligentia tutandum eſſe, exiſtimamus, vt diu manere poſsit, nec facile omnibus decernendum propter multitudinis diſcrimen, quod indies imminere ſolet, atque ipſi Regiæ maieſtati, quæ tanti ab omnibus haberi perſpicitur, non quidem vt ſibi ſoli conſulat, ſed omnibus, qui in regno ſunt. Quocirca præclare dictum eſt a Platone, nullus princeps, ea ratione, qua princeps eſt, imperat, quod ſibi vtile ſit, ſed quod ei, qui paret, conducat, & quæcunque egerit, aut dixerit, illius commodum & honorem reſpicere debet, non autem ad ſuum omnia referre. Quam ob rem quum res aliquam difficultatem pati videatur, quod belli diſcrimen immineat aliqua cauſa, idque armis ſit decertandum, quum ratione haud decerni poſsit, belli fortuna an cum toto exercitu, vel paucis tentanda ſit. Vtrunque enim magno rerum periculo laborare videtur, quid ſatius ſit, an multos, an paucos homines amittere, rem in diſcrimen vtrius ferre hominum periculoſum eſt, ſed periculoſius pauciorum (meo iudicio) rem certamine decernere, vti inter duos Reges geſtum fuit, Romanum & Albanum, qui Regnum ſuum in paucorum fortuna commiſerunt. Quorum quidem ratio ſic ſeſe (vt a Liuio etiam narratur) habuit. Nam mortuo in caſtris Ciuilio Albanorum Rege, Albani Metium dictatorem creant, ac belli ſumma aduerſus Romanos ſibi decernitur, interim Tullus hoſtilius Rex Romanorum ferox, præcipue morte ipſius Regis, magnumque Deorum Numen ab ipſo capere orſum in omne nomen Albanum expecturum pœnas cauſa impij belli dictitans. Nocte perterritis hoſtium caſtris in agrum Albanum pergit. Quod Metium ab ſtatiuis exciuit. Qui quam proxime ad hoſtem poteſt, copias duxit. Inde legatum præmiſit, Romano Regi nunciaturum, prius quam dimicent, colloquio opus eſſe, quod Hoſtilius haud aſpernatus fuit. Albanus multa verba fecit, quorum hæc vltima fuere. Si Dij nos amant (inquit) quoniam non contenti libertate, certa an dubia Imperia ſint, ineamus aliquam viam, qua vtri noſtrum imperent, ſine magna clade, ſine multo ſanguine vtriuſque populi decerni poſsit. Atqui T. Hoſtilio res minime diſplicet, quanquam tum in dole animi, tum ſpe victoriæ ferocior erat. Quærentibus vtrinque ratio initur, cui & fortuna ipſi materiam præbuit, res quidem memoratu digna ac præclara ſingulari pugna inter tergeminos vtriuſque exercitus fratres conficitur, ſed aliquantum dura & aſpera, durior quidem ac triſtior exitus. Tum forte in duobus exercitibus trigemini fratres erant, nec ætate, nec viribus diſpares, Horatij, Curiatijque. Cum trigeminis Reges agunt, vt pro ſua quiſque patria dimicent. Ibi ferro Imperium fore, vnde victoria fuerit. Nihil recuſatur, tempus & locus conuenit. Sed ante pugnam icto inter vtrunque his legibus fœdere, vt cuius populi ciues eo certamine viciſſent, is alteri populo cum bona pace imperaret. Interim trigemini arma capiunt, quum ſui viros adhortarentur, Deos patrios, patriam ac parentes, quicquid ciuium domi, quicquid in exercitu ſit, illorum tunc arma, illorum intueri manus, feroces, & ſuapte ingenio, & pleni adhortantium vocibus in medium inter duas acies procedunt. Conſederunt vtrinque pro caſtris duo exercitus, periculi magis præſentis, quam curæ expertes. Nam de Imperio agebatur in tam paucorum virtute & fortuna. Itaque erecti ſuſpenſique in minime gratum ſpectaculum animo intenduntur. Datur pugnæ ſignum, infeſtiſque armis, velut acies, terni iuuenes magnorum exercituum animos gerentes concurrunt, nec his, nec illis periculum ſuum, ſed publicum Imperium ſeruitiumque obuerſatur animo, futuraque ea deinde patriæ fortuna, quam ipſi feciſſent. Vt primo ſtatim concurſu arma concrepuere, micantes fulſere gladij, horror ingens ſpectantes perſtringit, & neutrò inclinata ſpe vox torpebat ac ſpiritus, conſertis deinde manibus, cum iam non motus corporum tantum, ac anceps telorum agitatio, atque armorum, ſed vulnera quoque & ſanguis ſpectaculo eſſent, duo Romani, ſuper alium alius, vulneratis tribus Albanis, expirantes corruerunt, ad quorum caſum quum clamaſſet gaudio Albanus exercitus, Romanas legiones iam ſpes tota, nondum tamen cura deſeruerat, quia duorum mortuorum fratrum vice, vnus prælium ſtrenue geſsit, quem Curiatij circumſteterant. Hic forte integer fuit, ſed vniuerſis ſolus nequicquam par, ſic aduerſus ſingulos ferox. Igitur vt eorum pugnam ſegregaret, fugam ex induſtria capeſsit, ita ratus ſecuturos, vt quemlibet vulnere affectum ſineret. Iam aliquantum ſpatij ex eo loco, vbi pugnatum eſt, aufugerat, quumque eos reſpiceret magnis interuallis ſequentes (hic quidem fuit curiatiorum error) qui Romanis victoriam attulit, vnum haud procul ab ſe abeſſe, in eum magno impetu redijt, & dum Albanus exercitus cu-

riatijs inclamat, vt fratri opem ferant, iam Horatius cæſſo hoſte victor, ſecundam pugnam petebat. Tum clamore, qualis ex inſperato pauentium ſolet, Romani ſuum militem adiuuant. Ille autem prælio defungi feſtinat. Itaque priuſquam alter, qui neque procul aberat, conſequi poſſet, & alterum curiatium conficit. Quam obrem æquato Marte, ſinguli ſupererant, ſed nec ſpe, nec viribus pares. Alterum intactum ferro corpus, & geminata victoria ferocem in certamen tertium dabant. Alter, feſſum vulnere, feſſum corpus trahens curſu, victuſque fratrum ante ſe ſtrage, victori obijcitur hoſti. Nec illud prælium fuit. Romanus exultans, duos (inquit) fratres manibus dedi, tertium cauſam belli huius, vt Romanus Albano imperet, dabo male ſuſtinenti arma, gladium ſuperne iugulo defigit, iacentem ſpoliat, Romani magna lætitia Horatium accipiunt, cuius cauſa parta victoria, Albanum Romano Imperio ſubiectum fuit. Sed ſi quæratur, an prudenter ijs tribus a Regibus hæc pugna decreta fuerit, haud facile eſt iudicare. Nam ſi toto exercitu dimicatum fuiſſet, Imperium in tantum periculum haud deductum fuiſſet, vt trium ferro amitteretur, quia eo profligato & amiſſo, aut alterum conſcribere poterant, aut mœnibus Imperium tutari. In hoc enim mihi videtur eos Reges magna ſuorum ſpe, magna audacia adductos fuiſſe, & fortaſſe haud recte ſenſiſſe, tam paruo temporis ſpatio, trium fratrum viribus, ac temeritate Imperium in eiuſmodi diſcrimen collocare. Trium enim pugna pulchra viſa fuit, ſed pulchrior vnius victoria quam mira arte, ingenio, ac viribus adeptus fuit, qui recte Romanæ libertatis parens appellari poteſt. Hoc enim trigeminorum prælium minore populorum ac rerum periculo priuatarum geſtum fuit, quia quum ita expeditius gereretur, minorem cladem, cædem, prædamque vtrique populi ſenſere, ſed periculum Regibus tantum, ne tam cito Regnum amitterent, imminebat, quod cæteri caueant, quia quum Regnum maxima res ſit, ſtultum eſt, id paucorum viribus decernere, quum omnibus copijs decertandum eſſe cenſeo. Nam id deſperatorum principum eſſe arbitror, ac temeritati, non autem prudentiæ aſcribendum, vt facile diiudicari ſano capite poteſt.

De publicis inimicitijs priuatis carentibus & Ducis comitate. Cap. XI.

NON me præterit, literarum monimentis proditum fuiſſe, ſæpe rei. p. cauſa inimicos priuatum odium depoſuiſſe, vt de Annibale & Scipione (quamuis fortaſſe diſsimulatione) legimus. Quod quidem in multis claris viris compertum habemus, maxime in Scipione atque Aſdrubale id cerni poteſt. Nam quum vterque eodem die ad Regem Syphacem ad petendam pacem & amicitiam peruenisſent. Itaque prior in terram Aſdrubal, mox Scipio, & Lælius egreſsi, ad Regem proficiſcuntur. Magnificumque id Syphaci nec erat alias viſum, duorum opulentiſsimorum ea tempeſtate populorum Duces vno die [illegible] pacem ac amicitiam petentes veniſſe, vtrunque in hoſpitium inuitat. Et quoniam ſors eos ſub vno tecto eſſe, atque ad eoſdem Penates conducere voluiſſet, ad colloquium dirimendarum ſimultatum cauſa eſt conatus, Scipione abnuente haud priuatum ſibi vllum cum pœno odium eſſe, quod colloquendo finiret, aut de re. p. ſe cum hoſte agere quicquam iniuſſu ſenatus poſſe. Illud magnopere tendente Rege, ne alter hoſpitum menſa excluſus videretur, vt in animum induceret, ad eaſdem venire epulas, haud vir humanus & comis abnuit, ſimulque apud Regem cœnatum eſt, & eodem etiam lecto Scipio, & Aſdrubal, quia ita cordi erat Regi, accubuerunt. Tanta enim Scipioni comitas erat, atque ad omnia naturalis ingenij dexteritas, vt non modo Syphacem Barbarum, omnibuſque Romanis moribus inſuetum, ſed & infeſtiſsimum hoſtem facunde alloquendo ſibi conciliaret, mirabilioremque ſibi eum virum congreſſo coram viſum is ſe ferebat, quam bello rebus geſtis nec dubitare, quin Syphax Regnum eius iam in Romanorum poteſtate eſſet, eam artem illi viro ad conciliandos mortalium animos. Itaque comitas omnia arma vicit, & aſpera corda mollit, & ex publico inimico priuatum facit amicum, quod omnibus fere principibus commune eſſe videtur, vt latiſsime conſtat. Quibus quidem foris graues inimicitias, immanıaque bella, ſiue de Imperio, ſiue de ſalute, geri videmus. At domi (ſi accidit) vel colloquio, vel hoſpitio, ſumma humanitas, comitas, adulatio plurima cernitur. Omne igitur malum in multitudinis capita retundi, certum eſt. Quare recte cani ſolet, & prouerbium verum eſt.

Quicquid delirant Reges, plectuntur Achiui.

De ratione

De ratione ueniendi ad colloquium. Cap. XII.

QVIA in principum colloquĳs multa ſibi diſcrimina imminere ſolent, multis cautionibus eis opus eſſe video, quas pleriſque prudentiſsimi Imperatores ſatis ad vitanda hoſtium pericula docuere. vt Philippus Macedonum Rex cum Romanis atque Græcis bellum gerens cum Q. Flaminio eorum Imperatore caute ad colloquium venit. Qui quidem multis Græcis principibus ſtipatus ad extremam littoris partem progreſſus, quum Rex in nauis proram in ancoris ſtantis proceſsiſſet, commodius (inquit) ſi in terram egrediaris, ex propinquo dicamus, inuicemq; audiamus. Quum Rex facturum ſe id negaret. Quem tandem (inquit) Quintius times? Ad hæc ille ſuperbo & Regio animo, neminem equidem Timeo præter Deos immortales, non autem hominum credo fidei, quos circa te video, qui Græci erant, atqui omnium minime Ætolis, illud quidem an Romanus par omnibus periculum eſt, qui cum hoſte ad colloquium congrediuntur, vt ih nullo fides ſit, non tam (inquit) O. Tite Quinti, par perfidiæ præmium eſt, ſi fraude agatur Philippus & Phaneas princeps Ætolorum. Neque enim æque difficile Ætoli prætorem alium, ac Macedones Regem in meum locum ſubſtituant, qui prudenter locutus, ſed prudentius cum Romano egit, quia ad confirmandum fœdus dum Romam mitteretur, tempus ad conſcribendos milites, occupauit. Itaque Duces ad colloquium pari loco, paribus armis, ac viribus proficiſcantur, vt Annibal & Scipio ad colloquium congreſſuri inter vtriuſque caſtra in medio locus omnibus vndique conſpicuus, nequid inſidiarum eſſet, ſummotis pari ſpatio armatis, cum ſingulis interpretibus congreſsi ſunt, & multis verbis citro vltroque habitis rebus infectis abierunt, atque ad arma ventum eſt. Eſt enim caute agendum propter inſidias in ipſo colloquio, vt alias dictum eſt. Nam alias Conſuli colloquenti pœni catenas inĳcerunt. Sabinus quoque quum ad colloquium Ambiorigis veniſſet, data fide, quos in præſentia tribunos militum circum ſe habebat, ac primorum ordinum centuriones ſe ſequi iubet, & quum propius Ambiorigem Ducem acceſsiſſet, iuſſus eſt, arma abĳcere, imperatum facit, ſuoſque vt idem faciant, imperat. Interea de conditionibus inter ſe agunt, longiorque Conſulto ab Ambiorige ſermo inſtituitur, paulatim circumuentus Sabinus, interficitur, tum victoriam conclamant hoſtes, & clamorem tollunt, impetuque in Romanos facto, ordineſq; perturbant, ibi L. Cotta, qui ad eius colloquium peruenire negauerat, pugnans cum maxima militum parte cecidit, reliqui ſe in caſtra receperunt. Hoc ſcelere Barbaros ſæpe vſos fuiſſe legimus, Quo quidem nihil turpius ac ſceleſtius, maxime datam fidem fallere.

De alia belli ratione, ubi commodius geri poteſt. Cap. XIII.

DOMI an foris bellum ſatius geri debeat, nec facile eſt iudicare, quum inuictiſsimorum Ducum ſententiæ haud ſibi conſentaneæ eſſe videatur. Nam Annibalis ſententia ad Antiochum Regem de bello in Italiam transferendo (quum Græcia ſibi ſedes belli non placeret) hæc quidem fuit. Bello (inquit) omnia cuicunque domi eſſe grauiora ob ingruentem famem, foris autem leuius geri. Ego autem hanc ſententiam (famis ratione) minime approbo, quia domi miles paratiores commeatus habet, ac annonam ad vitæ vſum neceſſaria, quæ ab amicis in caſtra vehi poſſunt. Foris autem ab hoſtibus vi ſunt extorquenda, ac veluti ille, qui ex rapto viuere conatur. Sed illa verba fortaſſe Attulit Annibal, quia Italos ſeditioſos expertus fuit, ac plures Romani nominis hoſtes, qui nacti occaſionem facile deſciſſerent, & ad externum Ducem deficerent. In hoc quoque vera eſſe poteſt, quia foris milites ex rerum penuria magis ſtrenui ac induſtrioſi efficiũtur, quia etiam vbi nulla ſuppetit viuendi ratio ad vitam degendam, ibi armis omnia ſunt acquirenda, quia neceſſitas ex ignauo plerunque homine, ſolicitum ac induſtrioſum reddit, vt ſæpe in multis perſpectum eſt. Atqui Demoſthenis ſententia erat, bellum in Macedones longe eſſe gerendum. At Phocion per Deos immortales (inquit) viri Athenienſes, non vbi pugnetis, ſed quo pacto vincatis inſpicite victoribus enim bellum vndecumque abeſt, longiſsime, victis autem & ſi multum hoſtis abfuerit, proximum eſt omne periculum. Præclara ſane viri ſententia, & omni laude digna.

Quid ſatius? an ſcire imperare, an imperanti obedire? quæritur. Cap. XIIII.

SIQVIDEM eos vehementer mirari ſoleo, qui tum ſoliti ſunt dicere, Lacedæmonios ſciſſe imperantibus parere, ſed imperare ignoraſſe, tum etiam Theopompi Regis dictum laudare, qui (dicente quodam) eo ſpartam ſeruari, quod Reges imperare didicerent, quin propterea (inquit) potius, quod ciues Imperio parent. Non enim illis parere patiuntur, qui neſciunt imperare, ſed ſubiectorum obedientia eſt principis diſciplina. Nam qui recte ducit, vt recte ſequatur, efficit. Itaq; ſicuti equeſtris artis effectus eſt, manſuetum

præſtare,& obſequentem equum,ſic & Regiæ diſciplinæ munus obedientes efficere. Lacedemonij vero non obedientes reliquos,ſed percupidos reddebant,vt ab ſe regi,& ſibi obedire vellent.

De ratione beneficio fortunæ utendi. Cap. XV.

IMPERATOR, parta victoria, fortunæ beneficio vti debet, ac perterritis nullum eis ſpatium dare, vt Cæſar, qui quum Pompeianos ex fuga compulſos intra vallum perſpiceret, milites cohortatus eſt, vt caſtra oppugnarent, maxime, ſi id ſine periculo effici poteſt, qui quidem & magno æſtu fatigati erant, & ad mendicem res perducta, tamen ad omnem laborem parati, ſibi paruerunt, remque ad votum confecerunt. Hoc enim beneficio fortunæ Annibal poſt Cannenſem Romanorum cladem, vti noluit, diuitijs Capuanis cum exercitu occupatus, torpeſcere cœpit.

De ratione retinendi ſuſpecti Regni. Cap. XVI.

QVA ratione iure belli parta, ne populi deſciſcant, retineri poſsint, docuit Alexander Rex Macedonum, qui deuicta ac perdomita Thracia Aſiam petens, veritus, ne poſt ipſius diſceſſum arma ſumerentur, eorum Reges, præfectoſque ac omnes, quibus videbatur detractæ libertatis cura ineſſe, velut ſecum honoris cauſa traxit. Ignobilibus autem relictis, plebeios præfecit, conſecutus, vt principes beneficijs eius obſtricti, nihil nouare vellent. Plebs vero ne poſſet quidem ſpoliata principibus quicquam agere, hoc quam prudentiſsime ab eo factum fuit. Quo & partas gentes, & ciuitates ſeruauit, ſuæque militiæ robur addidit.

De Duce interdum militis munere fungente. Cap. XVII.

XENOPHON vt militibus eſſet ſuæ virtutis exemplo, militis munere quandoque vſus fuit. Nam quum æquo veheretur,& pedites iugum,quod clam occupare iuſsiſſet, vnus ex eis obmurmurando diceret,facile eum laborioſa ſedentē imperare, deſiluit,& Gregarium equo impoſuit,curſuque ipſe pedeſtri ad deſtinatum iugum peruenit. Cuius profecto facti ruborem quum perpeti miles non poſſet, irridentibus commilitonibus, ſponte deſcendit. Xenophon, vbi vniuerſi perpulere, vt equum conſcenderet, & laborem ſuum, vt neceſſaria Duci [illegible] vellet. Quo oſtendit, omnem militiæ laborem Ducem interdum ſubire oportere. Quod quidem omnes fere magni Imperatores obiere, præ ſe ferentes nullo modo militiæ munera detrectaturos eſſe; vt ſæpe Alexander Rex Macedonum Indiam petens effecit, modo in itinere, modo Vrbes oppugnando murum conſcendit. Sed his temporibus hoc minime propter [illegible] a, eſſe efficiendum arbitror. Nam vetus pugna, Imperatori hac tutior omnino [illegible]

De opum ac diuitiarum effectu. Cap. XVIII.

OMNES quidem diuitiæ (Apollonij Tianæi teſtimonio) ſi mediocritatem excedere videntur, contumeliam pariunt, ceruicemque ſupra multos extollere faciunt, ac animos erigunt, nec legibus obtemperare patiuntur, magiſtratuſque qui ad gubernandas prouincias accedunt, in diuitum capita prouocant, quum pecunijs (maxime) inſeruiant, atque ſe ab eiuſmodi diuitibus propter diuitiarum magnitudinem contemni arbitrantur. Ipſę diuitię homines adeo inſolentes reddunt, vt difficile ſit eis ſanctam ſeruare ſocietatem, atque legibus obtemperare, iuraque excolere, vt Plato apud Cyrenęos loquitur, vt leges eis conſcriberet, diſſeruit, Cyreneos (inquit) ampliſsima fortuna ſolutos legibus contineri non poſſe. Nihil enim imperatu difficilius eſſe eo homine, quem proſpera fortuna extulerit. Neque iterum quippiam regi leuius illo, qui aduerſis fuiſſet caſibus depreſſus. Irrideo Anacharſis irriſit leges Solonis, qui literis exiſtimabat ſe iniurias ciuium, atque cupiditates coercere poſſe, quæ nihil penitus ab Aranearum telis differrent. Sed quemadmodum illæ, ſic hæ ex captis, debiles atque imbecillos detinent, a potentibus autem ac locupletibus rumpuntur. Has enim diuitias Solon minime mirabatur, ſed dicebat, nihil eum differre, qui magnam auri argentique vim, multoſque equos & iumenta poſsideret, ab eo, qui hæc ſola eſſent ventris, aut lineis, & pedum morbo la-

queat. Nam omnibus prope euenire ſolet, qui magnis ac ſubitis ſucceſsibus ſe ad potentiam, nimiaſque opes extullerunt, & ſecundis rebus elati tumidique nimia inſoleſcere ſolent, atque grauius pro populari comitate & affabilitate Tyrannicos ſpiritus, ac minime ferendam ſuperbiam ſumere, vt in Romulo perſpectum fuit, primumq; id ex ipſo corporis habitu, cultuque apparuit. Purpura enim ornatus incedebat, in ſedeque conſpicuus ſedens, populo iura dabat, atque iudicia exercebat. Verum quia diuitiæ ſunt veluti quædam virtutum inſtrumenta, non ſunt omnino ſpernendæ, niſi abutantur, & in mortalium perniciem referantur. Recte enim his vtentes laudabimus, quum multis prodeſſe poſsint, eas, quibus opus eſt, errogando, liberaliter fugendo ad omnium gratiam ineundam comparandamq; beneuolentiam. Quid enim pulchrius ac laudabilius, quam (quum opus eſt) in alium beneficium conferre, atq; de humano genere optime mereri? Optime. n. ſunt opes & diuitię, quia humanę vitę multa commoda afferunt, ſi recte errogentur, ac liberalitati inhęrebūt.

De hoſtium commento cauendo, quo plerunque multa mala euenire ſolent. Cap. XIX.

PRÆCLARE a philoſopho dictum accepimus, paruum errorem in principio, in fine coaleſcere, ac maximum fieri, vt ipſis Athenienſibus, eo bello, quod inter ipſos & Syraguſanos geſtum eſt, auxiliantibus Lacedæmonijs, Duce Gylippo, euenit. Qui, commiſſa pugna nauali, profligati fuere, ac multas naues amiſere. Atqui Syraguſani ac ſocij Lacedæmonij victoria potiti, ad Vrbemque reuecti, Trophæum ſtatuere. Athenienſes autem tanta clade perterriti, nihil de mortuis, & naufragijs repetendis cogitantes, ſed noctu abire conſtituerunt, maxime terreſtri itinere. Horum conſilium ſuſpicatus Hermocrates Dux Syraguſanorum, arbitratuſque rem atrocem fore, ſi tantus exercitus pedeſtri itinere proficiſcens, alicubi ſubſideret, vereturque ne Athenienſes per ſilentium noctis tranſeuntes, ardua maxime loca occuparent, hoc ipſe commentus eſt. Nam quoſdam ex comitibus ſuis equeſtres ad hoſtium caſtra mittit, obſcura iam nocte, qui euſque prouecti, vnde quis exaudiri poſſet, quaſi eſſent Athenienſium ſtudioſi, quales quidam in Vrbe erant. Niciam Ducem Athenienſium de rebus Vrbanis certiorem facere ſoliti, certis euocatis iuberent Niciæ referre, ne ea nocte mouerent, tamquā Syraguſanis itinera obſidentibus, id potius poſtridie per otium inſtructo agmine facerent. Hęc quum miſsi dixiſſent, diſceſſere. Quumque eadem ij, qui audierant, Ducibus Athenienſibus retuliſſent, ipſi Duces ob eum nuncium hac nocte decepti, cunctandum cenſuerunt, nullam ſubeſſe fraudem opinati (& quia haud ſtatim prodiſſent) etiam die inſequenti, vt ſe milites pro facultate commodiſsime inſtruerent, manendum cenſuere. Interea Syraguſani & Lacedæmonij cum peditatu priores egreſſi, itinera paſsim, quibus illos tranſituros putabant, obſtruxerunt, atque ad riuorum fluminumque vada, præſidia & alia opportuna excipienda hoſti loca, poſuere, qua viſum fuit, illum tranſitu arcerent. Siquidem hoc bello Duces Athenienſes tanta imprudentia vſi ſunt, qua vnquam mortalium eorum ciuitatis nemo. Poſt hęc Nicias & Demoſthenes, Duces, vbi ſatis ipſis viſum eſt, ſuos inſtruxiſſe, tertio a pugna nauali die mouerunt. Res acerba omnibus non eo ſolum nomine, quod omni claſſe amiſſa diſcederent, e magna ſpe redacti in diſcrimen, & ſuum quidem, & ciuitatis. Verum quod relinquere caſtra, cunctis triſte ſpectaculum eſſet, ſenſuque ac cogitatione miſerum. Nam magno [illegible] vulneratis in caſtris relictis, iter imprudentes Duces arripiunt, ſuos longa oratione ad prælium ineundum adhortantes, quadrato agmine euntes, Niciæ copię priores, has Demoſthenis ſequebantur, ad vada Anapi Amnis peruenerunt, vbi hoſtium manum inſtructam offendere. Ea quidem ſummota ac tranſitu potiti, vltro progrediuntur, Syraguſano equitatu aſſultante, leuique armatura iaculis inceſſente. Hac die confectis quadraginta fere ſtadijs tumulum quendam inſederunt, Deinde arreptis itineribus ac in illis leuioribus vtrinq; prælijs commiſsis, eis trepidatio, pauor ac tumultus inceſsit. Nicię copię quemadmodum erant Duceas in ordine perſtiterunt longeque pręceſſerunt. At Demoſthenis dimidium copiarum, ac maior pars interrupta eſt, atque ſolutioribus ordinibus pergebat, tamen prima luce ad mare peruenere, & viam ingreſsi, nomine Helorinam, incedebant, vt quum ad Cacyparim Amnem deueniſſent, iter per ſuperiora, & mediterranea tenerent. Putabant enim ſibi eo in loco Syraguſanos & Lacedęmonios occurſuros. Vbi ad flumen eſt ventum, quaſdas Syraguſanorum cuſtodias offendunt; vada munitionibus ac vallo obſepientes. Sed illis vi ſummotis, fluuium tranſmiſere. Interea Syraguſani ac ſocij, vbi illuxit, ſenſeruntque Athenienſes abiſſe, plerique Gylippum inſimulabant, quod ſciens eos dimiſiſſet, raptimque perſequentes, eos ſub horam prandij adipiſcuntur, in Demoſthenicos incidentes, & tardius, & inordinatius, vt qui noctu perturbati fuiſſent, iter facientes, repente prælium cient, circundatoque equitatu eos in idem loci vrgent, eo facilius, quod bifariam iam diuiſi erant, Nicianis illinc centum quinquaginta ſtadia progreſsis. Nam Nicias ſuos ocyus ducebat (vt erat imprudentiſsimi Ducis) quia cum alijs copijs in acie conſertis incedere debebat, & caſtris locum capere, exiſtimans haud ſalutare eſſe tali in tempore cunctari ac dimicare, ſed quam velociſsime fugere eatenus pugnando, quatenus cogeretur. Demoſthenes autem multiplici ac frequenti

magis labore implicabatur, quod poſterius digreſſus, prior ab hoſtibus vrgeretur, & tunc gnarus Syraguſanos inſequi, non tam progrediebatur, quaue ad pugnandum ſe inſtruebat, donec ita cunctatus ab hoſte circumueniretur, & magna ipſe perturbatione pariter ac eius milites afficerentur. Ii quidem intra locum deprehenſi qui munitionibus circūdatus eſſet, & in via, quę hinc & inde haud infrequentes oleas habebat, circumquaq; miſsilibus inceſſebatur. Huiuſmodi autem aſſultibus, non pugna ſtataria, non ab re Syraguſani vtebantur. Nam ſumma rerum periclitari aduerſus homines ſalute deſperantes, iam non tam ipſorum intererat, quam Athenienſium, ſimulq; aliquid cauebant, ne rebus tam proculdubio proſpere geſtis, aliquid interueniret, arbitrantes hoc modo perdomitos hoſtes a ſe captum iri. Itaque vbi toto die miſsilibus eos vndique inceſſentes, viderunt iam exhauſtos vulneribus, atque alijs erumnis, Gylippus Syraguſanique iubent caduceatorem denunciare primum, ſiquis ad ſe inſulanorum tranſire vellet, liberum fore, aliquot tranſierunt, non tamen multę ciuitates. Mox deinde omnibus alijs, qui cum Demoſthene erant, oblata conditio, ſi traderent arma, neminem eorum mortem obiturum, aut uiolatam, aut in vinculis, aut inopia rerum ad victum neceſſariarum. Atque ita cuncti ſeipſos dedidere, numero ſex milia, omnemque pecuniam depoſuere, quam habebant, effundentes in ſcuta reſupinata, & ex ea quatuor ſcuta (vt refer Thucydides) repleuere, ſtatimq; in Vrbem a Syraguſanis adducti ſunt. Nicias vero homo ſine conſilio, minuſq; militię peritus, quam totam in pręſentia peruertit, hoc ipſo die cum ſuis ad Erineum Amnē pręuenerat, cumque tranſgreſſus, in edito quodam loco conſederat, quem poſtero die adepti Syraguſani (inquiunt) Demoſthenicos ſeſe dedidiſſe, iubentque ipſum idem facere. At ille non habita iſtis fide, paciſcitur, vt equitem ad explorandum mitteret. Vbi eques reuerſus, ita eſſe retulit, Nicias per caduceatorem Gylippo Syraguſaniſq; reſpondet ſe paratum eſſe tranſigere Athenienſium nomine, quo ignauus homo indignus erat, ſi cum exercitu dimittatur, quos ſumptus in bellum Syraguſani feciſſent, eos omnes reſtituturum datis obſidibus Athenienſibus, dum pecunia ſolueretur. Ea conditione non accepta, Gylippus lacedęmonius atque Syraguſani aggreſsi, vndique telis petiuere ad veſperum vſque. Illi & ſi male accepti inopia commeatus ac aliorum neceſſariorum, tamen habentes in animo diſcedere, ſeruato ſilentio noctis arma ſumpſerunt, ſed intelligentes ſe non latere hoſtem rurſus ea depoſuere, pręter trecentos fere, qui vi peruadentes hoſtilem cuſtodiam qua potuere, per noctem contenderunt. Niciam vero poſteaquam dies illuxit, agmen ducentem Syraguſani ac Lacedęmonij inuadunt, eodem, quo pridie modo vndique laceſſentes iaculis, ſagyttiſque equitarij pariter, cunctaque multitudine vrgente, illi tamen ad Amnem Aſinarum feſtinabant, tum opinantes fore, vt eo ſuperato, aliquanto facilius haberent, tum potandi deſiderio, quo miſeri tenebantur. Vbi peruenere, nullo iam ordine in illum irrumpunt, pro ſe quiſque omnium primus tranſire properantes. Sed hoſtis ingruens difficilem eis tranſitum reddebat. Nam quum cōferti ire cogerentur, alius in alium incidentes inuicem telis & armis conculcabantur, quorum alij ſtatim peribant, alij inter ſe impliciti defluebant. Hos ex vtraque fluminis parte hoſtes ſuperſtantes deſuper miſsilibus conficiebant, multos etiam auide potantes, & inter ſe vtique in cauo fluminis alueo perturbatos. Sed Lacedęmonij pręcipue illuc deſcendentes eos trucidarunt, qui in flumine erant. Vnde ſtatim aqua corrupta eſt. Ex qua tamē cœnoſa & cruenta bibebatur. Tandem profligato exercitu, partim apud Amnem, partim ſiqui effugerant, ab equitibus, capti fuere. Nicias Gylippo ſeſe dedidit, plus ei habens fidei, q̃ Syraguſanis, permittenſque ſui poteſtatem, tum illius, tum aliorum Lacedęmoniorum arbitrio, a cęde cęterorum militum abſtineri iuſsit. Poſtremo Nicias & Demoſthenes, inuito Gylippo, necati ſunt a Syraguſanis. Itaque merito eorum ignauię pœnas luerunt, qui nulla militię pręcepta excoluere, tum in itineribus, tum etiam in traijciendis fluminibus ſine ordine copias ducentes. Nulli enim Duces (mea opinione) his deteriores ignauioreſque inuenti ſunt, & Gręcorum nomine (vt affirmat Thucydides) indigni, qui tanta ignauia claſſem & exercitum amiſerunt, atque rem.p. in apertum ruinę diſcrimē poſuere. Quippe qui ſi ab hoſtibus haud interfecti fuiſſent, a ſuis vltimo ſupplicio affici merebantur. At qui rem geſtam narrare placuit, vt cęteri Duces militię errores vitare ſciant, atque diſcant, non vagari cum exercitu, vt ij, velut fugientes, ſed caſtra firmare, & aleam belli prudentia tranſigere, quia in itinere ducere copias, & flumina tranſire, valde periculoſum eſt. Et ſi fugiendum, aliquo ſtratagemate, ſiue dolo vtendum eſt, vt multi periti militiæ Duces effecere, ac ſibi ſuiſque optime conſuluere. Neſcio profecto qua dementia Nicias & Demoſthenes capti fuiſſent, abinuicem ſeparatis copijs incedere, & ſępe ſine ordine, quum ſemper conſerto agmine, veluti pugnaturi, iter agere debuiſſent. Si enim nocte illa nuncijs hoſtibus haud credidiſſent, quod ſtulti Ducis, fuit, atque ſuo conſilio inhęſiſſent, ea nocte abire, ſibi & copijs melius conſuluiſſent, quia hoſtes nondum loca pręſidijs obſtruxerant, atque obſederant. Non enim ſine ſigno certiſsimo nuncijs illis fides aliqua erat adhibenda, vt periti Duces exigere ſolent. Itaq; ex tam paruo errore in ipſo initio, Demum tam maximus effectus fuit, vt tantam cladem nunquam fortaſſe temporibus illis mari terraque Athenienſes pertulere, ſuorum ducum culpa, qui ex parua ſcyntilla, quam quum extinguere potuiſſent, magnum ignem accenderunt, quo & ipſi merito conſumpti ſunt. De quibus hactenus, deinceps de tormentis aliquid diſſerendum eſſe videtur.

FINIS NONI LIBRI.

AD EMANVELEM PHILIBERTVM

SERENISSIMVM ET INVICTISSIMVM

SABAVDIAE DVCEM ETC.

DOMINICI CYLLENII, GRAECI

DE DISCIPLINA MILITARI.

LIBER DECIMVS.

De tormentis. *Cap. I.*

SI OMNIA eorum, quæ in hanc lucem prodiere, recte inſpicere velimus, O. P aut quidem natura, aut ars (teſte Ariſtotele ſecundo naturalis hiſtoriæ libro) in medium protulit. Nam ipſius naturæ munere animalia cuncta, eorumque partes, arboreſque ac ſimplicia corpora, vt quatuor elementa in ſeipſis natura principium motus ſtatuſque habentia, effecta ſunt. Alia profecto quadam arte, neque vnum impetum mutationis ſibi innatum habere, certum eſt. Itaque alterius ratione aliquod motus principium illis ineſſe, exploratum eſt, vt de armis, & eiuſmodi rebus, quodam artificio effectis, dicere poſſumus. Quibus quidem aliquod deorſum principium motus in eſt, haud me Hercule ratione ſui, ſed materiæ. Quarum proculdubio rerum multæ ad hominum vſum & commodum arte repertæ ſunt, ac multæ ad eorum perniciem, vt omnia armorum genera. Quæ quum mortalium generi plurimum officiant, maxime ipſa tormentorum genera, non ſolum ipſis, ſed animantibus, ac cæteris rebus inanimis ſummopere obſunt. Quorum vis & impetus adeo terribilis & horridus, cui nulla penitus humana ratione reſiſti poteſt, non turribus, non aggeribus, non denique munitiſſimis Vrbibus & ampliſſimis mœnibus. Quorum vehementiſſimo impetu omnia ſolo æquantur. Icciro aliqua connectenda eſſe duxi, ne hanc truculentam Martis faciem ſilentio præteriſſe videar, veluti quidem ab inferis profectam atque Vulcano fabricatam. Sed imprimis de ipſorum tormentorum motibus ac ictibus dicendum eſſe videtur, & quot modis motus diſtribuatur, vt res facilius intelligatur. Motuum enim Ariſtoteles alium eſſe naturalem, vt ignem ſurſum tendere, quia leuis, graue vero, vt lapidem deorſum ad centrum, alium violentum, vt quum graue ſurſum proijcitur, & leue deorſum contendit. Ipſe autem naturalis violento prior eſſe videtur, qui quidem eſt quædam a naturali motu declinatio. Sed circa ea, quæ proijciuntur, aliquis animo fortaſſe herrere poterit ex illa Ariſtotelis ſententia, ſeptimo naturalis hiſtoriæ libro, mouentem & motum ſimul eſſe oportere, tamen id, quod eſt protectum, vt tormenti pila inuenitur moueri, & ab eo ſeiungi. Hoc enim aer efficere ſolet, quo medium repleri conſtat. Nam ea, quæ proijciuntur, ſiue torquentur, vbi haud tanguntur a iaciente propter antiperiſtaſim, mouentur. Aer enim motus, repercutitur ab alio, & ſic deinceps. Qua quidem mutua repercuſsione fit pilæ motus aeris ad eundem. Sed aliter dici poteſt, quia quum aer perpetuus exiſtat, a proijciente impulſus, velocius protectum corpus vrget, quam ſit ille motus, quo corpus emiſſum natura in ſuum locum feratur. Quam ob rem ob motus aeris celeritatem, haud permittitur corpus emiſſum, vt pila tormenti cadere deorſum, ſed ipſius aeris motu perpetuo fertur, quo ceſſante, ſuum locum petit. Pila igitur nullum ſui ratione habet motus initium, ſed alterius, hoc eſt, ab externo principio, quia ab alio moueri conſtat. Quocirca ex ipſius tormenti ſitu duplex motus, rectus & obliquus cerni poteſt. Aiunt enim tormentum recte ſitum, eius pilam obliquam viam tenere, paululum pars anterior eleuata. Sed depreſſa rectam lineam agere. Nonnulli vero arbitrati ſunt, in exitus tormenti initio rectam lineam, deinde declinare, obliquamque viam tenere, & ſi rectum poſitum fuerit. Præterea ſecunda vice vehementius ire, quam prima. Quia fortaſſe initio puluis humidior, & aer denſior, ſecunda deſicatur, & aer primo ictu percuſſus, ſecundo rarior efficitur, magiſque pilæ cedit. Itaque ipſa tormenti pila ſecundo celerior fit

in curſu. Praeterea geminatis ictibus tormentorum haud celeriorem effici. Sed mihi videtur, quod medium crebris ictibus repercuſſum, ſubtilius fieri, magiſque cedere, hincque celeriorem pilarum motum fieri, eadem materiæ proportione, modo, ſitu tormentorum. Quo dicitur, quod nimium ob calorem attrahit, huic vehementem eorum vim auferri. Quod ſi verum exiſtit, tormenta aliquantulum ab ictibus quieſcant, cæterorumque pilæ interea alternatim emittantur, donec refrigeſcant. Sed quęritur, cur addita materia, plus ſolito altius ſignum attingere videtur? propter maiorem vehementiam, dicendum eſt. Quidam autem (ne hoc intercederet) dicebat, poſſe tormenta ſic callida, aqua frigefieri. Vtique vehementius emitterentur, ſi perfecte frigeſcerent, atque torrida manerent. Sed ſi ita aqua efficiantur frigida, ęs calidum antea effectum aquam illam trahit, ſic in aereum humorem redigitur. Qui quidem humor ſiue vapor quum in ipſo tormento manere non poſsit, cogitur inde paulatim exire. Qui ſi ſecum haud aliquid humidi ferret, quodque ipſum tormentum optime ſiccum intus maneret, ipſe vapor potius ictum augere deberet, quam quicquam detrahere, quia ex eo trahente efficeretur ex continuo vaporis exitu impellens. Sed quia eiuſmodi vapor totus humidus exiſtit, puluere tormentum replendo (quamuis torridum videatur) haud eſſe poteſt, quin aliquid humidi ſuperſit, puluiſque aliquantum humidus efficiatur, quia non idem efficeret, atque ictum vehementiorem, ac ſi ex ſeipſo frigidum effectum fuiſſet ſine aqua. Praeterea pilę ipſius tormenti motum eo celeriorem eſſe aiunt, quo rectiorem, tormentumq; ipſum rectum ſitum, pila eius nunquam perfecte recta linea ire poſſet, ſed oblique poſitum recte. Atqui quęritur, quare ipſa pila interdum ſignum attingere videtur, plerunque ſub ipſum, aut ſuper. Hoc enim ex viſu proficiſcitur, qui ſępe fallitur. Sed hoc quoque falſum eſſe poteſt. Quia eodem viſu ad ſignum, modo in id vehitur pila, modo ſuper, modo ſub ipſo. Igitur hoc alÿ tribuendum eſſe puto. ideſt, ipſi materię, vt minus, magiſque abundauerit, ac melior erit altera, quod alterna vice, & ipſius materię mutatione id accidere poteſt, vel ex alia cauſa, quę ex aere proficiſci poteſt. Iccirco viſus diuerſis temporibus, tum materię cauſa, tum aeris falli circa ſignum poterit. Nam difficile mihi videtur ſemper pilam ſignum attingere, quia quum omne graue tendat deorſum veluti natura inſitum, pila motu violento iacta & emiſſa ex ipſo tormento paulatim declinando natura tendit ad centrum. Quam ob rem multis de cauſis (vt dictum eſt) id fieri, perdifficile eſſe videtur, neque de hac re firma pręcepta tradi poſſunt, quia error ex multis conflari poteſt, vt latiſsime patet. Nam modo recta via, modo obliqua, modo ſurſum, modo deorſum tendit. Nihil ergo ex arte, quę firma, ſtabiliſque ſemper exiſtit, vt eius definitio cumulate declarat. Eſt enim ars (vt ait Cicero) pręceptio, quę dat certam viam, rationemque dicendi, addoque & agendi. Quod autem oblique feratur, id cauſę eſſe dicitur, quia punctus lineę non eſt in medio ore tormenti. Sed neque hoc verum eſſe poteſt, quia interdum recte ad ſignum fertur. Sed alia ratio afferri ſolet, quod hoc accidat, vt pila oblique feratur ad ſignum, quia ipſum tormentum haud vndique ęquis ęris partibus conſtat, quum conflatur, quia altera partium eſt altera ſubtilior, adeo quidem, quod ſi illa duplex linea viſualis, qua pila ad ſignum dirigitur, ex extremis punctis ſuperiorum partium ęris perfecte locata eſſet, neceſſe eſſet, oblique ferri, quia quamuis eiuſmodi lineę ſint in medio punctorum ſuperioris ęris, tamen non ſunt ſuper medium ipſius foraminis, hac de re obliquo motu ferri videtur. Quam ob rem huic errori conſulere volenti neceſſe eſt, quadam ſolertia & ingenio inuenire, vbi eſt ipſius foraminis medium, ſi retro, an ante ipſum. Et ibi linę punctum ad ſignum conſtituere. Itaque error ille ibi loco vacabit, ſi ipſius foraminis perfecte medium repertum fuerit. Sed quis fortaſſe admirari poterit, hunc errorem ab Artifice tormenta conflante proficiſci? Quod plus ęris ſit in vna parte tormenti quam in alia, quum forma vndique ęqua omnino eſſe videatur, niſi fortaſſe, aut ignarus artis, aut temulentus conflando fuerit. Nam peritus Artifex omnino hoc errore carebit, ideo hęc ratio haud conſentanea eſſe videtur. Sed quicquid ſit de hac re, neſcio profecto, quid hoc efficiat, quod ipſa tormenti pila obliquo motu feratur, niſi quod id minime rectum ſit. Nam ſi rectum eſſet (nonnulli aiunt) recte omnino ferretur ad ſignum, quod neque eſſe poteſt, quia nonnulla tormenta recta eſſe videmus, tamen eorum pilas oblique ferri. Igitur error, non ratione tormenti, nec Artificis erit, ſed potius tormentarÿ, ſuo viſu decepti, & torquendæ artis ignari, aut forte materię cauſa, aut medÿ, vt dictum eſt. Quum enim nulla cauſarum ipſi operi deeſſe videatur, neque ab effectu deſiſtere poterit. Primo enim in agente requiritur, vt tormentarius ſit artis peritus, ne viſu decipiatur, ac erroribus remedia adhibere ſciat. Finis autem haud deeſſe poteſt, ſtat enim ſignum. Materiam quoque, vt puluerem, optimam eſſe oportet, ſuiſque partibus recte confectam ęqua omnium proportione atque menſura. Poſtremo hiſce forma accedit, quę erit ipſius tormenti, ea longitudine ac magnitudine, fabricati, quę requiri videtur. Quum igitur nulla harum cauſarum errorem attulerit, tormentarius voti compos omnino efficietur. Eſt igitur error harum alicui procuIdubio attribuendus, vt tam aperte conſtare, perſpectum eſt. Nam agens artis ignarus eſſe poteſt, materia haud recte confecta, vel non aqua menſura poſita, formæ quoque (vt dictum eſt) error ineſſe poteſt, vt plus, minuſue æris ſit in vna parte, quam in alia. Ex parte autem finis, nullus, quum ſemper idem, eodemque modo maneat, circa quem haud contingit errare,

poteſt etiam ex aliqua externa cauſa errorem (vt dictum eſt) contingere. Sed in hoc dubium eſſe poteſt. Nam quum hæc tormenti forma plus minuſue materię ęris in vna parte, quam in alia habeat, non videtur impedire, quin recte pila ad ſignum feratur, vti in humano corpore, etiam in alijs, videmus, abundantem materiam formæ actioni obeſſe quicquam, quin ea vti poſsit, vt aperte in omnibus corporibus perſpicitur. Nam ſi homini pes altero gracilior eſſet, aut alia corporis pars haud ab actione ſua deſiſtere videtur. Arboris quoque ramus altero ſubtilior eundem fructum ferre videtur. Non ergo error ex affluente ęris materia, plus in vna parte tormenti, quam in alia oriri poteſt. Dicimus rationem haud parem eſſe in corporibus animam habentibus, & inanimis, vt ſunt ipſa tormenta. Nam corporis humani actio propter animam non impeditur, ſicut corpora ea carentia, veluti ipſa tormenta, quorum materia, vt ęs, capillo etiam impediri poſſet, nullam ſibi opem forma ferente, vt forma homini, quæ eſt eius anima, magnum auxilium præſtat, ita de alijs dicendum eſt, vt arboribus, quæ etiam animam habent, materiam plurimum ad ferendos fructus adiuuantem, ſine qua nihil effici poſſet. Icciırco ęris plus minuſue in vna tormenti parte, quam in alia obeſſe poteſt, quia nulla interna forma adiuuari poteſt, vt corpora animas habentia, quæ quidem virtutem ab ipſa forma ſortita ſunt, ea adiuuante.

De quantitate tormentorum, & materiæ. Cap. II.

CVIVS quidem magnitudinis ipſa tormenta conflati debeant, nulla certa ratio (vt mihi videtur) afferri poteſt, quum multa ſint eorum genera, vt eorum nomina aperte declarant, tum quia principum arbitrio conflari ſolent. Quo enim longiora erunt, eo longius pilæ emittentur, & breuiora, breuius. Aiunt enim quidam tormentum nec nimium longum, nec nimium breue eſſe oportere, quia plurimum id obeſſet. Sed tantæ longitudinis, quod ab igne puluere conſumpto, pila os tormenti ſit adempta, quia hoc temporis momento tota pulueris virtus impellens in pilam ſui impetus culmine vim omnem agere videtur. Vbi autem ipſa virtus id in pilam egit, ea nullum impedimentum reperit, aut quod eius motum interpellat, niſi fortaſſe ipſe aer. Icciırco mediocris longitudinia eſſe debet. Nam ſi longius, aut breuius eſſet ipſum tormentum, aliquo (aiunt) impedimento laboraret. Si enim breuius eſſet, pila ex ore tormenti exiret, antequam puluis ab igne eſſet reſolutus. Quam ob rem tota pulueris virtus impellens haud in pilam id agere videretur, quod deberet, ſed aliqua eius pars inanis maneret. Nam accidere poſſet, quod multum pulueris extra tormenti os pilam comitetur. Sed ſi id longius eſſet, in ipſius temporis momento, quum totus puluis ab igne reſolui incipit, pila in eodem ita ad vnguem os tormenti non adipiſcitur, ſed parumper interius manet. Quocirca ipſa pila in ſuæ celeritatis vigore & impetu, labendo per illam paruam tormenti partem, quæ erat perficienda, quia interior tormenti ſuperficies apprime eius motum interpellat, quia toties corpus quod non mouetur, corpus mobile tangit, vt de illa tormenti ſuperficie, & ipſa pila, illa immobili, hac mobili (quamuis omne corpus ſit mobile) ſemper eius motum impedit. Hoc enim falſum eſſe videtur, quia tormentum ſiue longum, ſiue breue fuerit, atque pulueris menſura pro quantitate, vel magnitudine, aut longitudine illius poſita, ſiue iuſta proportione, nullum impedimentum accidere poterit. Hæc enim erit lex & ratio illius. Si enim hæc haud ſeruaretur, id fortaſſe euenire poſſet. Nam ipſo temporis momento puluis ab igne conficitur, & accenſus ſubito ipſius formam induit, atque ex illa commixtione vim omnem atque expellendi virtutem ſuſcipit, ſic aliqua ratione cum pila exire & extra os comitari facile poteſt, ſiue ſit breue, ſiue longum ipſum tormentum. Omnia enim ex ipſo æquato puluere tormento pendere ac proficiſci mihi videtur. Hinc omnia tormentorum genera, æque magna, ac parua conflari poſſunt. Vanum quoque id, quod ab illis dictum eſt, eſſe videtur, in hac re loquendo, quod ipſius corporis manentis ſuperficies, quod abuſiue corpus immobile appellant, quum omne corpua ſiue mixtum, ſiue ſimplex, mobile ſit, motum impediat, quia inſtrumentum (quod eſt ipſum tormentum adiuuat) non autem impedit, vt de alijs æquo iure dici poteſt. Non enim me latet homines illos litterarum eſſe expertes, quum talia protuliſſent, maxime philoſophiæ. Sed hoc verum eſt, quod corpus illud mobile ab alio impediri poterit, ſi extra os tormenti, pilæ obiiceretur, vt murus, vel paries, ac alia moles, quibus ſic eſſet veritatis locus. Vtimur enim inſtrumentis omnibus in rebus, non vt impediant, ſed vt rei auxilium præſtent. Atqui propter eius celeritatem vix ſuperficiem tangit, nec fortaſſe ob vehementiſsimum eius motum. Nec quidem de ea re certa ratio haberi poteſt, niſi quadam experientia, quia puluerum alter eſt altero perfectior, quorum menſura hæc eſſe debet. Tertia quidem pars pondo ipſius pilæ tormento ſatis eſt, præter id (vt dicitur) quod colubri nomen ſortitum eſt, quater quintam partem requirit, & arbitrio plus, minuſue, tormentarij, quia quo magis impletur, eo longius pila progreditur, ſed periculum imminet, ne frangatur. Æquum igitur modum requirit. Sed obiici poteſt, quemadmodum dicebatur, quod ſi tormentum plus pulueris ſolito complere-

tur, id fruſtra omnino eſſet. At illi ad dirimendam hanc quæſtionem, ita reſpondent. Vis illa ventoſa, qua pars illa ſuperabundans, vbi pila ex tormento exierit (quamuis ipſa nihil in eam pilam in ipſo tormento exiſtente) agere poterit. Non tamen deſiſtet, in illam agere, poſtquam ex ore tormenti egreſſa fuerit, quia totus ventus ille, qui a puluere in ipſum tormentum proficiſcitur, ſemper pilam ſine aliquo interuallo ſequi videtur, etiam quod aliquantulum temporis tormento exierit. Iccirco motus aliquantum acceſſionis accipit. Sed verum eſſe autumant, quod vis illa ventoſa haud idem agit in repellendo ipſam pilam extra tormentum repertam, vt in ipſo exiſteret, hoc eſt, quod illius actio non erit æqua illi pulueri affluenti in eo poſito verum multum aberit ab illa æqua ratione. Ego autem puto, totam vim pilæ dari ab ipſo puluere eiuſmodi ventum intus efficiente, & quo plus pulueris, nec plus æquo, eo vehementiorem vim efficere, impellendo celerius ipſam pilam, quia in tam anguſto tormenti loco omnis virtus ſimul magis iuncta eſt, quam quum egreſſa fuerit, quia tunc aerem frigidiorem reperit, caloremque omnem vim amittere videtur, hoc ipſum alterius accidentis ratione, vt venti ac imbris & eiuſmodi rerum. Dicamus igitur hanc pilæ vim ac celeritatem ex interno, non autem externo principio ſui motus conſtari, quia pilam ad ſtatutum ſignum illa comitatur, vtque etiam vis ipſius materiæ vehemens intus proficiens extiterit, quia nullum externum pilæ auxilium præſtat, immo magis impedire videtur, & quo magis a ſua cauſa diſcedit, eo minorem vim habet, vt aperte perſpici poteſt, quia denique cadit in terram, vel aquam, quia nullum violentum perpetuum. Siquidem ad id, quod dicitur, puluerem irritam fieri, haud verum eſſe arbitror, quia quum ignis ſit maximæ actionis, puluis vero optime ad eius formam ſuſcipiendam affectus, materia quoque adeo tenuis, vt indiuidua videatur, cito comburitur, & tantæ ſubtilitatis eſt, quod ab ignis flammis vix cerni poſſit, ac ſi ex duobus corporibus vnum efficeretur, tanta celeritate ab igne conſumitur, qui quidem antequam pila exeat, neceſſe eſt, vt conficiatur. Secus enim cum ipſa pila egrederetur, quod omnino falſum eſt, quia pari ratione & reliqua pars conſumi poſſet. non enim eſt maior ratio vni quam alteri. Itaque virtus impellendi pilam deficeret. Præterea ſi cum pila egrederetur, magnam in aere flammam excitaret, quum nulla videatur, niſi fulgur illud, veluti ventus, & aer inflammatus egrediens. Præterea ferunt, hoc eſſe animaduertendum, quod ſi accideret, plus æquo poni, ac tormentum impleri, minorem motum fieri contendunt, quia nimia materia potius illi eſſet impedimento, quam auxilio. Non enim ipſa pila omnem virtutem ſiue vim, quam materia protulit, accipere poſſet, vt conſtat. Videmus (inquit) quemadmodum aliquod corpus (ſumpto idoneo cibo) bene digerit, ſed nimium repletum, minime, ſed imbecillum efficitur. Pari ratione quoque tormenti corpus, nimia materia repletum magis ac magis impeditur. Hæc enim ſimilitudo parum mihi conſtat. Falſa quidem eſt. Nam aliud eſt, corpus ſine ſenſu, ſine anima replere, & aliud, corpus, cui ſenſus & anima ineſt. Illud profecto materiam illam ſiue grauem, ſiue leuem minime ſentit, nec illi eſt impedimento, idque tantum agit, quod ſibi natura ſuppetit. Hoc autem retrorſum, animam habet, ea iudicat, cognoſcit, ac ſentit, quæ ſibi nocitura ſunt, atque profutura. Iccirco haud imbecilliorem effici dicimus, ſed vehementiorem vim acquirere, quæ tanta fortaſſe eſſe poſſet, quod (vt dictum eſt) tormentum ipſum frangeretur, vt hominis corpus nimio cibo repletum, in quo fortaſſe ſecundum aliquid valet ſimilitudo.

De comparatione tormentorum inter ſe. *Cap. III.*

CIRCA tormenta quærimus ac indagamus, maiorum, an minorum pilæ recta viſus linea ex tormentis ad ſignum longiorem modum efficiant. Quærenti enim cur longius recta linea minimi tormenti pila, quam maioris emittatur, quidam hac ratione reſpondet, quoniam maius pilam habet grauiorem, quæ motum tardiorem reddit, quia eius pondus celeritati plurimum obeſſe videtur. Nec quidem hoc verum eſſe poteſt, ſed ex hoc proficiſcitur, quia paruum illud tormentum eo longius exiſtit. Nam ſi ratio illa ſatis rudis vera eſſet, id omnino ſequi videretur, quod longius minora tormenta, quam maiora pilas emitterent, quum eas grauiores habeant, quod falſum eſt. Non enim hoc proficiſcitur ratione pilæ grauioris, ſed quia paruum illud tormentum maiore longius eſt. Hinc pila eius recta linea magis progreditur, itaque plus temporis puluis ad agendum in ipſo tormento habet, indeque vehementiorem vim impellendi longius pilam, quam illud maius latitudine ſiue orbe, longitudine vero breuius illo. Quod autem eius pila grauior ſit, nihil refert, quia tota res in virtute materiæ interna conſiſtit, & inſtrumenti diſpoſitione. Certum enim eſt, quod tormentum centum librarum pondo, eo longius pilam emittit, quam quod eſt quinquaginta. Materia enim in ipſo tormento nec nimium rara, nec nimium denſa ponatur, ſed quadam mediocritate, quia extrema ſemper aliquo vitio laborant, vt omnibus fere conſtat.

De materia magis minuſue tormento cedente. Cap. IIII.

SIQVIDEM quæri ſolet, quare tormentum murum, quàm claſſem magis penetrare ac frangere videtur, quia interdum vix vnam nauim penetrare poteſt, ac ſæpe pila in eam incidit, quod eſſe poteſt, quia fortaſſe nimium diſtat, murum autem facile demolitur. Cuius quidem materia ligno omnino durior eſt. At huic quidam ſic reſpondet. Quum murus ſit firmus ſtabiliſque, pilæ nihil cædit, qua de re facilius frangitur, ac crebris ictibus maxime citius ruit, ac pilæ ictum motumque magis moratur. Sed ipſa nauis quum ſit mobilis, quæ modo huc, modo illuc circumfertur, magis cędit, quo fit, vt pila minus vehementior Ad ictum efficiatur. Quocirca (ait) quod ſi nauis in terra eſſet, qua firmior manet, id omnino in eam perinde ac murum pila efficeret. Non enim hæc omnino eſt huius rei cauſa, veluti præcipua, ſed alia quærenda eſſe videtur. Quum enim murum coctis lateribus ędificatum eſſe, conſtet, materia illa facilis eſt fractu, nec quicquam cedit. Hinc vehementiorem ictum accipit, & ruit. Lignum autem, quo nauis ædificatur, natura magis cedit, ſiue ſit in mari, ſiue terra, ſed mare, quum mobile ſit, plurimum adiuuatur. Videmus enim in muro maiorem ruinam fieri, quam ſit pilæ magnitudo, in naui autem nequaquam, quod etiam in materia molliori (vt lana) cernitur. Quia magis cedit, pilaque vim amittit.

De remedio tormenti, clauo alioue ferro obſtructi. Cap. V.

QVIA plerunque vel ab hoſtibus, vel a proditoribus fieri ſolet, vt tormentorum foramina (vbi apponitur ignis) obſtruantur, hoc illis remedium eſſe adhibendum exiſtimaui, vt per eorum ora puluis ſpargatur, ac ignis apponatur. Itaque pilas emittent, claui quoque egredientur, ſiue alia tormenti foramini materia appoſita, quæ illud obſtruſit. Hoc quidem proderit, ſed mihi videtur, pilam non eandem vim eſſe habituram, ſicut quum ignis foramini apponitur, quia ſic tetro materiam totam incendit, & ſic pila celerius emittitur. Per os autem minus virtutis. Prodeſt tamen ad expellendum ferrum, quo obſtructum fuerat, Si enim tanta ad demoliendum murum vis haud ſibi inerit, hoſtibus tamen in aperto campo oberit, alijs autem vicibus ad omnia iuuabit. Quæritur quoque an maiorem vehementioremque ictum pila efficiat, quum tormentum procul a muro, vel propius ſit. Aiunt nonnulli procul ſitum tormentum vehementiorem ictum efficere hac ratione adducti, quia omnis res mota, aliam mouet. Pari ratione, quum pila ab ea materia moueatur, oportet aerem moueri, & ita perpetuo per omnes partes, adeo quod pila ante ſe impellit magnum aeris globum, forma quidem oblongum. Quę quidem forma, quamuis ſit aerea vehementi motu, adeo grauis efficitur, quod aliquo temporis ſpatio alium aerem perpetuo, veluti quædam Trabs eſſet lignea percutit, ſed hoc haud longe proficiſcitur, quia eiuſmodi aerea figura quodam paruo temporis ſpatio ante pilam progreditur. Sed quia pila eſt grauior, facilius aerem penetrare videtur. Icci̇rco breui ipſa pila poſt ſe figuram illam relinquit, quæ antea prior erat. Qvm ob rem (dicitur) quod quum propius emittitur pila, illa figura progrediens, quæ ante a pila impellitur, murum antequam pila percutiet, & quia ipſa figura quum non ſit tantæ vis (vt poſsit eum penetrare) neceſſe eſt, quod illa poſtrema figuræ pars in eandem & pilam reflectatur, cuius ſuperficies reflectendo maxime cum pila luctari perſpicitur, quod pilæ motui maximo eſt impedimento, adeo quidem, quod parum proficere videtur. Sed quum locus mediocri ſpatio diſtat, pila ſuam ob celeritatem poſt ſe figuram illam deſerit, ſi non omnem, ſaltem maiorem partem, adeo quod in eo loco mediocris ſpatij pila magis proficiet, quam ſi propius eſſet, quia huiuſmodi impedimentum minime reperit, nec ita reflecti poteſt, nec cum aere luctari. Quod autem procul ſitum tormentum a ſigno vehementiorem ictum faciat, quam propius, id haud verum eſſe conſtat, quia re ipſa videmus, quo magis pila progreditur, eo magis deficere, quoniam vis eius deficit, vt accidit motui violento, qui quo magis a prima virtute mouente recedit, eo magis deficit, nec ratio de motu aerem perpetuo impellente valet, quia virtute laborante, neceſſe eſt, ipſum laborare atque deficere, ſuoque loco manere. Nulla enim ſibi ineſt virtus mouendi ſui ratione. In motu autem naturali fortaſſe valeret. Nec profecto figura illa, quum ſit valde tenuis grauius corpus tanta celeritate motum impedire poteſt, neque vlla luctatio ipſius tenuiſsimi corporis, veluti vmbræ ſimilis cum tam graui ferreo corpore reflectendo eſſe poteſt. Nam ſi ita eſſet (vt aiunt) quod aliqua vis illi figuræ ineſſet, hominibus, quum pila ex tormento emittitur, omnino noceret, quod minime videtur, quia tantum pila ibi nocet, vbi tangit, ſiue percutit. Igitur cum illa nulla figuræ aereæ luctatio eſſe poteſt. Neque inficior, quin pars illa aeris (pila eum impellente) denſior efficiatur, ſed non ſatis virium habere, vt id aſſequatur. Magnus eſt enim tormentorum impetus viſque adeo (vt

liquet) vehementiſsima, quod ſibi quacunque materia oppoſita, ac ſolido corpore reſiſti poſſe, perdifficile eſſe video. Nos quoque hic Ariſtotelis ratio adiuuat, quod ſi maius non poteſt, neq; minus quicquam efficere. Quum autem dicitur, mediocri ſpatio eam figuram ante pilam minime fieri poſſe, niſi fortaſſe aliquam eius partem. Itaque neque reflecti aiunt, neque motum impedire nouum quidem commentum. Nam pila tormento egreſſa paſsim denſandi aeris eandem vim habet, quod haud fieri poſſet, quem aer ille denſus aliquam figuram, ſaltem confuſam efficeret. Igitur quocunque modo, aut mediocri ſpatio, aut procul a ſigno, aut prope ſemper aerem pilæ ex vehementi motu cedere neceſſe eſt, hincque figuram fieri. Dicimus quoque vehementiorem ictum ex propinquo loco fieri, qui motus violentus vehementior eſt in principio, quam medio & fine, quoniam paulatim eundo deficit, & vires amittit, quod in naturali ſecus efficitur, quo progrediente maiorem vim acquirit. Verum enimuero hoc quærere ſuperuacaneum mihi eſſe videtur, quia Dux in acie nec iſta quærere debet, ſed ſitum idoneum, vel ad murum demoliendum, vel in aperto campo conflicturus, vt ſors tulerit, & loci natura, aut mediocri ſpatio, aut viciniori, aut remoto, optare debet, tum quia plerunque idoneus ſitus ab hoſtibus impeditur. Idem quoque iudicium in pugna nauali eſſe videtur, atque terreſtri difficiliori, quia ibi neque locus, neque ſitus optari poteſt, quoniam naues ventis actæ huc & illuc circunferuntur. Quare emittendis ex tormentis pilis nulla ratio firma ſtabiliſque eſſe poteſt, ſed loci fortunam prudentia Ducis ſequi debet. Præterea quæritur, cur poſt ipſum puluerem quidam fœni globulus ad teriuſue materię in ipſo tormento poni ſolet? Deinde, poſita pila, alius mititur. Dicitur primum poni ad cogendum vna puluerem ad locum ſuum. De ſecundo quidam, qui tormentorum munere fungebantur, rogati, ſe ignorare reſponderunt. Mihi autem hac re id proficiſci videtur, primum, non ſolum vt materia ſimul cogatur, ſed appoſito igne, ne ſimul cum pila exeat, ſed ſit ſibi ſpatium ad ignis virtutem ſuſcipiendam, parique ratione locum poſt pilam ſecundus globulus ſortitur, vt parumper pilam remoretur, quouſque materia tota accendatur, vimque impellendi accipiat, maioreque impetu exeat. Hiſce igitur rationibus vterque globulus intus ad cogendum materiam ac virtutem ipſius iure ponitur. Quidam autem tormentarius, vt homo rudis, id fieri attulit, ne pila tormento exeat, quod eſt facile dictu. Eſt enim alia ratio, vt dictum eſt. Multa enim quadam diſceptatione ad exercenda ingenia dicta ſunt.

De igne Græco ad comburendum in aquis. Cap. VI.

HVNC quidem ignem gręca caliditate inuentum fuiſſe traditur, atque ita conficiendum, bullitione ſaligni carbonis ſalis, ardentis aquę vitis, ſulphuris, picis, thuris, cum mollis Æthiopum lanæ filo, & canphora, quæ ſola ardet in aqua, ac omnem materiam comburit. dicitur. n. Callimachum architectum Heleopoli ſugientem, Romanos eum primo docuiſſe. Quo poſtea multi Imperatores viſi ſunt. Tempore quoque Leonis Conſtantinopolitani Imperatoris, quum Orientis populi aduerſus ciuitatem Biſantium nauigaſſent, in dromonibus mille octingentas naues hoc ignis genere abſumptas fuiſſe dicitur. Idem Imperator paulopoſt quadringentas hoſtium naues. Item alias trecentas & quinquaginta eodem igne confecit. Sunt alij quoque, qui alio igne, & quidem miſsili, huicque perſimili, ſed vehementius vrente vtuntur, his additis, linquenti vernice, librario oleo, petroleo, terebentina, aceto, quam acri, confectis, compreſsis, ad ſolemque deſiccatis, poſtea ſtuppa inuolutis cum acutis ferris imminentibus ad glomeris ſimilitudinem funiculo contextis, quæ denique omnia ſint vno foramine prętermiſſo, colophonia & ſulphure in ſequentem modum oblita. Eiuſmodi etiam ignem, ſed thedis inhęrentem hoſtium claſsibus alij obijciunt. De quo Lucanus ita cecinit.

Quam pelago diuerſa lues, nam pinguibus ignis.
Affixus thedis, & tecto ſulphure viuax
Spargitur, ac faciles præbent alimenta carinæ.
Nunc pice, nunc liquida rapuere incendia cera,
Nec flammas ſuperant undæ, ſparſiſque per equor
Iam ratibus, fragmenta ferus ſibi uindicat ignis.
Idem, piceo iubet unguine tinctas
Lampadas immitti in unctis in bella carinis,
Nec piger ignis erat, per ſtuppea uincula, per quæ
Manantes cæra tabulas, & tempore eodem
Tranſtraque Nautarum, ſummique arſere cheruci,
Iam propè ſermuſtæ merguntur in equore claſſes.
Iamque hoſtes & tela natant, nec puppibus ignis
Incubuit ſolis, ſed quæ uicina fuere
Tecta mari longis rapuere naporibus ignem.

De quodam teli genere ignei. Cap. VII.

SAGVNTINI enim Hiſpaniæ populi ab Annibale obſeſsi hoc teli genere vſi fuere, cui nomen falaricę erat. Cuius quidem ſpecies talis erat. Miſsile quidem telum, haſtili oblongo, cæteraque tereti, præterquam ad extremum, vbi ferrum erat, idque ſicut in pilo, quadratum, ſtuppa circumligabant, piceque linibant, ferrum autem in longum, ſiue longitudine trium pedum, vt cum armis corpus transfigere poſſet. Sed id maxime, ſi in ſcuto hęſiſſet, nec corpus penetraſſet, pauorem, metumque faciebat, quod quum medium accenſum mitteretur, conceptumque ipſo motu multo maiorem ignem ferret, arma omitti cogebat, nudumque militem ad inſequentes ictus præbebat. Marium quoque Cymbrico bello fertur, nouum iaculorum genus vſurpaſſe. Nam haſta ipſa duos ſtilos ferreos antea accipiebat, tunc Marius alterum, vt erat, admiſit, alterum tollens, ligneum clauum ad vulnera imprimenda a peiorem pro illo impoſuit. Machinatus quidem iaculum ictum ſcuto hoſtili haud rectum hæſurum, ſed fracto ligneo clauo obliquum fieri circa ferrum & haſtam per ipſum obliquum cuſpidis trahendi ferri.

Diploma Alexandri Magni datum illyricis, ex Græco in Latinum traductum.

NOS Alexander Philippi, Macedonum Archos, Monarchiæ, ac Græcorum Imperator, Magni Iouis filius, per Arthematum nuncium allocutor, Brachmanorum, & Arabum, Solis, & Lunæ conculcator. Perſarum ac Medorum domitor, Dominus ab ortu Solis vſque ad occaſum, a Meridie vſque ad ſeptentrionem, illuſtri proſapiæ Illyricorum populorum, Dalmatiæ, Lyburniæ, cęterarumque eiuſdem idiomatis & linguæ gentium, ad Danubium & medias regionum ſedes incolentium, gratiam, pacem, atque ſalutem a nobis & a ſucceſſoribus noſtris, ſuccedentibus nobis, in gubernatione noſtra Mundi. Quoniam ſemper nobis affuiſtis in fide veraces, in armis ſtrenui, noſtri coadiutores, bellicoſi atque robuſti; damus & confermus vobis libere, & in perpetuum totam plagam terræ ab Aquilone vſque ad fines Italiæ Meridionales, vt nullus valeat ibi manere, aut reſidere, ſeu ibi locare, niſi veſtrates, & ſiquis alius ibi inuentus fuerit morari, ſit ſeruus veſter, & poſtea ſint ſerui poſterorum veſtrorum. Dat. in ciuitate noſtra noua Alexandrina, fundata ſuper magno Nili flumine, Anno XII. Regnorum noſtrorum, arridentibus Magnis Dijs, Ioue, Plutone, Marte, & maxima Dea Minerua. Teſtes huius rei, Acheras, Ilaxis, Legetichas, & alij principes XI, quos nobis ſine prole decedentibus, relinquimus noſtros Hæredes, & totius Orbis Terræ.

Peroratio operis.

IAM, diuina ope, militaris ſcientiæ opere, non mediocri labore, & induſtria abſoluto, inuictiſsime princeps, iamque ſuum finem adepto, non vt aliquid, velut Minerua in arce, tanto dignum honore ſtatueretur, neque ut tantum principem docerem, Imperatorio munere ſæpe defunctum, ne profecto te in me, vt alterum Annibalem in Gręcum illum de militari ſcientia diſſerentem, inuectum intelligerem, ſed, vt tyronibus lectitandum traderetur. Tu autem, vt alter Antigonidas, me ſcriptorem, & operis autorem iudicabis, qui peritos modulatores iunioribus iucundiores futuros eſſe arbitrabatur, ſi imperitos aliquando fuiſſent experti, aut quidem Iſmenias Thebanus, quem auditoribus ſuis ſolitum dicere accepimus, tam eos, qui male, quam, qui bene modularentur, oſtendentem, hoc pacto, non autem illo modulari oportere. Itaque, vt cæteri tuo grauiſſimo iudicio confirmati, mihi fidem aliquam adhibeant, vt illi, ſuorum præceptorum autoritate, recte modulanti. Cęterum tantum ſupereſſe videtur, vt ſicut omneis ad pacem adhortatus fui, ita a bello deterreo, quoniam belli fructus, ĳ omnino eſſe perſpiciuntur, vt hominum cedes, Vrbium direptiones, ſtupra, adulteria, ſtatuum ac regnorum in deteriorem fortunam ſubita mutatio, violatarum Virginum ac ingenuorum matrum deploratio, omniumque rerum calamitas, & quicquid mali humana conditio complectitur. pacis autem omnium virtutum alumnę, ſtatus felix, tuta libertas, amicitiarum educatio, morum compoſitio, ac omnium rerum acceſsio. Quam ob rem ſemper illi conſulendum eſſe duxi, hiſce Cyneę verbis ad Pyrrhum Regem ſummopere delectatus, qui eum ad pacem fruendam hortabatur, atq; ita diſſerebat. Quid o Rex, victis omnibus ac ſubactis tandem faciemus? Cui Pyrrhus ridens, inquit, otium agemus, quotidiana feſtiuitate, mutuiſq;

ſermonibus atque lętitia perfruemur. Quum ad hæc Cyneas Regem adduxiſſet, quid vetat, o Rex, inquit, quominus iſta lętitia, feſtiuitate, otio nunc perfruamur? Adeſt quidem nobis ſine labore facultas eorum, ad quę per ſanguinem, moleſtias, pericula noſtra ac aliorum peruenturi ſumus. Quibus quidem verbis Cyneas Regem magis perturbauit, quam ab incœpto retraxit. Quū enim quis in pace viuere poſsit, bella quęrere, dementis ac pene belluarum eſſe puto, vt in tranquillo tempeſtatem optare. Sed ſunt nonnulli, animo elati, glorięque cupidi ac inquieti ingenij, vt bella malint, quam pacem. Cuiuſmodi fuit Rex ille, qui multis bellis confectis, tandem muliebri ictu Argis interijt. Sed vnde hoc proficiſcatur, facile conijci poteſt. Nam animorum diſsimilitudinē hoc oriri arbitror, quam hominibus ineſſe videmus, vt alij bellum, quam pacem, mallent. Quam quidem morum diſsimilitudinem in mortalium animis ſemper fuiſſe, conſtat, vt in Druſo adoleſcente ſingularem ſeueritatem, in Lœlio hilaritatem, in Scipione ambitionem, callidum Annibalem, verſutiſsimum ac patientiſsimum Lyſandrum Lacedęmonium, hoc ipſum de alijs dicendum videtur. Hinc neceſſe eſt, diuerſos diuerſa optare, aut bellum, aut pacem, ac alias res. Sed (meo iudicio) paci ſemper conſulendum eſſe exiſtimaui, modo nihil doli ſit habitura, eaque ſi tuto vti liceat, quis multa commoda affert, ac rerum acceſsiones, atque incrementa virtutum. Interea ad Reip. Regnique tutelam multi amici ſunt acquirendi. Cuius proculdubio optima pręſidia eſſe videntur. Icirco Micipſam Regem Numidarum morientem Iugurthæ fratri hæc dicentem accepimus. Non enim exercitus, neque Theſauri, Regni pręſidia ſunt, ſed amici, quos neque armis cogere, neque auro parare queas, officio, & fide omnino parantur. Nullus igitur ad bellum inferendum ſolicitus ſit, niſi laceſsitus iniuria, quæ quidem ſi diſceptatione haud ſedari poteſt, neceſſe erit ad arma confugere, & iuſtum bellum (more maiorum) gerere. Et ſi ſuperioribus locis multa, quæ ad Imperatorem belliqué Ducem ſpectare videntur, diſſerui, quibus virtutibus, ac rerum ſcientia augeri debeat, vt Cicero de Pompei laudibus dicebat, vt Imperator aduerſus Myrhridatem Regem ponti crearetur, qui ſcientia militari, virtute, fortuna, & autoritate florebat, fortunam ipſam maxime neceſſariam, diem, & horam natiuitatis, ſiue fatum ipſum arbitror optimam omnium partem habere, vt Satyricus poeta præclare de hac re cecinit,

Quis numerare queat felicis præmia Galle
Militiæ? Nam ſi ſubeantur proſpera caſtra
Ne pauidum excipiet Tyronem porta ſecundo
Sydere plus etenim fati valet hora benigni,
Quàm ſi nos Veneris commendet Epiſtola Marti,
Et Samia genetrix, quæ delectatur arena.

Vbi iam labor in fine eſſe videtur, cui detractores haud defuturos eſſe confido, tamen ſpero, quod eorum morſus tua autoritas, ac celeberrimum nomē, quod latiſsime patet, omnino retundet, quod ita mihi perſuaſum eſt. Accipe igitur, humaniſsime [illegible]eps, hoc tenue munus, perpetuum tui in te [illegible] gratiam ineundam pignus fortaſſe minus te dignum, verum longe maiorem digniorem que in te animum. Interea iuſtitiam cole, virtutibus viue, reique militaris acrimoniam literarum lenitate temperandam eſſe ducas, tuique ſerui memoriam nulla deleat obliuio, oro atque etiam oro, ſiquid præcibus virtus apud te valet. Neque enim me ſpem fallere arbitror, quum te omnium virtute prædictorum percupidum ac ſtudioſum accepiſſem. Quid autem ſpei ſit reliquum, facile (veluti ex vngue Leonem) conijcere potes. Interea viue felix, ac vtrique hominis ſaluti Conſule.

FINIS.

VENETIIS APVD COMINVM DE TRIDINO
MONTISFERRATI. M D LIX.